


N.

# BARBARORUM LEGES ANTIQUÆ

CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

---

VOLUMEN V. ET POSTREMUM.

---

# BARBARORUM LEGES ANTIQUÆ

CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

## VOLUMEN V. ET POSTREMUM.

# BARBARORUM LEGES ANTIQUÆ

CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

## VOLUMEN V. ET POSTREMUM

*S E U*

VARII GENERIS ADDITAMENTA

Quæ ex editis atque ineditis Monumentis collegit

F. PAULUS CANCIANI

*Ord. Serv. B. Mariæ Virginis S. T. D.*

QUIBUS CONTINENTUR

*Monumenta Legalia Leges Langobardicas & Italiæ Regnum pressius afficientia, Assisiæ Regni Hierosolymitani ad Superiorem Curiam pertinentes, Selectæ Constitutiones Arabum in usum Insulæ Siciliæ, Vetus Capitulare Nauticum pro Emporio Veneto, & antiquioris Legis Salicæ Exemplaria duo ab Heroldino in pluribus diversa.*



VENETIIS MDCCLXXXII.

Apud { SEBASTIANUM COLETIUM, ET JOSEPH ROSSI BARTHOLOMÆI FILIUM.

*SUPERIORUM LICENTIA AC PRIVILEGIO.*

# CONSPECTUS
## HUJUS QUINTI VOLUMINIS.

# NOI RIFORMATORI

## DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Gio. Tommaso Mascheroni* Inquisitor General del Santo Offizio *di Venezia* nel Libro intitolato, *Canciani Barbarorum Leges, Tomus V., Ms. e Stampato*, non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e Buoni Costumi, concediamo Licenza a *Nicolò Coleti* Stampator *di Venezia* che possa esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 9. Febbraro 1791.

( *Giacomo Nani Cav. Rif.*
( *Zaccaria Vallaresso Rif.*
(

Registrato in Libro a Carte 97. al Num. 3.

*Marcantonio Sanfermo Seg.*

Adì 10. Febbraro 1791.

Registrato a Carte 168. nel Libro del Magistrato degl' Illustrissimi & Eccellentissimi Signori Esecutori contro la Bestemmia.

*Antonio Cabrini Seg.*

# MONUMENTA
# LEGALIA

ITALIÆ REGNUM PRESSIUS AFFICIENTIA.

---

## SELECTA CONGERIES

*Capitulorum, Conſtitutionum, Actorum Synodalium, aliarumque Sanctionum ad rem legalem ſpectantium*

A Carolo Magno ad Pacem Constantiæ.

A C C E D U N T

Novæ Formulæ, Gloſſæ, Juriſconſultorum Monita, & variantes Lectiones ad Leges Langobardicas ex Codice Euphemiano.

# IN MONUMENTA LEGALIA

## *MONITUM COLLECTORIS.*

---

PRopositam mihi Legum collectionem, Deo dante, utcumque concinnatam complevi. Vallicas Leges, antiquas Constitutiones Scotiæ, cæterarum gentium legales codices, quos præ oculis habui, prætereo, quod vel nimis seri sint, nimisque corrupti, ut inter antiquas, vel nimis multi, ut inter medii ævi Constitutiones referantur.

Prætereo quoque Constitutiones, & Capitularia veterum Regum Francorum chronologica, quantum fieri potest, serie disposita, quæ Cl. Baluzius ediderat, & novissimo hoc tempore recudere curavit vir perillustris Petrus de Chiniac, qui etiam additamenta, atque variantia plurima edere spopondit. Spartam periculi plenam eruditioribus, atque critica arte peritioribus relinquamus, & congeriei nostræ satis sit Capitularia ipsa in legales libros disposita inseruisse.

Huc ergo desiisset opus & labor, nisi addere superesset librum Assisiarum Regni Jerusalem ad superiorem Curiam pertinentium, nobilissimum omnium monumentum, quod inter Constitutiones medii ævi præfulget. Novissimum itaque Volumen Assisiis ipsis dicatur, quod ut in aliquam justam molem evadat, nonnullis ad rem legalem spectantibus editis atque ineditis augendum censui, quæ doctis viris, atque Italis præcipue, haud penitus ingrata fore confido.

Occurrit primo exilis fasciculus jampridem meo studio collectus quorundam Capitulorum, Constitutionum, Actorum Synodalium, aliarumque Sanctionum, quæ rem legalem respiciunt, Italosque pressius afficiunt, a Carolo Magno ad Pacem Constantiæ, & quæ in corpore legum Langobardicarum aut facie diversa proponuntur, aut incompleta referuntur, aut penitus desiderantur; prætermissis iis, quæ in Feudorum libris continentur, ut & aliis nonnullis, quæ non ex puris fontibus hausta, aut nimium corrupta fuisse visa sunt.

Subduntur glossæ, formulæ, Jurisconsultorum monita, variantesque aliquot lectiones ad Langobardicas leges ex Codice Veronensi Bibliothecæ S. Euphemiæ. Cl. Dolleonius expresserat præstantes succos e flore. Sed ornatissimus Confrater meus Philippus Trivisani S. T. D. ratus alia plurima codici inesse eruditis haud multum nota, eorumque studio minime indigna, habita comiter venia ab Euphemianæ Bibliothecæ Præfecto, ( cui & ego me maxime gratum profiteor ) omnia quæ in impresso libro desunt, vel diversa lectione efferuntur, immo & notabiliores notas & glossas, quæ in margine Codicis descriptæ sunt, ut munus mihi præberet, exacta diligentia exemplavit. Ut singula ederem, Corpus integrum legum Langobardicarum recudere expediret, & repetito codice collectionem graviter onerare. Quare ea tantum huc seligenda duxi, quæ vel lectionem exhibent notabiliter diversam, vel Jurisprudentiæ medio ævo inter Majores nostros vigenti lumen aliquod effundere possunt.

Ut de rerum pretio æquum feramus judicium, Euphemiani exemplaris ætatem nosse juvat. Post legem I. Grimoaldi Regis occurrit in calce paginæ nota memoriæ gratia scripta diverso a reliquo codice, atque sequioris temporis charactere: *Quando fuit capto Castellum, quod dicitur Jovennoldo, erat anni domini mill. centeximo trigeximo septimo, in Kal. Setembris, Indict. prima, & in die Martis, ac ora nona, fuit preenso Vescovo de Cremona, qui erat in ipso Castello.* Memorandum hoc Cremonensibus, & Bergomensibus fastis forte aliquod affer-

afferre poteſt ſubſidium. Sed quod tantum ad rem noſtram attinet, illud commonſtrat, exemplar noſtrum eſſe ipſo memorando antiquius. Deſideratur profecto in exemplari lex Lotharii II., quæ legitur in vulgatis.

Ut quidquam promamus exactius, gloſſæ nonnullæ evincunt, librum concinnatum fuiſſe poſt Othones, immo non ante Henricum I., cum ſanctio, quæ primo loco habetur inter leges ejuſdem Henrici, interpolata legatur pro gloſſa iiſdem pene verbis deſcripta, & ſubnexa legi VIII. Libri II. Liutprandi. Sic enim gloſſa de uxore a marito præmortua: *Sed tamen ſi contigerit eam mori ſine filiis eorum amborum*, quamvis mundiata non ſit, *tamen vir ſuus ei ſuccedat;* ſecundum quoſdam.

E contra vero homicidium etiam per venenum, aut alio furtivo mortis genere inter liberos homines perpetratum, juxta intermixtas, aut ſubnexas legibus gloſſas pluries repetitas omnis ſubſtantiæ ad homicidam pertinentis amiſſione mulctatur, non vero pœna capitali, quæ conſtituta legitur lege II. Henrici II.

Hæc ſane innuunt, noviſſimum Codicis concinnatorem ſcripſiſſe modico illo temporis intervallo, quod fluxit inter latas prædictas leges Henrici I. & Henrici II. Euphemianum autem exemplar paulo ſequiori tempore exſcriptum fuiſſe videtur.

Utinam antiquior eſſet Codex, aut antiquior alter prodiret in lucem! Formulas & gloſſas haberemus legum interpretes magis fidas, ipſoſque legum textus magis genuinos exemptoſque ab additamentis, & ab erroribus, qui non modo ex amanuenſium incuria, ſed ferme dicerem de induſtria, & data opera ex variata juriſprudentia invecta fuere, in leges præſertim, quas veteres noſtri Reges ante Carolum Magnum edixerant.

Verumtamen Codex noſter utilitate non caret. Apto loco videbimus, illius ope nonnullos, & quidem graviſſimos in legum textibus corrigi errores, qui in vulgatis occurrunt. Et præterea gloſſæ & formulæ a veterum legum ſenſu recedentes nova exhibent legalia dogmata, & inſtituta, atque lubrica jura, quæ inducta fuere inter eos, qui Langobardorum lege vivebant.

Præmonuit jam Cl. Dolleonius, in Codice occurrere non modo interlineares gloſſas, atque marginales, ſed & quampluriмas legibus ſubnexas, vel intermixtas. Et has ( quæ profecto magis obſervabiles ſunt ) ego puto non ab uno Juriſconſulto, neque uno tempore ſcriptas in margine codicum, ſubinde ab exſcriptoribus legum textibus inſertas fuiſſe.

Certe varios earundem gloſſarum atque formularum auctores, & varia tempora liquido evincunt ſententiarum diſcordantiæ plurimum occurrentes, dum alter alterum corrigit, & qui unam tuentur ſententiam, *ſtulti*, *dementes*, *inertes*, *aſini*, nulla ſervata urbanitate, vocantur ab aliis.

Gratiæ agendæ ſunt Codicis noſtri librario, quod leges ab intermixtis, vel ſubnexis gloſſis, interjectis punctis diſcernere conſueverit: alioquin ſæpe difficillimum eſſet textum diſtinguere a gloſſa: immo nonnunquam gloſſa ita deſcribitur, ut pronum omnino ſit, eam ſumere pro ipſo textu. Quis enim non crederet, partem legis eſſe, quæ verbis deſcribitur quaſi a legiſlatore prolatis? Et tamen ejuſmodi occurrunt exempla, quamvis nonnunquam ridicula. Liutprandus ſanxit (1): *Et ipſe fur, quamvis malefactor ſit, non habeat de una cauſa duas calumnias.* Inſulſa gloſſa ſubdit: *Niſi aliquid futurum a noſtris ſucceſſoribus præcipiatur imponi.* Liutprandus edidit (2): *Quia qui thinx facit, ac poſtea filia naſcitur, in tertiam partem ipſum thinx rumpet, ſecundum anterius edictum*, ( hoc eſt, ſecundum edictum Rotharis ). Gloſſator addidit: *Quia ſecundum meum non eſt ita; ſuccedunt enim in totum.* Verba *concedimus*, *præcipimus* &c. ita in ore ſunt Gloſſatoris, ut putares hæc ab ipſo Rege prolata fuiſſe. Lepidum eſt legere gloſſatorem alterum dogmata proferentem, quaſi Regem; & ab altero ſubinde *ſtultum*, *aſinum* appellari. De eo qui alteri in ſervitium tradendus eſt, gloſſator addit (3): *Pro debito quoque præcipimus ut tra-*

*da-*

(1) Liutpr. lib. VI. lege LXXVIII. (2) Idem ibid. lege XI.
(3) Idem ibid. lege XCIX.

*datur:* subdit alter: *secundum asinos.* Quod de equo Rotharis sanxit (1), hoc habet additamentum glossatoris: *Similiter de omnibus aliis rebus præcipimus.* Audi correctorem: *Ita enim addunt stulti, sed nihil addendum est; nam de solo caballo per excellentiam dictum est illud superius.*

Hæc exemplo sint, ut dignoscamus, quam facile fuerit, ut ejusmodi glossæ evaderent in textum, & quam difficile sit eas a primigenio legum textu discernere. Experto crede Muratorio, qui sæpe in notis ad leges Langobardicas fatetur, se ignorare, utrum clausulæ quædam occurrentes præsertim in Codice Estensi, sint pars legis an glossa.

Oritur ergo vel ex hoc capite dubium, num leges Langobardicæ, prout nunc efferri solent, ab additamentis glossatorum sint immunes. Ego firmiter credo immunes non esse, cum ejusmodi accessionum exempla suppeditent superstites Codices, quamvis sero scripti. Lex XXXII. Pippini ex vulgato nostro habet: *De rebus forfactis, quæ per diversos Comitatus sunt, volumus ut ad Palatium pertineant, transacto anno, & die.* Sed verba: *transacto anno, & die:* non leguntur in Codicibus Ambrosiano, Veronensi, ac Mutinensibus, uti neque apud Baluzium. Pars legis XII. Lotharii I. ita in edito descripta est: *Et nullis modis hoc facere præsumant de pecunia, vel substantia, antequam legitimum pretium detur.* Verba, *vel substantia*, desiderantur in Codice nostro, atque in Estensi, uti & apud Baluzium. Hæc certe videntur a glossatoribus scripta, quæ subinde pro textu sumpta fuerunt.

Si vero glossarum naturam spectamus, perspicimus in Veronensi Codice alias occurrere glossas, quæ verba vel sensum legis explanant, aut ad genuinam legislatorum mentem, aut juxta tunc vigentem intelligentiam Jurisconsultorum, seu glossatorum; alias vero, quæ legem perstringunt, dilatant, in alienum sensum detorquent, seu juxta posteriores constitutiones legibus præcedentibus derogantes, seu juxta invectas sequiori tempore in Langobarda gente consuetudines.

Maxima autem animadversione dignæ esse videntur, quæ ostendunt, quantum in Langobardicis foris irrepsisset Romana Themis ævo, quo Codex descriptus est. Romanæ actiones, Romanus stylus, Romanæ res, Romana rebus nomina inducta sunt. Sermo fit *de edenda actione; de actione ad exhibendum; de recuperanda, adipiscenda, retinenda possessione; de vi, clam, & precario.* Crederes Langobardos in Romano, non in Barbaro foro versari.

Memoratur etiam nonnunquam Romana lex, ut Langobardos afficiens: *Ante quinque* (possessionis) *annos* (2) *dicat actor, quod sibi res pertineat, ut legitur in Romana lege.* Si res litigiosa a tertio venditur, venditor *reddat caput* (3), *ita ut legitur in Romana lege.* Recitatis pluribus formulis de equo intertiato agentibus, subditur (4): *Sed tota hac altercatio pene nihil valet; debet enim esse, ut legitur in Romana lege.* Ita Langobardi a propriis quoque institutis recesserant, ut inhærerent Romanis.

Quid ultra? Juris Romani studio ipse legum Langobardicarum textus corruptus fuit. Superiore volumine exempla præbuimus Romanæ legis ex Barbarorum institutis depravatæ; nunc præsto sunt exempla legis Langobardicæ corruptæ ex Romanæ Themidis invasione.

Lege Rotharis CLXVII. ex vulgata nostra editione præscribitur: *Si fratres post mortem patris in casa communi remanserint, & unus ex ipsis in obsequio Regis aut cum Judice aliquas res acquisierit serviendo, habeat sibi in antea absque portione fratrum; nec quod foris in exercitu adquisierit, commune sit cum fratribus, quos in communi casa dimiserit.* Heroldina editio huic assentitur. Sed Veronensis Codex contrarium penitus habet quoad bona adquisita in exercitu, scribens: *Et qui foris in exercitu aliquid adquisierit, communicet cum fratribus* &c. Hanc vero lectionem firmat Codex Cathedralis Mutinensis, glossa intermixta Codicis nostri, atque subnexa formula. Ex quibus colligimus bona in hoste a Langobardo comparata communia fuisse cum fratribus, ea ut puto de causa, quod in-



(1) Rotharis lege CCXXXV.
(2) Monitum & Formul. ad legem Rotharis CCXXXI.
(3) Item ad legem CCXXXV.
(4) Ibid.

ingenui omnes jure familiæ ex æquo milites essent, singulisque incumberet honor, onusque militiæ. Vitiatam autem legem probant principia juris Romani, quo castrensia bona cedunt dominio militis adquirentis.

Grimoaldus lege IV. juxta evulgatam lectionem nostram tutatur eum, qui per XXX. annos *bona fide* possederit casam, familiam, terras. At verba, *bona fide*, absunt ab Heroldina editione atque a Codicibus Ambrosiano, Estensi, & Veronensi, in quo neque Formulæ præfatæ legi subnexæ quidquam exhibent, quod pertineat ad bonam fidem; quod Barbarorum mori consonum est (1), qui neque bonam fidem neque justum titulum in tricennario possessore requirerent; sed nudam possessionem integri sæculi, quod triginta annorum curriculo complebatur, satis esse statuerent possessori tutando, quantumvis res pervasa fuisset. Irrepserunt autem in Grimoaldi legem verba, *bona fide:* quibus lex ad Romani juris principia collimari videtur.

Liutprandus equidem post Grimoaldum ad Romanorum dogmata accedens, tricennarium possessorem exclusit, qui falso munimine, seu injusto titulo convictus fuerit possedisse (2). Sed valde dubitandum, num lex Liutprandi, aut si qua sit hujus generis alia, recepta atque servata ex integro fuerit inter Langobardos. Etenim ad legem (3), qua statuitur, ut adversus partem publicam quis non utatur, nisi completo dupli temporis, hoc est, LX. annorum spatio; ad hanc, inquam, legem Glossator marginalis inter cætera scribit: *Si injuste possedit, vel invasit, tamen si sunt completi anni LX., habebit . . . Et secundum quosdam ita; secundum alios aliter.* Hæc certe post annum æræ Christianæ millesimum scripta sunt. Adhuc ergo ad hanc epocham non deerant, qui neque justum titulum, neque bonam fidem ad possessionem firmandam requirerent; quin & tutum redderent etiam injustum possessorem, atque invasorem.

Aistulphus ex lege V., prout in edito legitur, usumfructum uxori a decedente marito legatum concedit; quæ si *nupserit, postea autem mortua fuerit, usufructus in integrum ad heredes revertatur.* Heroldus cum hac lectione concordat. Sed Codex Veronensis, ut & Mutinenses, alio sensu legem referunt, unico verbo leviter immutato: *siquidem nupserit postea, aut mortua fuerit* &c., ut scilicet vidua usumfructum amitteret, vel morte, vel secundis contractis nuptiis. Eundem exhibet sensum glossa Codicis Veronensis; atque ipse glossator marginalis expresse monet: *non enim datur* (usufructus) *quoad vixerit, nisi caste vivat.* Ipsæmet glossæ edocent nos, hanc antiquatam non fuisse disciplinam adhuc post annum Christi millesimum.

Jus Romanum adoptavit quidem Aistulphus, sed interpolavit dogmate ad Barbarorum instituta propius accedente, quibus præplacuerat, ut vidua viveret casta & sola (4). Lex autem ex vulgata lectione depravata pressius complectitur Romanorum principia, permittentia uxorem usufructu a marito legato gaudere, etiamsi ad alias transvolet nuptias, ut pariter ex ipsa glossa monemur.

Hæc præbent exempla corruptorum codicum Langobardicæ legis ex immixtione juris Romani. Allatæ autem corruptiones deprehenduntur ope Codicis Veronensis post annum millesimum scripti, eo scilicet tempore, quo jam Romanarum legum praxis inter Langobardos plurimum invaluerat. Si ergo antiquiores prostarent Codices, si primigenii, suspicio non levis est, quod in vulgatis legis Langobardicæ libris plures adhuc deprehenderentur ejusce generis nævi, genuino legum sensu ex Themide Romana fœdato.

Quæ hucusque diximus pandunt viam, ut perspiciamus quomodo, & qua ratione Romana jura atque instituta inter Langobardos irruperint.

Cum Langobardi leges suas regnante Rothari primum scripto mandassent, jurium personalium jam libertatem perstrinxerant, lata lege, ut exteri ad Italiam incolendam adventantes, Langobardorum legibus omnino parerent; neque ex

(1) Vid. Not. ad leg. Burgund. Vol. IV. huj. collect. pag. 34.
(2) Liutprandus lib. VI. lege LXII. (3) Idem ibid. lege XXIV.
(4) Vid. leg. Bajuv. Tit. XIV. Cap. IX. lege 3. Confer Tacitum Germ. c. XVIII. XIX.

ex propriæ nationis lege, neque ex alia quacumque vivere eis jus esset, nisi regio indulto impetrato; prout colligimus ex lege Rotharis, quam Muratorius ultimo loco posuit, sed in Codice Veronensi occurrit post legem CCCLXX. *Omnes Warengangi, qui de exteris finibus in regni nostri finibus advenerint, seque sub scuto potestatis nostræ subdiderint, legibus nostris Longobardorum vivere debeant; nisi legem aliam a pietate nostra meruerint. Si legitimos filios habuerint, heredes eorum in omnibus, sicut & filii legitimi Longobardorum, existant. Et si filios non habuerint legitimos, non sit illis potestas absque jussione Regis res suas cuicumque thingare, aut per quemlibet titulum alienare.* Integram descripsi memorandam legem, quæ præter id, de quo agimus, nobis etiam exhibet ex tunc vigens in Italia jus albinagii.

*Warengangos* hac in lege memoratos Muratorius in nota cum *Wargis* confundit, & *profugos*, *exules*, *bannitos*, interpretatur; quasi vel lex respiciat tantum hujus furfuris homines, vel tantum hujus furfuris homines in Langobardorum regnum sese recipere consuevissent. Audiendus autem Wachterus, qui in Glossario suo eruditissimo vocem minutius explicat ex radicibus Germanicæ linguæ: *Warengangi, advenæ. Proprie sunt peregrini a* wer, *vir*, & gangen, *migrare; non quod tota vita errent, sed quod a pristina sede ad aliam migraverint. Hinc omnis advena, qui e regionibus exteris accessit, Anglosaxonibus vocatur* Wergenga *apud Somnerum in Dictionario, qui mire ludit in voce, & Cangium seduxit, ut* Warengangos *cum* Wargis *confunderet. A* Wergenga *etiam sunt* Warganei; *extranei, male rursus cum* Wargis, & Waringis *confusi*. Hæc Wachterus omnino accommode ad sensum legis supra relatæ; ut exteros omnes ad sedes nostras migratos respiciat, non tantum bannitos, & transfugas.

Cæterum regium indultum a præfata Rotharis lege expetitum vel pauci vel nulli ex exteris impetrasse videntur, dum Langobardi regnarent, cum a Liutprando rege non aliæ memorentur leges, juxta quas Scribæ chartas conficiant, nisi Langobarda, & Romana (1).

Nota, præter legem Langobardam memorari quoque Romanam. Romanis enim, seu veteribus Italiæ incolis, qui jam Romano paruerant imperio, Romana lege vivere generaliter datum erat; prout ex ipsa Liutprandi sanctione colligimus, & apertius adhuc ex alia ejusdem Regis constitutione, quæ de Langobarda muliere homini Romano in matrimonium juncta hoc enunciat (2): *Postquam marito Romano se copulaverit, & ipse ex ea mundium fecerit, Romana effecta est, & filii, qui de eo matrimonio nascuntur, secundum legem patris Romani sunt, & lege patris vivunt.*

Quin & licet in Langobarda lege quædam occurrant constituta ecclesiasticum ordinem afficientia; Ecclesiasticis tamen etiam ex Langobarda gente generatim loquendo datum erat uti Romana lege. Liutprandus jussit (3), ut si Langobardus filios, aut filias habens, Clericus fiat, *tunc filii, aut filiæ, qui ante ejus conversionem nati fuerint, ipsa lege vivant, qua lege ille vivebat, quando eos genuit*. Quod procul dubio constitutum est, quia cujusvis nationis Clerici Romana lege vivere consueverant, ut Muratorius in nota ad ipsam legem recte perpendit.

Hic Romani juris usus in regno Langobardorum, hæc Langobardæ gentis cum Romana consuetudo, aperuisse videtur viam, ut Romanorum leges atque instituta inter Langobardos ipsos sensim pervaderent. Revera in legibus, quæ Langobardis regnantibus conditæ sunt, pleraque deprehenduntur ex Romano penu deprompta, dimidiata, interpolata; ut ipsum primævum corpus scripti Langobardici juris antiqua instituta Barbarorum in universum certe referre non possit. Quod eruditis adeo exploratum est, ut novis probationibus atque exemplis rem confirmare idem esset ac adversus patefactam januam conari: nihilo tamen secius pauca referre exempla, ipsamet orationis circumstantia inferius suppeditabit.

Quod sub Langobardis evenerat, idem quoque processerat post adeptum regnum

(1) Liutpr. lib. VI. lege XXXVII. (2) Idem ibid. lege LXXIV.
(3) Idem ibid. lege C.

gnum a Francis, & postquam Italiæ Regnum, & Romanum Imperium uni Principi paruere. Immo exinde Romanorum jura inter nos firmiorem adhuc pedem fixere, ut ex iis, quæ infra aptiore loco dicentur, pariter colligemus.

Dum autem de Romana lege agitur, quæstio implexa generatur; num scilicet intermediis hisce temporibus pro Romano jure in Italia regia recepti fuerint libri Juris Theodosiani, an Justinianæi. Causa inter eruditos controvertitur; sed controversia meo quidem judicio componi potius & transigi potest, quam dirimi.

Et componere quidem tentavit Jo. Daniel Ritter (1), sed non felici conatu. Scilicet probare contendit viguisse Jus Theodosianum, atque in medium alludit Codicem Breviarii Aniani procul dubio ab Italo scriptum paullo post initia sæculi IX., vivente Carolo Magno. Censuit autem, Theodosianum Jus, seu Aniani Breviarium sub Francis tandem inductum fuisse in Italia, sed sub Langobardis viguisse Justinianæum.

Nemo facile erudito viro assentietur; neque enim probabile est, Francos Reges jura Provincialibus Italici regni immutasse, cum aliunde noscamus, illos unicuique genti veteris propriæ legis usum reliquisse; immo neque probabile videtur, Carolum Magnum Romæ & Italiæ Imperiali addictissimum Justiniani legum ibi servatum usum in Italia regia delevisse, si illud jam invenisset inoletum. Rectius ergo concludere possumus, quod si Theodosianus Codex, seu Aniani Breviarium, vel ejus interpretationes, inter nos viguere sub Francis, hoc ideo evenit, quod idem obtinuisset etiam sub Longobardis.

Et quidem Theodosianarum legum usum extitisse apud Italos probat Codex a prælaudato Scriptore observatus, uti & ille, quem nos superiore Volumine edidimus, de quo præter ea, quæ ibidem præmonui, liceat & modo pauca differere.

Dum manuscriptum illud inspexeram, atque perlegeram, ex characterum indicio suspicabar, exaratum fuisse paulo infra annum æræ Christianæ millesimum: sed cum nonnulla ibidem contenta multo remotiorem præseferre videantur antiquitatem, putavi hoc esse a vetustiore interpretationum codice exemplatum, cujus primus concinnator forte Langobardis regnantibus esset coævus. Opinionem meam tunc venditare non ausi, sed nunc audacius promo, cum ea firmata fuerit judicio eruditissimi Marchionis Jo. Jacobi Dionysii Veronensis Ecclesiæ Canonici in palæographia, & antiquorum Codicum notitia apprime versati, cujus responsa pro sententia teneo.

Observare non pigeat, quod inter Codicem ipsum, & librum legum a Langobardis Regibus constitutarum nonnulla occurrant analoga, inter quæ unum prætermittendum mihi non fuit. Libro XXI. Codicis ejusdem hæc legitur sanctio de viduarum usufructu: *Mulier post mortem mariti sui, nec de sua dote, quod ei suus maritus fecit, nec de alia facultatem, quod ei suus maritus dimisit, nulla licentia exinde habet alienare, nisi tantum usumfructum exinde habeat; & postea si ad secundas nuptias venerit, aut si mortua fuerit, omnem facultatem mariti sui ad filios suos dimittat.* Hæc venditantur in Codice pro interpretatione Constitutionis Severi, & Leonis, quæ extat inter Novellas Codicis Theodosiani (2); sed quam detorta ea sit, & quam aliena a genuino Legislatorum sensu, quisque conferens animadvertet. At vero si conferantur cum lege V. Aistulphi, de qua superius verba fecimus, talis forte analogia deprehenditur, ut inferamus alteram sanctionem alterius exemplar fuisse; scilicet vel Aistulphum ad Theodosiani Codicis legem, prout in codice nostro descripta est, respexisse, ut dogma depromeret, ex quo sanctionem Langobardæ genti traderet interpolatam; vel auctorem Codicis ad Aistulphi constitutionem, seu ad instituta in Italia regali inducta spectasse, ex quibus hanc juris particulam Romana lege viventibus describeret depravatam. Utcumque res se habeat, exinde innuitur, Theodosiani Juris usum non defuisse in Italia.

Codex Veronensis itidem suppeditat robur asserto, exhibens Jurisconsulti notabi-

(1) Ritter Epist. præfixa Vol. II. Gothofr. Cod. Theod.
(2) Cod. Theod. Novel. lib. V. lege I.

tabile monitum (1): *Scito, si quis Langobardus servo communi libertatem dederit, quod pars adcrescit socio non danti, ut legitur in antiquo jure Romano, quod lex Longobarda sequitur.* Antiqui juris Romani nomine Jus Theodosianum intelligo. Et quidem dogma parallelum occurrit in libris Sententiarum Pauli (2): *Servum communem unus ex dominis manumittendo* Latinum facere non potest, nec magis quam civem Romanum; *cujus portio* ( eo casu quo si proprius esset, ad civitatem Romanam perveniret ) *socio adcrescit.* Idem legitur & inter fragmenta Ulpiani (3): *Communem servum unus ex dominis manumittendo, partem suam amittit, eaque adcrescit socio.* Hæc autem Jurisprudentia a Justiniano adoptata non fuit, sed immutata, ut ad allegata Pauli & Ulpiani loca annotavere Cujacius, atque Schultingius.

Memoratum Jurisconsulti monitum non modo sensu, sed & verbis, cum Paulo & Ulpiano plurimum cohæret, ut illud procul dubio exhibeat interpretationem dimidiatam aut ex alterutro, aut ex utroque Doctore Romano. Desumptum autem non est ab interpretatione Aniani vulgata, quæ pari quidem sensu, sed aliis penitus verbis effertur. Quare probabile est, depromptum fuisse ab alio interpretationum Codice, forte haud absimili ei, cujus superiore Volumine edidimus exemplar, quod malo fato mutilum, usque ad librum IV. Pauli, & ad Ulpiani fragmenta non pertingit.

Exinde vero colligimus, in Italia regali adeo usu venisse jura Theodosiana, seu illorum syntagmata, immo interpretationes, ut ipsi Langobarda lege viventes hæc adoptarent quasi in supplementum juris in iis, quæ in Langobardo codice constituta non occurrebant. Quod certe non inductum circa scripti Codicis Veronensis tempora, quibus immo Justinianus magis, magisque invaluerat, sed ex antiquiore Langobardæ gentis more derivatum fuisse nemo negaverit.

Hæc dicta sint pro juribus Theodosianis, quæ tamen officere non contendo iis, quæ ab eruditis allegantur pro Justinianæis. Immo usque a Langobardorum adventu notæ inter nos, & inductæ jam fuisse videntur Justiniani Constitutiones. Certe Rotharis, qui primus leges scripto Langobardis tradiderat, inter ea quæ a Romanis deprompserat, Justinianum quoque adoptaverat, sive quod disciplinam inter Italos jam inductam suæ genti edixerit, sive quod Justiniani libros habuerit præ oculis. Lex inter cætera causas enumerans (4), ex quibus patri fas sit filium exhæredare, ex Justiniani Novella dimidiata se prodit: quod ab antiquis adeo indubie creditum est, ut auctor Formulæ in Codice Veronensi huic legi subjectæ expresse alluserit ad Novellam potius quam ad Rotharis legem.

Itaque quod superiore Volumine dixi, hic confirmare non vereor; scilicet in Italia regia nota atque usu recepta fuisse tum jura Justinianæa, tum Theodosiana, seu Aniani Breviarium, ejusdemque interpretationes; & hæc quidem pro Corpore juris, illa quasi pro Extravagantibus habita esse. Qua vero ratione hæc invaluerit legum permixtio, divinare quidem possumus, sed affirmare non possumus.

Cum Ostrogothi Italiæ regnum adepti sunt, Theodosianum Codicem pro Romana lege servatum fuisse nemo est qui vertat in dubium, nondum existentibus legibus Justiniani. Gothis autem regnantibus, anne Breviarium Aniani inter Italos irrupit? Hæc eruditi Caroli Pecchia nuper defuncti sententia est (5). Neque certe mirum esset, si hoc ab ipsomet Theodorico Rege inductum diceretur, qui paulo post Breviarium concinnatum, & maximo plausu in Wisigothorum regno receptum, cum Ostrogothico regno Wisigothici quoque ad longa tempora rexit habenas.

Prodiere subinde leges Justinianææ, quas Imperator durante adhuc bello Gothico in Italia quoque promulgari jussit. Sed quisnam tunc fuit hujus promulgationis effectus? Ego ex iis, quæ supra recensui, facile conjector, quod spa-

(1) Monitum ad leg. CCXXVII. Rotharis. (2) Sent. Pauli Lib. IV. Tit. XII. art. 1. (3) Fragm. Ulpiani Tit. I. art. 18. (4) Confer Rotharis leg. CLXIX. cum Justiniani Novella CXV. c. 3. (5) Pecchia lib. I. cap. IV. & lib. II. c. XXVII.

ſpatium illud temporis uſque ad Langobardorum adventum par quidem fuerit inſerendo juri novo, ſed non penitus in univerſa Italia antiquando uſui juris veteris, ſpectato præſertim miſerrimo ſtatu, in quo majores noſtri tunc languebant, bello, peſte, fame depopulatæ reliquiæ.

Sed Juſtinianum inde invaleſcere facile fuit. Italia Imperialis plurimum contermina, ac pene intermixta Italiæ regali conciliare potuit Juſtiniano favorem ex quodam doctrinæ ac ſcientiæ fulgore, qui Romæ, atque in Imperio illuſtrius emicuerat: & magis adhuc poſtquam Carolo Magno regnante Italia Imperialis & Regia ſub uno cecidit ſceptro. Quamvis enim imperium & regnum, ut duæ diverſæ ditiones habitæ ſint, arctior profecto tunc gentis, atque inſtitutorum interceſſit communio; ut Juſtinianus jam pro lege in Imperio receptus, Italiam reliquam enixius pervaderet, adeo ut tandem prævaluerit. Hæ equidem meræ ſunt conjecturæ; quibus ſatis indulſimus; nunc certiora promamus.

Certum eſt, ſequioribus ævis Juſtinianum jam adeo præſtantem occurrere, ut ipſe paſſim allegari conſueverit pro lege Romana. Codices ipſi Legis Langobardæ, teſtes egregii, exempla ſuppeditant. In Monitis Juriſconſultorum a Muratorio editis ex Ambroſianis Codicibus (1), dum Romana lex ſpeciatim allegatur, audit Juſtinianus. De ſucceſſione lege Romana hæc leguntur: *Quia ſic præcepit lex Romana in libro, qui nominatur* Novella, *quem egit Juſtinianus Imperator temporibus ſuis*. Et de aliis diſſerendo: *Si homo invenerit ſcazo* (ideſt, theſaurum) *in terra aliena, med etatem habeat qui invenerit, & medietatem, cujus terra eſt, quia lex Romana dicit*; ſcilicet Leonis Auguſti Conſtitutio, quæ legitur Lib. X. Codicis Juſtinianæi Tit. XV. Et de ætate hominis: *Et de ætate dicitur, ſecundum hic declaratur, & juxta illud quod dicitur in lege Romana in libro, qui nominatur Inſtituta &c.* Paucis, ut vides, pagellis hic pro Romana lege allegantur Juſtiniani Codex, Novellæ, atque Inſtituta.

Eſtenſis pariter & Veronenſis Codices ad legem IX. Aiſtulphi gloſſam referunt intermixtam: *Similiter & venerabilia loca faciant de rebus, quæ ipſa poſſideant* (ſi decennium inter præſentes immobilia, vicennium inter abſentes poſſederint, ſi triennium mobilia, vel XXX. annis) *ſi a Langobardis fuerint pulſata*. Doctrina ex libro Inſtitutionum Juſtiniani deſumpta eſt (2).

Formula occurrit in Veronenſi (3), innuens filio Langobarda quoque lege viventi fas fuiſſe exhæredare patrem, ſi pater ei fecerit ingratitudinem, cum tamen lex Rotharis, ad quam ipſa formula ſpectat, ne verbum quidem de ingratitudine referat. Alluſit Juriſconſultus ad Juſtiniani Novellam (4) de cauſis ingratitudinis agentem, quæ & in ſuperiore formula expreſſe allegatur.

Ad legem LXVII. Lotharii I., quæ circa teſtes verſatur, occurrit in eodem Codice gloſſa marginalis: *Qui teſtes non debent compelli a Comitibus dicere teſtimonium, niſi XV. diebus, ut in his obſervent judicium, ut legitur in IIII. libro Codicis*; ſcilicet in Juſtinianæi Codicis libro IV. Titulo XX. Art. 19. Vides & Veronenſis Codicis gloſſatores reſpexiſſe ad Juſtiniani Inſtituta, Codicem, & Novellas.

Plura congeri poſſent, ſed hæc ſatis ſint, ut dignoſcamus, Juſtinianum adeo inter nos excultum fuiſſe, ut ejus quoque dogmata, quaſi propria, ſequerentur ii, qui Langobarda viverent lege.

Sed quid interim actum eſt de Codice Theodoſiano, ſive de Alariciano Breviario, ſeu verius de ejuſdem interpretationibus? Numquid hæc jura oblivioni penitus mandata ſunt? Non credo. Si interpretationes Theodoſianæ legis ſuperiore Volumine editæ ſcriptæ fuere poſt annum Chriſti milleſimum, eæ ipſæ indicant, hac adhuc epocha uſu habitas fuiſſe. Idem confirmat Juriſconſulti monitum de ſervo communi in libertatem dato ab uno domino, quod ex Veronenſi Codice certiſſime infra annum Æræ Chriſtianæ milleſimum exarato ſupra retulimus, & præcipue allegata in ipſo monito clauſula: *ut legitur in antiquo jure Romano, quod lex Longobarda ſequitur*. Ergo ad hæc uſque tempora

(1) V. Vol. I. huj. collect. pag. 221. ſeqq. (2) Vid. Inſtitut. Juſtinian. lib. II. Tit. VI.
(3) Form. ad leg. Rotharis CLXX. (4) Novell. Juſtin. CXV. c. 4.

ra videtur, tum Justiniani, tum Theodosii legalem usum minime defuisse in Italia. Quod ex ipso quoque Metropolitanæ Ecclesiæ Utinensis Codice haud ægre colligimus, in quo tum Justinianææ sanctiones, tum Theodosianæ interpretationes descriptæ leguntur.

Obiter hic addam, quod dum in monumentis nostris *Romana lex* memoratur, æquivoca hac compellatione præter Theodosiana jura, vel Justinianæa, venire possunt & sanctiones illæ, quas Imperatores nostri inde a Carolo Magno edixerant populis, qui Romano parebant imperio. Recenset Baluzius (1) veterem Codicem Bibliothecæ Thuanæ, in quo hæc leguntur; *Item ex legibus Romanis a Domno Lamberto Imperatore promulgatis capitulo XI. Si quis &c.* Atque huc recitatur integra Constitutio de Decimis in Ravennate Concilio edita anno DCCCLXXXXVIII. imperante Lamberto. Novissime ego accepi a Comite Hieronymo Asquino nunc Parmæ degente specimen Romanæ legis ex Codice Cathedrali Mutinensi a Muratorio laudatæ. En legis Capitulum, prout descriptum habui. *VIII. Cap. In lege Romana; De precariis quoque, quæ a Rectoribus Ecclesiarum inrationabiliter fiebant, suosque successores pœna gravi obligabant, ut facta prius nequirent dissolvere, præcipimus, ut nemo successor in antecessoris sui pœna statuta sit obligatus; sed suæ prudentiæ sit concessum, ut si antecessor ejus res Ecclesiæ inrationabiliter distribuit, ab eo ad jus Ecclesiæ tenenda revocentur.* Profecto hæc *lex Romana* est ipsa lex Lotharii I., quæ pene de verbo ad verbum legitur quoque inter Langobardicas eidem Principi tributas lege XXI. Sed ad rem, de qua præcipue agimus, revertamur.

Corrupta jam vidimus ex Romani juris fermento vetera Barbarorum legalia instituta ab eo usque tempore, quo leges Langobardicæ scripto mandari cœperant; itemque vidimus processu temporis amplius, ampliusque invaluisse inter Langobardos dogmata Romanorum. Hæc est antiquior, omniumque potissima causa, qua genuinæ ac veterrimæ Langobardicæ gentis leges, & consuetudines depravatæ fuere.

Antiquior, inquam, & potissima, sed non unica; aliæ enim intercessere in Langobardi juris ruinam. Desiderio exturbato, exteris Principibus Francis, & subinde Germanis Italici regni sceptrum tenentibus, novæ sanctiones, novæ leges conditæ sunt. Quamvis autem Constitutiones, præsertim quæ in corpus legum Langobardicarum relatæ sunt, pro Langobarda lege merito habeantur, quod in Langobardici, seu Italici regni comitiis constitui, aut acceptari consuevissent; inter has tamen & illas, quæ sub antiquis nostris Regibus conditæ sunt, latum adeo patet discrimen, ut hæ a diversa gente, & diversæ genti constitutæ fuisse videantur.

Quin & vivente adhuc Carolo Magno, primo inter Francos Italiæ Rege, Romani & Langobardi (quod & pro cæteris in Italia commorantibus populis valuit) juxta propriam equidem legem successiones adire, contractus celebrare, se & sua defendere, sacramenta præbere, mulctas autem juxta læsi legem componere permissi sunt; *De cæteris vero causis* (ita lex XLVI. Pippini) *communi lege vivant, quam Dominus Karolus excellentissimus Rex Francorum, atque Langobardorum in Edictum* (hoc est in corpus legum sub Langobardis Regibus conditarum) *adjunxit*. Numerent alii, quot & quanta in legibus Romanorum, atque Langobardorum, & aliarum quoque gentium, quæ in regno Italico sedem fixerant, hoc uno calami tractu antiquata fuerint. Dicebamur vivere jure Langobardo, & vivebamus jure Carolino.

Graviora vulnera institutis populi nostri attulit commixtio & consuetudo cum exteris gentibus, quæ adepto maxime a Francis regno Italiam incolere cœperunt. Ego sane reor, exteros populos novis moribus, magis quam Principes novis legibus, veteres nostros legales mores, disciplinamque labefactasse.

Aderant Franci Salii, Franci Ripuarii, Alamanni, Bajuvarii, Burgundiones, Gothi, ecquis non? atque omnibus datum fuit, ut sua quisque viveret lege. Jam Capitulare Pippini (2) edocet nos, diversas generationes hominum sedem

(1) Baluzii Præf. ad Capitularia art. XVIII.
(2) Pippini Capitulare cap. XVII. & XXXVII.

dem fixisse in Italia, *& omnino voluntatem Domini Regis esse*, *ut unusquisque homo suam legem pleniter habeat conservatam . . . Et per singulos inquirant , qualem habeant legem ex nomine*.

Hæc exterarum, variarumque gentium turma, hic diversarum legum usus, hæc Romanorum institutorum invasio vetera Langobardorum legalia instituta maxime coinquinarunt. Quisque sibi persuadebit, ut sicuti ex consuetudine cum Romanis Langobardi plura sibi adsciverant ex juribus, & moribus Romanorum, ita ex consuetudine cum exteris pluribus imbuerentur e juribus & moribus exterorum.

Inde præcipue repetendam duco invectarum inter majores nostros consuetudinum vim. Inoletas autem consuetudines pro lege servandas esse constituit sanctio Carolo Magno adscripta inter Langobardicas ex Estensi Codice a Muratorio edita (1): *Ut longa consuetudo, quæ ad utilitatem publicam non impedit, pro lege servetur, & quæ diu servatæ sunt, permaneant*. Unde hæc fuerit hausta, ait in nota Muratorius, nondum deprehendi, neque apud Baluzium invenio. Deprehendisset atque invenisset vir eruditus de verbo ad verbum in corpore Juris Theodosiani, seu in Breviario Aniani, ejusdemque interpretatione (2), in qua hæc leguntur: *Longa consuetudo, quæ utilitatibus publicis non impedit, pro lege servabitur*. Reliqua Constitutionis Carolinæ verba ipsi Theodosianæ legi inserta occurrunt: *Quæ diu servata sunt, permanebunt*.

Notanda mihi videntur, quæ constituit Carolus ipse, seu filius ejus Pippinus (3), *ut nulla consuetudo superponatur legi*. Notanda, inquam, quia innuunt jam tum irrepsisse, quod interdicitur. At vero hæc sanctio optatum semper non obtinuit effectum. Qui consuetudinum noverit robora, facile percipiet, quam aptæ fuerint vel hanc aliasve Langobardorum leges antiquare, vel primigenium legum sensum pervertere, ac populi mentem in earundem intelligentia perturbare.

Perturbati juris, seu perturbatæ intelligentiæ ploranda nobis perhibent exempla Glossatores Codicis Veronensis in varias quampluries abeuntes sententias. Lege inter cætera glossam ad legem Rotharis CLIII. (4), ut perspicue dignoscas, quam in incerto versaretur sors populi Langobarda lege viventis in re cæteroquin gravissima successionum ab intestato.

Quin & detorto adeo sensu legi nonnunquam parebant Langobardi, ut secundum legem se agere profiterentur, dum a genuino sensu legis quam longe recederent. *Morgengaba* ex veteri Langobardorum more erat donum omnino gratuitum, post initum conjugium a marito uxori assignatum, quod ne quartam bonorum partem excederet constituerat Rex Liutprandus. Sequioribus autem ævis, quarta bonorum pars quasi debita sponsæ, & quidem ante celebratum conjugium in *Morgincap* assignari consueverat; & hæc appellabatur *justitia secundum legem Langobardorum*. Consule quæ dixi in notis ad legem Burgundionum Tit. XLII. lege 2.

Porro hæc, quæ superius diximus, jam advenerant tempore scripti Codicis Veronensis, dum adhuc Italiæ libertas vagiret in incunabulis. Quid subinde cum sensim adaucta? Quid tandem cum ex Pace Constantiæ ad summa pervenit fastigia?

Intermediis hisce temporibus Civitates bella gerere, inire pacta, Magistratus constituere, res novas inducere, jura expetere, sanctiones sibi condere; atque post Pacem Constantiæ Constitutiones ampliore numero regendo populo constituere, ac tandem in justa legalia volumina concinnare, illaque pro jure patrio coli; ut vetera jura Romana, Langobarda &c. tantum in subsidium juris adhiberentur, & via aperiretur, qua sensim defineret Romanæ, Langobardæ, aliarumque legum jam usitata professio.

Hæc sunt Civitatum Statuta, quæ aperte commonstrant vim consuetudinum in Civitates ipsas inductarum. Nec immerito ejusmodi legum municipalium com-

(1) Lex Langob. Caroli Magni CXLVIII. (2) Cod. Theod. lib. V. Tit. XII.
(3) Lex Lang. Pippini XXXV. (4) Vol. II. huj. collect. pag. 456.

complexus quibusdam in locis *Consuetudines*, *Libri Consuetudinum* appellati fuerunt. Et ego mihi facile suadeo, constitutiones primum digestas, atque in legales codices congestas fuisse, ea præcipue de causa, ut lubricum jus consuetudinarium firmo canone stabile evaderet.

Exemplum exhibent Statuta manuscripta Patriæ nostræ sub Marquardo Patriarcha anno MCCCLXVI. in unum Corpus juris digesta, novisque Constitutionibus tunc adaucta, quorum prologus hæc inter cetera enunciat. *His etenim in mentis nostræ arcano seriose vibratis, in nostramque notitiam plurimorum clamosa insinuatione, quin potius veridica detestatione & infamia cum vulgaris murmurationis strepitu sæpius deducto, quod in nostra Patria Fori Julii, & inter subditos nostros & Ecclesiæ nostræ Aquilegensis, a quibus utique paterno affectu eradicare cupimus vitia, & defectus, abusus ille & periculosus ritus in decisione causarum invaluit, & observatur, ut dum in judiciis coram Nobis, & Officialibus nostris litigatur, & interdum consuetudinis, longævique usus auctoritas allegatur, ad contrarium opponitur alia vel diversa consuetudo in elisione primæ propositæ eidem repugnans & adversa. Quo fit ut propter defectum probationis earundem consuetudinum decidentes causas prædictas & judicantes in eis tantam varietatem incurrere videantur, quod causæ ipsæ adeo intricatæ ut plurimum a justitiam prosequentibus insopitæ penitus deserantur. Ex quarum consuetudinum incertitudinis & interminationis involucro alia sequebantur nefandæ absurditatis notabilia, quod alienigenæ, ignoti, pauperes, & aliæ miserabiles personæ, quibus consanguineorum & amicorum favor minime patrocinabatur, ad judicia ipsa accedentes sæpe contra justitiam contrarias & iniquas sententias reportabant, allegataque & obtenta consuetudo in uno judicio non sine varietatis nota in alterius instantia per judicantes eosdem reprobabatur. Ex his itaque continuatis erroribus oriuntur animarum & corporum continua discrimina, divinæ majestatis contempnitur præceptum, veritas læditur, & totius Patriæ status pacificus enormiter perturbatur, ac offensa justitia pariter impugnatur. Hanc etenim justitiam omnibus animi & corporis viribus amplectentes, ac tueri pariter & vigere pro posse volentes, ex nostra auctoritate superiori necessario introducta, ut tam per determinationis opportuna remedia tollat ambigua, lites auferat, altercationes dirimat, & obscura dilucidet, quam per cultoris providi gubernaculum vitia extirpet, virtutes inserat, excessus corrigat, moresque reformet. Pridem, videlicet XXVII. Mensis Aprilis proximi præteriti in publico & generali Prælatorum, Nobilium, & Communitatum Colloquio juxta morem Patriæ in Castro nostro Utini solempniter celebrato, inter cetera, & multa alia salubria pro communi & universali commodo, atque statu totius Patriæ nostræ Fori Julii & omnium Fidelium nostrorum exposita, duximus singulariter & utiliter proponendum, Nos ex animi nostri affectione ad reformationem judicii, & extinctionem abusus illius, quo propter incertam & indeterminatam consuetudinum notitiam lites & causæ efficiuntur penitus immortales, intendere ac providere omnino fore dispositos.* Et infra, recitatis nominibus virorum, qui concinnando codici præfecti fuerant, subditur: *Qui tam Constitutiones aliquibus Nostris Prædecessoribus editas, & in diversis scripturis & locis vagantes, quam consuetudines incertas, obscuras, & indeterminatas, scriptura aliqua nullatenus declaratas, juxta abusum prædictum determinationem decisionemque causarum involventes & offuscantes eorum sollicitudine provida recensentes, pluribus ex ipsis consuetudinibus æquitati & decisioni causarum contrariis penitus resecatis, & abolitis, pluribus ex dictis Constitutionibus in toto, vel in parte mutatis, multisque correctionibus, detractionibus, & additionibus, prout expediens visum fuit, & etiam nonnullis utilibus & necessariis Constitutionibus factis, & noviter compilatis, præsentes infrascriptas Constitutiones in uno & præsenti compendio diligentius studuerunt.*

Non agitur de Romana lege, non de Langobarda, sed de vagantibus Constitutionibus serius in Patria editis, & præcipue de consuetudinibus, quæ populi jura in incerto tenebant, præsertim dum popularia inter nos vigerent judicia; ut non voluptas, sed necessitas compulerit legalem codicem efformare, quo jus aliquod certum constitueretur.

Hisce potissimum causis adscribenda est metamorphosis jurium Italiæ, quo

tandem veteres legales libri in desuetudinem, inde in oblivionem abierunt; una excepta lege Romana, quæ & Statutis Civitatum Italiæ plurima suggessit, & adhuc in subsidium juris allegari solet in foris. Quod mirum non est, cum hæc præ cæteris legibus Universitates atque Academias occupaverit, eademque imbuti sint Judices, causarum patroni, atque ii, qui dictandis, concinnandisque legibus seliguntur.



# MONUMENTA LEGALIA.

## CAROLUS MAGNUS
### ITALIÆ REX.
## PIPPINUS
### ITALIÆ REX.

### CAROLI MAGNI CAPITULA. (1)

I. Volumus, ut qui aliqui per testes exinde qualecumque rem tollere voluerit, per quinque vel septem testimonia dicant suum testimonium, & sic tollantur qualecumque rem, quia testamento quod Romani faciunt, firmum non potest, *nisi* per quinque aut per septem confirmatur.

II. Item de thesauro, quod subtus terram invenitur, inventus fuerit in terra Ecclesiarum, tertia ad partem Episcopi revocetur. Et si aliquod Longobardus, aut qualibet homo, propria expontanea voluntate cavaverit, & aliquit ei dominus dederit in propria sua quarta portione, exinde tollantur, & ille vero tres portiones ad nos perveniat, & de verbo nostro ut nullus præsumat aliter facere.

### PIPPINI CAPITULARE. (2)

*De justitiis generalibus.*

I. Placuit nobis, (3) atque convenit nobis, ut omnes justitiæ pleniter factæ esse debeant infra regnum nostrum absque alia dilatatione, tam de Ecclesiis, quam de xenodochiis, seu de pauperibus & viduis, & pupillis vel orphanis, atque de reliquis omnibus, secundum jussionem Domni nostri Karoli Regis.

*De Monachis, qui de Francia veniunt.*

II. Instituimus enim, ut sicut Domnus noster Rex Karolus commendavit de illis Monachis, qui de Francia, vel aliunde venerunt, & eorum monasteria dimiserunt, ut præsentialiter in illis partibus revertantur ad monasteria, & nemo ex vobis detineat ipsos.

*De Presbyteris, qui de alia provincia veniunt.*

III. De Presbyteris qui de alia provincia veniunt, ut nullus eos debeat recipere sine dimissoria Episcopi sui.

*De his, qui ad palatium veniunt, vel inde vadunt.*

IV. De Episcopis (4), Presbyteris, Abbatibus, vel Vassis dominicis, seu cæteris hominibus, qui ad palatium veniunt, vel inde vadunt, vel ubicunque per regnum nostrum pergunt, ut non præsumant ipsi nec homines eorum alicui homini suam causam tollere, nec suum laboratum, in tantum si non comparaverint, aut ipse homo eis per suam spontaneam voluntatem non dederit. Et quando hybernum tempus fue-



(1) Bina hæc Capitula edidit Baluzius ex pervetusto Codice Langobardo Bibliothecæ Thuanæ præfixa Epigraphe: *Item de rebus Ecclesiarum*. Subnexa scilicet in Codice sunt Capitulari, quod de rebus quoque Ecclesiasticis agit. Editor Capitulare rejecit in annum DCCLXXXIX.

(2) Baluzio, ex quo hoc Capitulare recudimus, visum est inscribere annum DCC. XCIII. Sed, ni fallor, est collectio duorum, vel trium Capitularium non uno tempore conditorum. Capitula, quæ ad tertium usque Capitulare describuntur, relata sunt inter leges Langobardicas, ubi notabilia quædam, atque variantia quæri possunt.

(3) *Placuit nobis &c.*) In Codice Cathedrali Mutinensi, Muratorio teste, huic Capitulo præfixus est titulus: *Incipit Capitulare, quod Pippinus Rex instituit cum suis judicibus in Papia.* Confer Vol. I. hujus Collect. pag. 177. & seq.

(4) *De Episcopis &c.*) Heroldus rectius: *De Episcopis, & Abbatibus, Comitibus, seu Vassis Dominicis, vel reliquis hominibus, qui ad placitum veniunt &c.*

fuerit (1), nullus debeat mansionem vetare ad ipsos iter agentes, in tantum ut ipsi iterantes injuste nullam causam tollant. Et si aliquis hoc facere præsumpserit, tam Seniores, quam & vassalli, & ipse homo ibidem ad eos proclamaverit, tunc volumus ut præsentialiter ille homo qui hoc malum fecit, hoc quod ad ipsum hominem qui proclamavit tulerit, secundum suam legem emendet, & ad palatium exinde bannum nostrum componat. Et si evenerit quod ei ipsa causa ibidem secundum legem præsentialiter emendata non fuerit, & ad palatium exinde proclamatio devenerit, tunc volumus ut ipse qui hoc malum fecerit, contra ipsum hominem qui proclamavit secundum suam legem emendet, & insuper ad palatium nostrum bannum componat ex eo quod bannum nostrum infrangere ausus fuerit.

*De illis hominibus qui Seniores suos dimittunt.*

V. Stetit nobis de illos homines, qui hic intra Italia eorum Seniores dimittunt, ut nullus eos recipere debeat in vassallatico sine comiato Senioris sui, antequam sciat veraciter pro qua causa aut culpa ipse suum Seniorem dimisit. Et ille homo qui eum recipere voluerit, & ipsum secum habuerit, debeat eum in nostra præsentia præsentare, aut ipse aut Missus suus intra quadraginta noctes postquam ipse homo ad eum venerit, si nos intra Italia sumus. Et si nos intra Italia non fuerimus, tunc postquam inde nos fuerimus reversi, intra quadraginta noctes eum in nostra præsentia debeat præsentare, sicut supra diximus. Et qui super hoc facere præsumpserit, & si non adimpleverit, exinde bannum nostrum ad partem nostram componat.

*De hominibus libellariis.*

VI. Stetit nobis de hominibus libellariis ut nullus Comes nec Juniores eorum eos amplius non distringant, nec inquietent, nisi sicut in tempore Longobardorum eorum fuit consuetudo.

*De Ecclesiis baptismalibus.*

VII. Placuit nobis de Ecclesiis baptismalibus, ut in omnibus ita debeant esse ordinatæ, & conservatæ, quomodo Domnus Karolus Rex demandavit, & in suo Capitulare continetur.

*De immunitatibus conservandis.*

VIII. Et hoc instituimus, ut emunitates a jamdicto Domno nostro firmatas, in omnibus sic conservatas esse debeant, sicut est jussio ipsius Domni Karoli Regis.

*De viis & pontibus emendandis.*

IX. Consideravimus, ut vias & porturas vel pontes, infra regnum nostrum, in omnibus pleniter emendatas esse debeant per illa loca ubi antea semper fuerunt. Nam per alia loca super ipsa flumina nullatenus porturas esse debeant.

*De feminis quarum mariti in Francia sunt.*

X. Placuit nobis de illis feminis quarum mariti in Francia esse videntur, ut Missi nostri per regnum nostrum hoc debeant inquirere, si eorum justitias sic pleniter habeant, sicut fuerit jussio Domni nostri, an non. Et qui sic habuerit, bene. Sin autem, tunc volumus ut ipsi Missi nostri ita compleant, sicut Domnus noster demandavit.

*De Missis per singula monasteria dirigendis.*

XI. Stetit nobis ut Missos nostros, unum Monachum, & unum Capellanum direxissemus infra regnum nostrum pro videndo & inquirendo per monasteria virorum & puellarum quæ sub sancta regula vivere debent, quomodo est eorum habitatio, vel qualis est vita aut conversatio eorum, & quantum unumquodque monasterium de rebus habere videtur unde vivere possit.

*Quod nulli homini sua testimonia tollenda sunt.*

XII. Placuit nobis ut nullus Comes nec eorum Juniores nullatenus præsumant alicui homini sua testimonia tollere aut abstrahere, nisi permittantur ei ipsa testimonia habere qui eas potest conquirere atque rogare. Et si aliquis contra hoc facere præsumpserit, nostra est voluntas ut ipse in nostra præsentia veniat, & ibidem talem accipiat sententiam quomodo nostra fuerit voluntas ad judicandum.

*De liberis hominibus Longobardis.*

XIII. Stetit nobis de illis liberis hominibus Longobardis ut licentiam habeant se commendandi ubi voluerint, sicut in tempore Longobardorum fecerunt, in tantum ut suo Comiti faciant rationabiliter quod debent.

*De xenodochiis.*

XIV. Ut quicunque (2) xenodochia habent,

(1) *Et quando hybernum tempus fuerit,*) Heroldus iterum melius: *Et quando heribannum tempus fuerit*; quando scilicet castrensi edicto convocaretur exercitus.

(2) *Ut quicunque &c.*) Adest apud Baluzium Capitulare Carolo M. attributum hac Epigraphe: *Incipit Capitulare, qualiter præcepit Domnus Rex de quibusdam causis.* Continentur in eo hoc & sequentia Capitula usque ad Capitulum XXIX. Intermiscetur quoque san-

bent, si ita pauperes pascere voluerint & consilium facere quomodo abantea fuit, habeant ipsa xenodochia & regant ordinaliter. Et si hoc facere noluerint, ipsa dimittant, & per talem hominem inantea sint gubernata qualiter Deo & nobis placeat.

*Ne laici homines teneant Ecclesias baptismales.*

XV. De Ecclesiis baptismalibus, ut nullatenus eas laici homines tenere debeant, sed per Sacerdotes fiant ordinatæ & gubernatæ. Et neque pagenses neglegentiam habeant de hoc quod ibidem facere debeant. Et illi Sacerdotes eas sic regant quomodo ordo canonicus exposcit.

*De Advocatis Sacerdotum.*

XVI. De Advocatis Sacerdotum, volumus ut pro ecclesiastico honore & illorum reverentia Advocatum habeant.

*De diversis generationibus hominum qui in Italia commanent. Et de statu ingenuitatis.*

XVII. De diversis generationibus hominum qui in Italia commanent, volumus ut ubicunque culpa contigerit unde faida crescere potest, pro satisfactione hominis illius contra quem culpavit, secundum ipsius legem cui negligentiam commiserit, emendet. De statu vero ingenuitatis & aliis querelis, unusquisque secundum legem suam se ipsum defendat.

*De compositionibus quæ ad palatium pertinent.*

XVIII. De compositionibus quæ ad palatium nostrum pertinent, si Comes ipsam causam commoverit ad requirendum, illam tertiam partem ad eorum recipiant opus, duas vero ad palatium. Et si per suam neglegentiam remanserit, & Missus dominicus ipsas causas cœperit requirere, tunc volumus ut ille Comes illam tertiam partem non habeat, sed cum integritate in palatio veniat.

*De monasteriis & xenodochiis regalibus.*

XIX. De monasteriis (1) & xenodochiis quæ per diversos Comites esse videntur; ut regalia sint; & quicunque ea habere voluerit, per beneficium Domni Regis habeat.

*De rebus forfactis.*

XX. De rebus forfactis per diversos Comites, volumus ut ad palatium pertineant.

*De eo cujus res in eleemosyna datæ sunt.*

XXI. Si cujuscunque res in eleemosyna datæ sunt, & ipse mortuus fuerit antequam eas dispenset, tunc Missus dominicus una cum Episcopo parochiæ ipsius consideret qualiter in Domni Regis mercede ipsa eleemosyna fiat facta, & infra triginta noctes impleta esse debeat.

*De jure filiæ in res servorum quos pater fecit liberos.*

XXII. De filia cujus pater per manum erogatoris omnes servos suos jussit fieri liberos, & quia contra legem esse videtur, instituimus quod ipsa filia in tertiam portionem de facto servi iterum introire possit.

*De auctoritate legis & consuetudinis.*

XXIII. Placuit nobis inserere, ubi lex deest, præcellat consuetudo, & nulla consuetudo superponatur legi.

*De potestate vendendi & donandi in femina.*

XXIV. Placuit etiam nobis ut quæcunque femina potestatem habet per comiatum viri sui vendere, potestatem habeat donare.

*De mancipiis palatii & Ecclesiarum.*

XXV. De mancipiis palatii nostri & Ecclesiarum nostrarum nolumus mundium recipere, sed nostra mancipia habere.

*De liberis hominibus ad servilia opera non cogendis.*

XXVI. Placuit nobis ut illos liberos homines Comites nostri ad eorum opus servire non opprimant; & quicunque hoc fecerint, secundum judicatum habemus emendare.

*De aldionibus palatii.*

XXVII. Non est nostra voluntas ut homines Placentini per eorum præcepta de curte palatii nostri illos aldiones recipiant.

*De fugitivis.*

XXVIII. De fugitivis qui in partibus Beneventi & Spoleti, sive Romaniæ vel Pentapoli, confugium faciunt, ut reddantur, & sint reversi ad propria loca.



sanctio hisce concepta verbis: *De rebus, quæ Hildegardæ Reginæ traditæ fuerunt volumus ut fiant descriptæ breves, & ipsæ breves ad nos fiant adductæ.* Hæc innuunt Capitula ipsa exarata fuisse paulo post obitum Hildegardæ Reginæ, vita functæ anno DCCLXXXIII. die ultima Aprilis. Videtur, Capitulare hoc a Carolo concinnatum fuisse, & missum filio Pippino Italiæ Regi, ut capitula in eo contenta consueta tunc methodo in Italicis Comitiis in leges recipienda curaret.

(1) *De monasteriis &c.*) Heroldus in Pippino correctius: *De Monasteriis & Xenodochiis, quæ per diversos Comitatus esse videntur, & regalia sunt, ut quicumque &c.* Heroldo consentit Lindenbrogius, Codex Veronensis &c. Profecto non omnia Monasteria erant regalia

*De sigillis & epistolis, & de porturis custodiendis.*

XXIX. Sicut consuetudo fuit sigilla & epistolas prendere, vel porturas custodire, ita nunc sit factum.

*De feminis devotis quæ se maritis copulaverunt.*

XXX. De feminis (1) quæ se Deo voverunt, & se monachica veste induerunt, & postea se maritis copulaverunt, ut inquirat unusquisque in judiciaria sibi commissa ubi eas invenerint, ut sine dilatatione eas ab ipsis inlicitis conjunctionibus separare debeant, & ipsæ de supra memorata illicita conjunctione ad pœnitentiæ recurrant remedium.

*De divinis vel incantatoribus.*

XXXI. De illis hominibus qui aliquam incantationem vel divinationem agunt, vel his similia, quæ in conspectu Dei abominationes esse videntur, similiter inquirat unusquisque, & ubi eos invenerint, non dimittant illos sine disciplina correptionis, & faciant eos pœnitentiam agere de his inlicitis præsumptionibus.

*De variis superstitionibus coercendis.*

XXXII. De pravis illis hominibus qui brunaticos (2) colunt, & de hominibus suis subtus maida (3), cerias incendunt, & votos vovent, ad tale vero iniquitas eos removere faciant unusquisque; nisi voluerint ad Ecclesiam panem offerre, simpliciter offerant, non cum aliqua de ipsa iniqua commixtione.

*De inlicitis conjunctionibus.*

XXXIII. Similiter inquirat unusquisque homines sibi commissos, ubi forsitan invenitur, ubi factæ sunt inlicitæ conjunctiones, ita ut qui uxorem consobrino aut insobrino suo uxorem duxisset, aut etiam quamlibet parentem suam sibimetipsis uxorem copulasset, sine omni dilatatione eos ab invicem separent, & eos ad pœnitentiæ remedium faciant destinari.

*De eo qui uxorem simul & concubinam habuerit.*

XXXIV. Et hoc etiam statuimus, ut cuncti diligenter inquirant, si est homo uxorem habens ut supra, ipsa cum alia adulterans, & concubinam habuerit, a tali igitur inlicita perpetratione faciant eos cum omni sollicitudine separari. Sic placuit Domno Regi, ut qui hæc nefanda crimina de terminis sibi commissis, ut diximus, emendare neglexerit, ut in sacro palatio widrigildum suum componat.

*De hominibus Domno Karolo infidelibus.*

XXXV. De singulis capitulis quibus Domnus Rex Missis suis præcepit, qui nulla sacramenta debeant audire & facere. Quamobrem ista sacramenta sunt necessaria per ordine ex antiqua consuetudine explicare faciunt. Et quia modo isti infideles homines magnum conturbium in regnum Domni Karoli Regis voluerint terminare, & in ejus vita consiliati sunt, & inquisiti dixerunt quod fidelitatem ei non jurassent. (4)

*Quomodo sacramentum fidelitatis jurandum sit.*

XXXVI. Quomodo illud sacramentum ju-

---

(1) *De feminis &c.*) Hucusque Capitula a Carolo Magno ad Italos missa post mortem Hildegardis. Stylus sequentium Capitulorum alius est a superioribus. Sanctiones esse videntur in generali quodam colloquio constitutæ, ubi primum de rebus ad Ecclesiam spectantibus, & de criminibus pœnitentia coercendis agitur, & subinde de rebus civilibus, more Francorum usu recepto, ut illæ ab Ecclesiasticis, hæ a Laicis Proceribus pertractarentur. Ex Capitulo XXXV. colligere possumus, hæc edita fuisse post conjurationem factam a Pippino Gibbo, qua in Caroli ipsius necem conspiratum fuit, de qua Eginhardus in Annalibus, Chronicon Moissiacense, item Chronicon S. Galli, & Poeta Saxo in vita Caroli M. ad annum DCCXCII. Præteriit hæc Capitula Muratorius, tum quod a Codicibus Mutinensibus absint, tum quod certum non habuerit, an revera Pippino Italię Regi tribuenda sint, atque ad Italicum regnum spectent. Vid. Vol. I. hujus Collect. pag. 182. Sed neque physica certitudo exigenda est; neque sanctiones omnes Italis latæ inter leges Langobardicas relatæ sunt. Has autem Pippino adscribi, atque perinde ad Italiæ regnum pertinere, satis suadet, quod uno cum superioribus contextu descriptæ legantur. Memoratur hic *judiciaria* vox Langobardico stylo apprime familiaris designando districtui, cui præerat *Judex*, Dux scilicet, aut Comes. Vide Mon. ad Leg. Anglos. Vol. IV. hujus Collect.

(2) *Brunaticos,*) Cangius V. *Bruma* censet legendum esse *brumaticos*, eoque interdici festa brumalia Ecclesiasticis Canonibus interdicta. Sed non est cur recedamus a scripta voce. *Brun* fontem significat; quare hic inhiberi videtur cultus *fontium*, qui inhibitus quoque legitur Langobardica lege Liutprandi libro VI. lege XXX.

(3) *Subtus maida.*) Vox obscura clarior evadit, si diphthongum *ai* pronunciemus per *e*, & legamus *meda*. Sic a *Saiga* evasit Italicum *sega*, a *Trainus*, *treno* &c. *Meda* usque in hodiernam diem vernacolo nostro appellatur strues turrita in summitate in acutum vergens lignorum, palearum &c. Et eodem ferme sensu explicat Cangius vocem *Meta*.

(4) *Fidelitatem ei non jurassent.*) Videtur sermo esse de conjuratis cum Pippino Gibbo, qui fidelitatem seu hominium jurassent Seniori suo, non excepto Rege, seu Seniore supremo, adeo ut feloniam non committere censerentur ejusmodi, qui cum Seniore suo conjurassent adversus Regem. Quales etiam sequiori tempore extitisse docet Cangius ad Joinvillam Differt. XIII.

juratum esse debeat ab Episcopis & Abbatibus, sive Comitibus vel Vassis regalibus, necnon Vicedominis, Archidiaconibus, atque Canonicis. Clerici qui Monachorum nomine non pleniter conservare videntur, & ubi regulam Sancti Benedicti secundum ordinem tenent, ipsi in verbo tantum & veritate promittant (1), de quibus specialiter Abbas adducant Domno nostro, deinde Advocatis & Vicariis, Centenariis, sive fore censiti (2) Presbyteri atque cuncta generalitas populi, tam puerilitate annorum duodecim quamque de senili, qui ad placita venissent, & jussionem adimplere seniorum & conservare possunt, sive pagenses, sive Episcoporum & Abbatissarum vel Comitum hominum, & reliquorum hominum, fiscalini quoque & coloni, & ecclesiastici atque servi, qui honorati beneficia & ministeria tenent, vel in vassallatico honorati sunt, cum domini sui, & caballos, arma, & scutum, & lanceam, spatam, & senespasium habere possunt, omnes jurent, & nomina vel numerum de ipsis qui juraverunt ipsis Missis in breve secum adportent. Et Comites similiter de singulis centenis esse noti, tam de illis qui infra pago nati sunt, pagensales fuerint, quamque & de illis qui aliunde in vassallatico commendati sunt. Et si fuerit aliquis qui per ingenium fugitando de comitatu ad alium comitatum se propter ipsum sacramentum distulerit, aut per superbiam jurare noluerint semoti, per brevem renuntiare sciant, & tales aut per fidejussores mittant. Et si ipsi fidejussores non habuerint qui in præsentia Domni Regis illos adducant, sub custodia serventur. Aut si in illo vicinio habitare voluerint, sicut cæteri jurent. Et si fugitivum quis invenerit, Domno Regi nuntiatum fiat per ipsos Missos.

*Quod Domnus Rex vult unicuique legem suam conservare.*

XXXVII. Explicare debent ipsi Missi qualiter Domno Regi dictum est quod multi se complangunt legem non habere conservatam, & quia omnino voluntas Domni Regis est ut unusquisque homo suam legem pleniter habeat conservatam. Et si alicui contra legem factum est, non est voluntas sua, nec jussio. Veruntamen si Comes aut Missus vel quilibet homo hoc fecit, fiat annuntiatum Domno Regi, quia ipse plenissime hæc emendare vult. Et per singulos inquirant (3) qualem habeant legem ex nomine; & nullatenus sine Comite de ipso pago istam legationem perficiant. Excepto si ille Comes in alia utilitate Domni Regis fuerit, aut aliqua infirmitas eum detinuerit, quod ibi esse non habeat.

*Ut omnes se præparent ad bellum.*

XXXVIII. . . . . . . tia habeant ipsi Missi una cum . . . . rum ministeriis fuerint, ut omnes . . . . . hoc anno veniant hostiliter in solatio . . . . . sicut sua fuerit jussio & pacem intran . . . . . . . . nt infra patria qui per epistolas suas de . . . . .... is significare vult, quando vel ubi . . . . . . ter se conjungi.

EXPL. CAP.

## CAPITULARE EX MABILLONIO.

*Incipit* (4) *Capitulare*

*Qualiter Domnus Rex ad placitum suum fidelibus suis ammonuit.*

I. Volumus atque ammonemus &c. (5) *ut Tom. I. Capitular. col.* 355. *art. XXXVII.*

II. Ut Abbates, qui monasteriis regularibus præsunt, volumus atque jubemus, ut secundum regulam vivant & doceant, & de subjectis de hoc, quotquot illis & carnaliter & spiritaliter ministrare curent, & vigilantiam habeant.

III. Ut Abbates, qui canonicam debent normam illis, similiter suis provideant clericis, sicut Ordo Canonicus docet, & juxta vires certent, qualiter ipse Ordo ibidem servetur & officium debitum ipsi explere queant, & ubi opus est, sua monasteria emendare procurent: & ut Abbates monasteria sibi commissa magis frequentare delectent, & suos clericos instruant, ut Dei servitium expleant, & Ordinem suum custodiant, quos per cetera delectamenta pro voluntate sæcularium vacare non sinant, nisi forte contingat eos in servitio domni Im-

(1) *In verbo tantum, & veritate promittant.*) Scilicet, absque juramento.

(2) *Fore censiti.*) Lege, *Forastici*. Supra actum est de Canonicis repræsentantibus Clerum urbanum, hic vero de Clero forensi.

(3) *Per singulos inquirant &c.*) Ad evitanda incommoda in antiquis chartis professio legis contrahentium, seu etiam testium describi consueverat, ut eruditis notum est.

(4) *Incipit &c.*) Ex veteri Codice Bibliothecæ Chigianæ hoc & sequens Capitulare edidit Mabillonius Musæi Italici Tomo I. Parte II. pag. 45. eaque tribuit Carolo Magno. Ego aliquas saltem hic descriptas sanctiones libentius tribuerem Pippino.

(5) *Volumus, atque ammonemus &c.*) Ne omnia a Baluzio edita refricaret Mabillonius, ad Capitularia Baluzii amandat lectorem. Eadem quoque occurrit sanctio in Capitulari Legum Langobardicarum Libro III. Tit. I. lege VIII. & in editione Muratoriana est lex LVII. Caroli Magni.

Imperatoris noſtroque (1) eſſe occupatos; & hoc ad tempus erit, non ſemper.

IV. Ut vaſſi & auſtaldi (2) noſtri in miniſteriis veſtris, ſicut decet, honorem & plenam juſtitiam habeant: & ſi præſentes eſſe non poſſunt, ſuos advocatos habeant, qui eorum res ante Comitem defendere poſſint: & quicquid eis quæritur, juſtitiam habeant.

V. Volumus atque jubemus, (3) ut Advocati in præſentia Comitis eligantur, non habentes famam malam: ſed tales eligantur, quales lex jubet eligere.

VI. Volumus etiam atque jubemus, ut Comites & eorum judices non dimittant teſtes habentes malam famam teſtimonium perhibere: ſed tales eligantur, qui teſtimonium bonum habeant inter ſuos pagenſes. Et primum per ipſos judices inquirantur, & ſicut ab aliis rectius inquirere potuerint, ita faciant, non voluntati malorum hominum aſſenſum præbentes: ut & ipſi Comites vel eorum judices, quos noverunt, cauſam, de qua inter eos agitur, compertam eſſe, ſine blandimento ipſius, qui cauſam habet, faciant ad eandem cauſam venire, & per eorum inquiſitionem definita fiant. Et jubemus ut teſtimonia ab invicem ſeparentur, ſicut lex jubet: quia ſi ita agant, multi falſi teſtes poſſunt convinci.

VII. Sed & hoc volumus, ut Comites plenam juſtitiam de latronibus faciant per eorum miniſteria, & ut malefactores & fures non patiantur quietos reſidere, ſed per eos, in quantum valent, infeſtent.

VIII. Ut ante Vicarios nulla criminalis actio definiatur, niſi tantum leviores cauſæ, quæ facile poſſunt dijudicari. Et nullus in eorum judicio aliquos in ſervitio homines conquirat, ſed per fidem remittantur uſque in præſentiam Comitis: & ingenuos homines nulla placita faciant cuſtodire, poſtquam illa tria cuſtodiant placita, quæ inſtructa ſunt: niſi forte contingat, ut aliquis aliquem accuſet, exceptis illis ſcabinis, qui cum judicibus reſidere debent.

IX. Volumus ut ſicut nos omnibus legem conſervamus, ita & omnes legem nobis conſervare faciant, & plenam juſtitiam in eorum miniſteriis, quidquid ad nos pertinet, facere ſtudeant.

X. Inhibemus ut propter ullam diſtrictionem, quam nos facere jubemus, aut pro quibuslibet cauſis ſervi non mittantur in diſtrictionem, ſed per Miſſos noſtros vel domini eorum, aut illorum advocati, ipſos ſervos diſtringant, & ipſi, ſicut lex jubet, rationem per ſervos reddant, utrum culpabiles ſint, an non: ipſi vero domini diſtringant & inquirant ſervos ſuos, ſicut ipſi amant.

XI. Ut nemo forcapium (4) de mancipiis aut de qualibet cauſa recipere præſumat, ſicut ſæpius domnus Imperator commendavit (5).

XII. Ut mancipia adventitia & fugitiva nullus recipere præſumat.

XIII. De mannire vero, niſi de ingenuitate aut de hereditate non ſint, aperte obſervandum: de ceteris vero inquiſitionibus per diſtrictionem Comitis ad mallum veniant, & juſte examinentur ad juſtitiam faciendum, *&c. ut Tom. II. col.* 1105.

Si quis Langobardus faciem Dei, & ſtatum humanæ fragilitatis recogitans, pro ſalute animæ ſuæ de rebus ſuis voluerit judicare, *&c. Tom. I. col.* 347.

XIV. Si quislibet contempta juſſione noſtra, ceteris in exercitum pergentibus, domi reſidere præſumpſerit, plenum haribannum ſecundum legem Francorum, ideſt ſexaginta ſolidos, ſciat ſe debere componere, *&c. Ibid.*

CA-

(1) *In ſervitio domni Imperatoris, noſtroque.*) Hinc colligimus, eum qui Conſtitutionem tulit (prout in Rubrica præfixa legitur) *Domnus Rex* alterum eſſe a *Domno Imperatore.* Colligimus quoque hæc deſcripta fuiſſe poſt adeptum a Carolo M. imperiale diadema, & ante Pippini obitum, hoc eſt intra annum DCCC. & annum DCCCX. Occurrunt profecto in hoc Capitulari ſanctiones, quæ in corpore legum Langobardicarum Carolo M. tribuuntur. Igitur vel hoc eſt cento ex variis Capitulis Caroli M. & Pippini congeſtus; vel filius ſanctiones patris repetiit; vel Carolus conſtituit, & Pippinus Italis edixit.

(2) *Auſtaldi.*) Forte, *vaſſalli.* Capitulare Ludovici Pii Anni DCCCXXIII. cap. XXIV. apud Baluzium: *Vaſſi quoque, & vaſsalli noſtri nobis famulantes volumus, ut condignum apud omnes habeant honorem, ſicut a genitore noſtro & a nobis ſæpe admonitum eſt.*

(3) *Volumus atque jubemus.*) Hæc & reliquæ ſequentes hujus Capitularis ſanctiones leguntur eâdem ſerie diſpoſitæ, aliis tamen intermixtis Capitulis, inter Leges Langobardicas Carolo M. adſcriptas, ſcilicet lege LXIV. & ſeqq. nonnullis variantibus. Deeſt equidem in ſerie ſequens lex X., quæ in edito conſtituit partem legis XXVI. Caroli M. Sed Muratorius advertit in Codice Eſtenſi & in Ambroſiano hanc legi poſt illam, quæ incipit: *Volumus ut ſicut nos omnibus legem obſervamus &c.* prout in hoc Capitulari; & eodem profecto in loco occurrit quoque in Codice Veronenſi.

(4) *Forcapium.*) Lindenbrogius, Baluzius, Muratorius legunt, *furem campbium*, ſphalmate ab antiquis uſque amanuenſibus exemplato. Lege, *forcapium*; quod proprie *indebitam exactionem* ſignificat. Conſule lib. IV. Capitularium cap. XXXVI. (Vol. III. hujus Collect. pag. 203.) quod inſcribitur *de forcapiis*, & hujus ſanctionis ſenſum facile intelliges.

(5) *Domnus Imperator commendavit.*) Iterum innuitur, Conſtitutionem hanc edictam eſſe a Pippino, non *a Domno Imperatore.* Attamen & hæc, prout jacet, in Codice Langobardo ipſi Carolo adſcripta legitur.

## CAPITULARE ALTERUM EX MABILLONIO.

*Capitula Placiti Mantuani.*

I. DE singulis Capitulis, qualiter Mantua ad placitum generale (1) .... omnibus notum fecimus.

II. De justitiis ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum minus potentium volumus atque omnimodis præcipimus, ut omnes Episcopi, & Abbates, & Comites secundum legem pleniter justitiam faciant, & recipiant.

III. Hoc statuimus, ut unusquisque clamator tertiam vicem ad Comitem suum se proclamet, & inde idoneos homines habeat, qui hoc veraciter sciant quod proclamasset, & nullam exinde justitiam habere potuisset: & si qualiter (2) fecerit, & antea ad placitum se proclamaverit, legem suam componat.

IV. Comites vero de illorum parte per testes affirment, quod ei justitiam facere voluissent, & omnia notarium suum scribere faciant quanti ad se proclamassent, vel quantas justitias factas habent: ut nullam excusationem habere possint: nisi veritas clara sit, & justitiam facere voluisset, & hoc ipse Comes aut ejus advocatus per sacramentum firmare possit, quod de illorum justitia nullam negligentiam habeat, & per ipsa brevia cognoscere valeamus, utrum ad se proclamasset, an non.

V. Hoc omnibus notum sit, si quislibet post causam legibus finitam pro se clamaverit, aut XV. accipiat gamatos (3), aut solidos XV. componere cogatur.

VI. Ut nullus alterius presbyterum recipiat, antequam ab Episcopo loci illius examinatus vel inquisitus sit: neque liceat ibi Missas celebrare.

VII. Ut quando Episcopus pro sua parrochia cercata (4) fecerit, Comes vel Sculdais ei adjutorium præbeat, qualiter ministerium suum pleniter perficere valeat secundum canonicam institutionem.

VIII. Ut nullus mancipia christiana vel pagana, nec qualibet arma, vel armissos (5) foras regno nostro vendat: & qui hoc fecerit, bannum dominicum componere cogatur: & si ea mancipia minime revocare potuerit, widringum suum componat.

IX. Ut nullus alteri teloneum præsumat tollere, nisi secundum antiquam consuetudinem; & alibi non tollat, nisi in locis antiquis & legitimis: & cui injuste tollitur, secundum legem componatur, & insuper bannum nostrum Missis nostris componat.

X. Ut nullus post calendas Augusti istos denarios, (6) quos modo habemus, & usi sumus, dare audeat, aut recipere: si quis hoc fecerit, bannum nostrum componat.

XI. De latronibus, qui ante Missos nostros minime venerunt, ut Comites eos perquirant, & ipsos aut fidejussores, sub custodia servent, donec Missi ibidem revertantur.

XII. Ut nullus quemlibet hominem Langobardum cum in vassatico vel casa sua recipere audeat, antequam sciat unde sit, vel quomodo natus est: & qui aliter fecerit, bannum nostrum componat.

XIII. De synodochiis volumus atque præcipimus ut restaurata fiant.

XIV. De vassis regalibus & de justitiis illorum, ut ante Comitem suum recipiant & reddant.

## CAROLI MAGNI EPISTOLA AD PIPPINUM.

KArolus (7) serenissimus Augustus a Deo coronatus, magnus, pacificus Imperator, Romanorum gubernans imperium, ac per misericordiam Dei Rex Francorum, & Longobardorum, dilectissimo filio nostro Pippino glorioso Regi sempiternam in Domino salutem. Pervenit ad aures nostras, quod aliqui Duces, & eorum Juniores, Castaldii, Vicarii, Centenarii, seu reliqui ministeriales, Falconarii, Venatores, & ceteri per singula territoria habitantes, vel discurrentes, mansionaticos & paravereda ac-

(1) *Mantua ad placitum generale.*) In Additamentis ad leges Lotharii I. Muratorianæ editionis (V. Vol. I. hujus collect. pag. 213.) memoratur Capitulare, *quod in Mantua factum est*. Quod aliud fuisse ab eo quod exhibemus, inde colligimus, quod in illo actum sit *de decimis dandis*: de quo in hoc nostro ne verbum quidem. Quod a Lothario recensetur, probabiliter actum fuit ipso regnante Lothario.

(2) *Qualiter.*) Lege, *aliter*.

(3) *Gamatos.*) Hoc est, *percussiones*.

(4) *Cercata.*) Hoc est, *circumitionem*, visitandæ scilicet diœcesi: Italice, *il giro della Diocesi*.

(5) *Armissos.*) Legendum forte, *arnesios*; armaturas scilicet, quibus militares viri caput, corpusque tegebant.

(6) Quid sibi velit hæc sanctio, plane non assequor. Anne cusæ tunc fuerint novæ denariorum formæ, & antiquæ interdictæ? Hoc rei numismaticæ studiosis haud ingratum erit observare.

(7) *Karolus &c.*) In editione Muratorii legitur hæc Epistola inter leges Langobardicas Caroli M. lege CLIII. (Vol. I. hujus collect. pag. 168.) Hic illam repeto, utpote pleniorem ex Baluzio, qui eam ad annum DCCCVII. pertinere ratus est.

accipiant, non solum super liberos homines, sed etiam in Ecclesias Dei, monasteria videlicet virorum ac puellarum, & xenodochia, atque diversas plebes, & super reliquos servientes Ecclesiarum Dei, (1) in eorum opera, id est, in vineis & campis, seu pratis, necnon & in eorum ædificiis illos faciant operari, & carnaticos & vinum contra omnem justitiam ab eis exactare non cessant, & multas oppressiones patiantur ipsæ Ecclesiæ Dei vel servientes earum, Ideoque, carissime fili, has litteras ad tuam dilectionem direximus, ut hanc caussam diligenter ac prudenter inquirere facias; & si veritas est quod ita factum sit, deinceps omnimodis emendare & corrigere studeas: quatenus in diebus nostris ac tuis pax Ecclesiarum Dei, sive illarum servientium, in omnibus conservetur, & ut merces copiosa nobis ac tibi jugiter adcrescat. Audivimus etiam quod quædam capitula (2) quæ in lege scribi jussimus, per aliqua loca aliqui ex nostris ac vestris dicant, quod nos nequaquam illis hanc caussam ad notitiam per nosmetipsos condictam habeamus, & ideo nolunt eis obedire, nec consentire, neque pro lege tenere. Tu autem nosti, quomodo vel qualiter tecum locuti fuimus de ipsis capitulis. Et ideo admonemus tuam amabilem dilectionem, ut per universum regnum tibi a Deo commissum ea nota facias, & obedire atque implere præcipias, de Episcopis (3) & Sacerdotibus occisis, sicut statutum habemus, & de reliquis quibuslibet caussis. Veruntamen de Presbyteris videtur nobis, ut si liber natus est Presbyter, tripla compositione secundum suam legem fiat compositus; & si plagatus fuerit, secundum qualitatem plagarum, vel disciplinæ, tripla compositione emendetur qui hoc perpetraverit. Si autem Presbyter servus natus fuerit, secundum illius nativitatem tripla compositione solvatur in plagis & disciplinis. Et de Diaconibus similiter fiat. His expletis, bene vale semper in Domino, fili dilectissime.

## CAPITULUM (4) CAROLI MAGNI.

Volumus etiam, & statuimus, de plateis vel cloacis curandis uniuscujusque Civitatis de regno Italiæ pertinentibus, ut singulis annis curentur. Tamen non volumus, quod exinde pandum aliquis ad partem Palatii nostri persolvat, sed præcipimus quatenus exactores singularum Civitatum studium habeant, ne ante finiatur annus, quam plateæ & cloacæ emundentur. Et hoc unusquisque Procurator Civitatis publice ex nostra Imperiali parte admonendo præcipiat, ne prætermissum fiat.

# LUDOVICUS PIUS.

## CAPITULARE (5) EX MABILLONIO.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Hludwicus nutu divino a Deo coronatus serenissimus Augustus, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, seu cunctis fidelibus nostris. Capitula, quæ nobis addere placuit, hæc sunt.

I. Si quis cum altero (6) de qualibet, *&c. ut Tomo I. col. 601. cap. X. bis exceptis*. In ecclesiasticis vero negotiis Crucis judicio rei veritas inquiratur. Hoc de timidis atque imbecillibus sive infirmis, qui pugnare non valent, ut nullatenus propter

(1) *Ecclesiarum Dei.*) Amanuensis, vel Typographi errato deest linea, quam supple ex Muratorio loco laudato.

(2) *Quædam capitula.*) Quæ scilicet a Carolo Magno addita fuerant legi Salicæ, ex quibus vel quamplura, vel omnia, jussit addenda quoque legibus Langobardorum. Confer Capitula addita legi Salicæ Tomo II. hujus collect. pag. 156. seqq. & leges Langobardicas Caroli M. Tomo I. pag. 161. seqq.

(3) *De Episcopis &c.*) Hæc usque ad verba, *His expletis*, absunt hoc loco apud Muratorium, ut & a Codice Veronensi; prostant vero in editis in calce legis CI. Caroli Magni, & in Codicibus Estensi, & Veronensi aliis in locis. Vide notas Muratorii ad legem CI. Caroli Magni, & excerpta ex Codice Veronensi ibidem. Porro hisce corrigitur Capitulum I. ex supra memoratis, quæ legi Salicæ addita fuerant.

(4) *Capitulum &c.*) Ex Heroldo pag. 328. Ex iis, quæ infra leguntur, *ex nostra Imperiali parte*, colligimus, sanctionem, latam fuisse, post adeptum a Carolo imperium.

(5) *Capitulare.*) Edidit itidem Mabillonius ex supra memorato Codice Bibliothecæ Chigianæ, Musæi Italici Tomo I. P. II.

(6) *Si quis cum altero &c.*) Est lex Langobardica III. Ludovici Pii (Vol. I. hujus Collect. pag. 183.), & extat inter Capitula ab eodem Augusto addita ad legem Salicam *anno Imperii sui quinto*. Vide Vol. II. hujus Collect. pag. 171. & 173. Utrobique autem ne verbum quidem de judicio Crucis.

pter hoc justitia sua careant, censemus faciendum. Testes vero de qualibet re non aliunde &c.

IV. Si duo testimonia (1) de qualibet re fuerint, & inter se discordent, tunc Comes eligat unum ex una parte, & alium ex altera parte: ut illi duo decertent cum scutis & fustibus. Nam si flebiliores fuerint ipsi testes, tunc ad Crucem examinentur. Quod si majoris ætatis sunt, & non possunt ad Crucem stare; tunc mittant aut filios, aut qualemcumque hominem possunt, qui pro eis hoc contendat: & ille qui de illa falsitate convictus fuerit, dextram manum perdat.

V. De omnibus debitis (2) solvendis, sicut antiquitus fuit constitutum, per XII. denarios solidus solvatur per totam Salicam, excepto leudes. Si Saxo aut Friso aliquem occiderit, per XL. denarios solidus solvatur. Infra Salicos vero ex utraque parte de omnibus debitis, sicut diximus, XII. denarii pro solido solvantur, sive de homicidiis, sive de rebus.

VI. De mannire vero, nisi de ingenuitate, *&c. ut in editis*.

*Item alia Capitula*.

VII. Primum omnium placuit (3) nobis, ut cartulæ, *&c. ut in edit. Tom. I. col. 689.*

VIII. Qui pulsat quod res venumdasset, & non justo pretio; accedant ambæ partes super res quas venumdavit, & existimatores cum ipsis, & rememorent & appretient res ipsas, sicut tunc valebant, quando res ipsæ bene restauratæ fuerunt, antequam nos huc cum exercitu nostro issemus. Et si res ipsa sic appretiata fuerit justo pretio, sicut in ipsa cartula legitur, quod res ipsæ justo legitimo pretio venumdassent, sicut tunc valuerunt, ut dictum est; venditio ipsa firma permaneat. Nam si res ipsas amplius æstimaverint quod tunc valuissent, quam pretium ipsum quod accepit; & ipse qui venumdaverit ostendere potuerit, ut ex necessitate famis venditionem ipsam fecisset; aut in cartula ipsa manifestaverit tempore necessitatis famis: cartula ipsa frangatur, & pretium juxta ut in ipsa cartula legitur, reddat, & recipiat res suas, sicut modo invenit eas: ante posito ædificio aut labore, qui postea ibi factus est, ipse qui fecit tollat, aut sicut inter eos convenerit: & de ista venditione ipsa persona agat quæ venumdavit, aut filius ejus non alter propinquus.

IX. Cartulæ illæ, quæ leguntur de donatione, similiter volumus ut appretientur. Si amplius valuerint res ipsæ, quando restauratæ fuerunt, quam ipse launegild fuisset, quando accepit; & ipsam donationem similiter strictus ex necessitate famis fecisset, & si probare potuerit, reddat launegild, & recipiat res suas, & cartula ipsa frangatur.

X. De donatione (4) vel venditione, quæ in loca venerabilia facta sunt, suspendi jussimus, dum enim compensaverimus in Synodo cum Episcopis, & Comitibus, quomodo fieri debeant: & hoc jubemus, ut illis partibus justum procedat judicium, ubi nos aut nostra ostis fuerimus per illud quod supra scriptum est. Et hoc statuimus, ut cartulæ illæ, quæ tempore Desiderii factæ fuerunt per districtionem famis, aut per qualecumque ingenium, ut ista causa non computetur: sed juxta legem ipsorum exinde procedat judicium. Et hoc damus in mandatis, ut quicumque homo ab hac præsenti die XX. mensis Februarii suas vendere res voluerit, in omnibus eorum pertineat potestatem: tantum sic faciant, sicut eorum fuerit lex. Unde qualiter nobis placuit præsentem deliberationis notitiam pro amputandis contentionibus fieri jussimus, & nobis legi fecimus, & volumus ut sic procedat judicium. Facta notitia anno dominorum nostrorum (5) .....

CA-

(1) *Si duo testimonia &c.*) Hoc, & sequentia duo Capitula ediderat Eccardus ex Codice Guelpherbitano cum hac antiqua Epigraphe: *Incipiunt Capitula, quæ Domnus Hludowicus Imp. anno III. addere jussit*. Legitur lex ista inter Langobardicas Ludovici Pii lege XVIII. demptis tamen iis, quæ ad Crucis judicium spectant; quæ tamen leguntur apud Eccardum, atque in Codicibus Estensi, & Veronensi, ex integro, prout extant apud Mabillonium. Si quis vero quærat, cur in quibusdam veteribus Codicibus legantur clausulæ præfatæ de judicio Crucis, in aliis vero non legantur, respondendum putarem, sub ipso Ludovico Pio aboletum fuisse Crucis examen in Aquisgranensi Conventu cap. XXVII. *Sancitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem Crucis facere præsumat; ne quæ Christi passione glorificata est, cujuslibet temeritati contemptui habeatur*. Interdictum Italis repetiit Lotharius I. Lege Langobardica XC. Cum sanctio ipsa usu recepta fuisset, plerique legum exscriptores verba ad judicium Crucis spectantia prætermittenda esse censuerunt.

(2) *De omnibus debitis &c.*) Adest hoc, ut & sequens Capitulum inter leges Langobardicas Caroli M. LXXVI. & LXXVII. & tamen in Codicibus, quibus usi sunt Eccardus, ac Mabillonius, ea adscripta leguntur Ludovico Pio. Facile Ludovicus patris constituta vel edixit, vel repetiit, ut insuetum non erat.

(3) *Primum omnium placuit &c.*) Est inter Langobardicas Ludovici Pii lege V.

(4) *De donatione &c.*) Capituli partem ex Ambrosiano Codice edidit Muratorius inter Langobardicas Lotharii I. lege CV. & CVI.

(5) *Anno dominorum nostrorum.*) Supplerem: *Ludovici, & Lotharii*; unde consequitur Capitulum hoc emanasse, Lothario Regnum Italiæ tenente, patrisque in Imperio consorte; non ante annum DCCCXVII.

## CAPITULA CONVENTUS AQUISGRANENSIS ANNI DCCCXVI. SUB LUDOVICO PIO. (1)

DE Epiſcopis vero in Longobardia conſtitutis, qui ab his quos ordinabant ſacramenta & munera (2) contra divinam & canonicam auctoritatem accipere vel exigere ſoliti erant, modis omnibus inhibitum eſt, ne ulterius fiat: quia juxta ſacros canones uterque a gradu proprio talia facientes decidi debent.

# LOTHARIUS I.

## CAPITULA ROMANA.

*Ex Conſtitutionibus (3) Hlotharii ſub ſecundo Eugenio Papa geſtis in atrio beati Petri Apoſtoli.*

I. COnſtituimus ut omnes, qui ſub ſpeciali defenſione Domni Apoſtolici, ſeu noſtra, fuerint ſuſcepti, impetrata inviolabiliter utantur defenſione. Quod ſi quis in quocunque violare præſumpſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ incurſurum. Nam & hoc decernimus, ut Domno Apoſtolico in omnibus juſta ſervetur obedientia, ſeu Ducibus & judicibus ſuis ad juſtitiam faciendam.

II. Ut deprædationes quæ hactenus fieri ſolebant, nullo modo fiant, neque vivente Pontifice, neque defuncto. Si quis vero ulterius hoc fecerit, ſciat ſe legali ſententia condemnandum. Quæ vero retro factæ ſunt, legaliter emendentur.

III. In electione autem Romani Pontificis nullus ſive liber, ſive ſervus, præſumat aliquod impedimentum facere; ſed illi ſolummodo Romani, quibus antiquitus conceſſum eſt conſtitutione Sanctorum Patrum, ſibi eligant Pontificem. Quod ſi quis contra hanc noſtram conſtitutionem facere præſumpſerit, exilio tradatur.

IV. Volumus etiam, ut Miſſi conſtituantur a Domno Apoſtolico, & a nobis, qui annuatim nobis renuntient, qualiter ſinguli Duces & judices juſtitiam populo faciant, & quomodo noſtra conſtitutio ſervetur. Decernimus itaque, ut primum omnes clamores, qui neglegentia Ducum aut judicum fuerint, ad notitiam Domni Apoſtolici deferantur; ut ſtatim aut ipſe per ſuos nuntios eoſdem emendari faciat, aut nobis notificet, ut legatione a nobis directa emendentur.

V. Volumus etiam, ut omnis ſenatus & populus Romanus interrogetur quali vult lege vivere, (4) ut ſub ea vivat; eiſque denuntietur, quod procul dubio, ſi offenderint contra eandem, eidem legi qua profitebuntur, ex diſpoſitione Domni Pontificis & noſtra omnimodis ſubjacebunt.

VI. De rebus autem Eccleſiarum injuſte retentis, ſub occaſione quaſi licentia accepta a Pontifice, volumus, ut a Legatis noſtris in poteſtatem Domni Pontificis, & in jus Romanæ Eccleſiæ celerius redigantur.

VII. Præcipimus etiam, ut deprædationes in confinio noſtro non fiant; & quæ factæ ſunt, & cæteræ injuſtitiæ ſecundum legem ab utriſque partibus emendentur.

VIII. Placuit etiam nobis, ut cuncti Duces, & judices, ſive alii, qui cunctis præeſſe debent, in noſtram præſentiam, dum Romæ ſumus, conveniant. Volumus enim & numerum & nomina eorum ſcire, & ſingulis de miniſterio ſibi credito admonitionem facere.

IX. Noviſſime præcipimus, & monemus, ut omnis homo, ſicut Dei gratiam & noſtram habere deſiderat, ita præſtet in omnibus obedientiam, atque reverentiam Romano Pontifici.

---

(1) *Sub Ludovico Pio.*) Qui Conventum congregavit *ex omni Imperio ſuo*, ut Capitularis Rubrica habet apud Baluzium, ex quo hoc deprompſi Capitulum. In Collectione Capitularium Anſegiſi Abbatis perperam tribuitur Carolo Magno; qua de re conſulatur Baluzius in Præfatione ad Capitularia art. XLIII.

(2) *Sacramenta & munera.*) Quamvis Epiſcopi agerent, quæ antiquiora Eccleſiæ inſtituta non ferrent, tamen a Simoniaca labe excuſandos eſſe cenſeo, ex iis quæ dicam in Monito ad Aſſiſias Hieroſolymitanas ad Superiorem Curiam pertinentes.

(3) *Ex Conſtitutionibus &c.*) Editæ ſunt a Luca Holſtenio in Collectione Romana Parte II. & ab aliis repetitæ. Corpori quoque legum Langobardicarum (demptis Capitulis IV. & VII. leguntur inſertæ.) Conditæ ſunt anno DCCCXXIV. De his quædam dixi in Monito ad libros Capitularium Vol. III. huju Collect. Ex his etiam elicies, Romanos Pontifices jam tum habitos eſſe temporales Principes Romæ, Ducatuſque Romani, ſalvis juribus Imperatoris.

(4) *Quali vult lege vivere.*) Cum plurimi Franci, Langobardi &c. Romam confluerent, Romæ quoque datum eſt, ut ſua quiſque viveret lege.

LU-

# LUDOVICUS II.

## CAPITULA CONSULTATIONIS.

*Capitula (1), quæ gloriosus Imperator Hludouvicus suis Episcopis de statu sui regni considerare præcepit.*

DE conversatione Episcoporum, Presbyterorum, & ceterorum Clericorum, de doctrina & prædicatione in populo, de conscriptione librorum, de restauratione Ecclesiarum, de ordinatione plebium & xenodochiorum, de monasteriis virorum seu feminarum, quæ secundum regulam sancti Benedicti, vel ea quæ secundum canonicam auctoritatem disposita esse debent, quicquid in præfatis ordinibus extra ordinem est, aut per negligentiam præpositorum, aut per desidiam subditorum, vehementer cupio scire, & secundum Dei voluntatem, vestrumque sanctum consilium sic emendare desidero, ut in conspectu Dei nec ego reprobus sim, neque vos & populus in commissis iram suæ indignationis incurrat. Quomodo autem istud rationabiliter quæsitum & inventum perficiatur, vobis hoc ad tractandum ac nobis renuntiandum committimus. De minoribus quoque causis, quæ generaliter omnes, specialiter aliquos tangunt, & indigent emendatione, volumus ut posthac illas quæratis, & ad nostram notitiam reducatis; sicut est de Comitibus, & eorum ministris, si justitias negligunt, aut ipsas vendunt, si sunt rapaces, aut ecclesiarum, viduarum, orphanorum, aut pauperum oppressores, si ad prædicationem veniunt, si debitum honorem aut obedientiam Sacerdotibus suis impendunt, si aliquas novitates aut argumenta, quæ ad detrimentum populi pertinent, agere præsumunt, sicut est in acquirendis proprietatibus, aut irrationabiles preces ad adjutoria facienda, sive in reliquis causis, quæ ad peccatum nostrum pertinere possunt ac populi nostri.

*Rescriptum consultationis seu exhortationis Episcoporum ad Dominum Hludouvicum Imperatorem.*

Domno gloriosissimo Regi Hludouvico pax & vita & victoria ministretur a Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo. Nos quidem in Dei nomine Angilbertus Archiepiscopus, & Andreas Patriarcha, una cum Joseph Archicapellano, cum ad hanc synodum in urbe regia Ticino congregatam venissemus, replicavimus eis piam vestram exhortationem, qua viva voce ad nos usi fuistis, flagrantes Spiritus sancti munere, & ultra quam hujus ætatis teneritudo capere potuisse videretur, totius modestiæ & gravitatis, atque sapore sapientiæ conditam protulimus, etiam & coram eis relegi fecimus commonitorium a vestra nobis magnificentia traditum. Quibus auditis, omnes unanimiter pro vestra indole omnipotenti Deo dignissime gratias egerunt, quia populo suo tam piissimum, tamque sanctissimum Principem dedit, qui cuncta ordinabiliter disponere cupit.

I. Et quoniam religiosa solicitudo vestra primum de conversatione Episcoporum, Presbyterorum, & cæterorum Clericorum quærere studuit, nos quoque, quo regulariter melius fieri potuit, eundem ordinem servamus. Episcopum quidem ita conversari debere pronuntiamus, ut ejus vita recte vivendi sit norma. Presbyteros vero & Clericos ita vivere oportet, ut subditæ plebi exemplo suæ conversationis proficiant. Et quidam coepiscoporum nostrorum, qui bonæ conversationis sibi conscii sunt, palam fateri recusabant, ne sui ipsorum laudatores viderentur. Qui vero negligentiam suam recognoscunt, more humani ingenii se ipsos accusare verebantur. Juxta commonitionem tamen vestram diligentius perscrutantes, quosdam quales desideratis, qua-



(1) *Capitula &c.* ) Haud facile est hujus Capitularis epocham invenire. Ex Consultationis Procemio colligimus Ludovicum tum fuisse teneræ ætatis; itemque in consultationis contextu is *Rex*, aut *Regia Majestas*, non *Augusti*, aut *Imperatoris* titulo donatur; quod tamen fieri consueverat erga Italiæ Reges, qui adepti fuissent Imperiale diadema; quo innuitur Consultationem peractam fuisse antequam Ludovicus II. esset Imperator. Adde, quod in eodem procemio inter Præsides Synodi memoretur *Andreas Patriarcha Aquilejensis*, qui anno DCCCL. inter vivos amplius non erat, cum alteri Synodo eodem anno Ticini celebratæ præfuerit Teutimarus, qui post Andream sedem Aquilejensem tenebat. Hanc igitur consultationem rejiciendam arbitror inter annum DCCCXLIV. quo Ludovicus ad Italiæ thronum evectus est, & annum DCCCXLIX. vel DCCCL. quo constitutus fuit Romanorum Imperator; intra quod temporis intervallum Aquilejensem sedem regebat Andreas, ut probat P. de Rubeis Monum. Aquil. pag. 436 Novi, hoc ab aliis referri ad annum DCCCLV. forte quod hæc epocha descripta sit ad Capitula VII. quæ subinferuntur *post responsionem Episcoporum*; quæ tamen ad subsequentem alteram Ticinensem Synodum spectare reor. Epigraphes autem hujusce Consultationis, quibus Ludovicus *Imperator* nuncupatur, aptæ non sunt infirmare sententiam; cum ejusmodi inscriptiones a sequioris ævi exscriptoribus pluries deprehendantur invectæ.

lesque populi Dei pastores & rectores esse decet, invenimus. Quorundam vero negligentiam vel erga Clericorum suorum custodiam vel erga plebium solicitudinem reperimus; quibus ut aliquantulum emendandi spatium tribuatis, humiliter petimus. Qui si cito delicta non correxerint, severiori sententiæ subjacebunt.

II. Ceterum si quilibet laicorum vel Clericorum contra Episcopum, vel alicujus ordinis Clericum aliquid queritur, noverint nos paratos & legitimam præbere audientiam, & si quid perperam gessisse probati fuerint, debita animadversione puniri.

III. Doctrina vero & prædicatio in populum, partim Episcoporum & reliquorum Sacerdotum, partim vero populi negligentia, non sicut necessarium est, procuratur. Et Sacerdotum quidem injuria (1) nullatenus est excusanda. Quidam vero laici, & maxime potentes ac nobiles, quos studiosius ad prædicationem venire oportebat, juxta domos suas basilicas habent; in quibus divinum audientes officium, ad majores Ecclesias rarius venire consueverunt. Et dum soli afflicti & pauperes veniunt, quid aliud quam ut mala patienter ferant, illis prædicandum est? Si autem divites, qui pauperibus injuriam facere soliti sunt, venire non renuerint, admoneri utique possent, ut eleemosynis peccata sua redimerent, & a fluxu rerum temporalium se abstinerent. Admonendi sunt igitur potentes, ut ad majores Ecclesias, ubi prædicationem audire possint, conveniant, & quantum dono omnipotentis Dei divitiis & honoribus cæteros antecedunt, tanto ad audiendum præcepta conditoris sui alacrius festinent.

IV. Quidam autem Comites & Vassi dominici Presbyteros & Clericos nostros cæteros, quod nec Episcopis facere licet, absque nostra licentia recipiunt. Insuper etiam ubicunque ordinatos, & quosdam, de quibus dubium est utrum consecrati sunt, in parochiis nostris absque nostra examinatione Missas celebrare faciunt. Quod ne ulterius fiat, omnimodis est inhibendum. Quare in ordinandis plebium rationibus civium instituta serventur, & pestiferæ ambitionis vitium radicitus extirpetur, & neque ob quorundam propinquitatem, neque pro alicujus familiaritatis gratia, neque, quod maxime detestandum, propter pecuniarum acceptionem, indignus quilibet ordinetur. Et primum quidem ipsius loci Presbyteri, vel cæteri Clerici, idoneum sibi rectorem eligant. Deinde populi, qui ad eandem plebem aspicit, sequatur assensus. Si autem in ipsa plebe talis inveniri non potuerit, qui illud opus competenter peragere possit, tunc Episcopus, de suis quem idoneum judicaverit, inibi constituat.

V. Sane removenda quorundam laicorum procacitas, qui hoc solo obtentu quod ad electionis consortium admittuntur, Archipresbyteris suis dominari præsumunt, & quos tanquam patres venerari debuerant, velut subditos contemnunt. Hi igitur intra proprii juris terminos sunt redigendi. Et si extraordinariam dominationem in Ecclesiis exercere præsumpserint, regia sunt disciplina coercendi. Ipsi vero, qui ad gubernandas plebes legitime provecti sunt, nullatenus a suis Episcopis repellantur, nisi aut in alicujus criminis reatum inciderint, aut easdem plebes male tractaverint.

VI. Tollenda est enim prava omnino consuetudo, quæ in quibusdam locis oriri cœpit; quia nonnulli Archipresbyteri, vel aliorum titulorum custodes, fruges, vel alios Ecclesiarum reditus ad proprias domos abducunt. Quidam vero aliorum possessiones conducunt, ut in eis, quæ ab Ecclesiis suis male subtraxerunt, recondant. Nonnulli autem laicorum in tantum eorum nequitiæ se complices faciunt, ut quæ hujusmodi transgressores ab Ecclesia subripuerunt, ipsi in suis domibus abscondant. Tales ergo primum a suis Episcopis corripiantur. Quod si se citius corrigere noluerint, tanquam qui ecclesiasticas res sacrilega temeritate tractaverunt, synodali sententia feriantur. Laicos vero, qui post hanc denuntiationem socios se hujus expilationis præbuerint, tanquam furti reos, judiciaria coarctabit auctoritas.

VII. De restauratione Ecclesiarum illud capitulum sufficit, quod genitor vester (2) in Capitulare suo constituit. Sed ut servetur, vestra indiget admonitione.

VIII. Similiter & de xenodochiis, sicut in eodem Capitulari continetur, observandum est.

IX. De monasteriis autem virorum, seu feminarum, quæ secundum regulam sancti Benedicti, vel secundum canonicam auctoritatem disposita esse debent, quia inspiratio omnipotentis Dei, ut credimus, coveſtri moderaminis incitavit, ipsi gratias referimus. Nam quod jam maxima ex parte ordinem suum amiserint, omnibus est manifestum. Quæ ut ad pristinum statum reducantur, in Domini ac genitoris vestri, (3) ac vestra gloriosa dispositione consistit.

X. Ea quidem monasteria, quæ adhuc statum suum retinent, unumquemque Episcoporum, in cujus parochia constituta sunt, providere oportet, utrum ordinem suum teneant. Quod si aliter invenerit, una cum re-

(1) *Injuria.*) Legendum puto, *incuria*.
(2) *Quod genitor vester.*) Lotharius I. cujus leges de restauratione Ecclesiarum, & de xenodochiis inter Langobardicas adsunt.
(3) *In Domini ac genitoris vestri.*) Hinc colligimus, in vivis adhuc extitisse Lotharium I. qui vita functus est anno DCCCLV. die XXVIII. Septembris.

rectore monasterii corrigere debebit. Quod si rectoris monasterii principaliter culpa fuerit, & se suosque subditos ad Episcopi sui admonitionem corrigere dissimulaverit, synodica debet auctoritate percelli.

XI. Quidam autem Episcopi, & rectores monasteriorum, res Ecclesiarum suarum subtractas, & aliis personis largitas esse queruntur, & ideo ecclesiasticas utilitates nequaquam se implere posse dicunt: quæ ut restituantur, vestram regiam majestatem imploramus. Quia si hi qui eas pro animarum suarum remedio Ecclesiis contulerunt, præmium merentur, sine dubio damnatione digni sunt, qui eas subtrahere moliuntur.

XII. In sacris canonibus præfixum est, ut decimæ juxta Episcopi dispositionem distribuantur. Quidam autem laici, qui vel in propriis vel in beneficiis suas habent basilicas, contempta Episcopi dispositione, non ad Ecclesias, ubi baptismum & prædicationem, manus impositionem, & alia Christi sacramenta percipiunt, decimas suas dant, sed vel propriis basilicis, vel suis Clericis, pro suo libitu tribuunt. Quod omnimodis divinæ legi, & sacris canonibus constat esse contrarium. Unde vestram potestatem, ut eos corrigatis, expetimus.

XIII. Sacra docet auctoritas, ut publice peccantes publicæ pœnitentiæ subjiciantur. Inveniuntur autem quidam qui incesta matrimonia contraxerunt, & vel proximis suis, vel Deo sacris mulieribus copulati sunt. Quidam etiam publicæ possunt pœnitentiæ subjugari. Petimus, ut Comitum vestrorum auxilio fulciantur.

XIV. Quosdam ministros Comitum propter frequentia placita pauperiorem populum nimis affligere comperimus. Unde majestatem vestram obsecramus, ut Capitulare avi vestri (1) de hac re observari præcipiatis.

XV. De Comitibus vero, de quorum vita & actibus a nobis quærere voluit sublimitas vestra, quosdam tales esse scimus, quales Dei ministros & vestræ reipublicæ provisores esse decet. Nonnulli autem, ut se suosque ministros corrigant, vestra admonitione indigent. Quibus tamen ut aliquantulum emendandi spatium tribuatis exposcimus. Qui si se citius corrigere noluerint, regia sunt auctoritate reprimendi.

XVI. Statuimus etiam, ne Episcopi, quando pro confirmando populum parochias circumeunt, Archipresbyteros suos gravent, & hujusmodi dispensa contenti sint, panes centum, friskingas (2) quatuor, vini sextaria quinquaginta, pullos septem, ova quinquaginta, agnum unum, porcellum unum, annonam ad caballos modios sex, fœnum corr. tres (3); mel, oleum, cera, quod sufficit.

XVII. Petimus etiam, ut emunitates progenitorum vestrorum ita conservari præcipiatis, sicut a glorioso genitore vestro (4) in suo Capitulare constitutum est.

XVIII. Per singulas parochias eas festivitates populus observare studeat, quas proprius Episcopus venerari prædicaverit; ita ut neque illas negligant, quas sacerdotes monuerint, neque inani superstitione eas celebrare præsumant, quæ nequaquam sunt observandæ.

XIX. Si vero aliqui inventi fuerint, qui sacerdotibus obtemperare noluerint, per ministros reipublicæ distringantur, & satisfactionem pœnitentiæ, quam Presbyteri imposuerint, subire cogantur.

## CAPITULA VII. EDITA POST RESPONSIONEM EPISCOPORUM.

H*Abentur in Collectione Muratorii Legum Langobardicarum Additamento primo ad Leges Ludovici II. Collectionis nostræ Vol. I. pag. 216.*

---

(1) *Capitulare avi vestri.*) Alluditur, ni fallor, ad legem Ludovici Pii XLI. inter Langobardicas.

(2) *Friskingas.*) Eccardus in notulis ad Chartas Alsaticas ex antiquis monumentis, infert *Frischingam* esse anniculum porcum, vel ovem. Hanc interpretationem hic quadrare non puto, cum subter jam memoretur agnus unus, porcellus unus. Maurini Monachi aptius ad rem nostram pro pernis, vel spadulis accipi docent, sensu Germanicæ linguæ cohærente. *Frisch* enim est *recens*, & *sching*, *crus*, *perna*, & proprie crus suis; ut habet Wachterus in Glossario ad has voces. Ergo *Friskingas quatuor* aptius dicerem *quatuor recentes pernas*, vel *spadulas*, seu suinas, seu vervecinas. Nos dicimus, *quattro spadole fresche*.

(3) *Fœnum corr. tres.*) Creditur a quibusdam, breviatum *corr.* significare corbes. Sed anne pro *corredo* accipiendum, hoc est pro alimonio, aut cibo, ut Italus diceret, *tre pasti di fieno*.

(4) *Genitore vestro.*) Vide Leg. Langob. XVI. Lotharii I.

## CAPITULA LUDOVICI II.

*Capitula de rebus secularibus*, (1) *quæ statuit piissimus Imperator Hludouvicus, quæ gloriosi quoque genitoris ejus Hlotharii serenissimi Augusti auctoritate firmata sunt.*

I. PErventum est ad nos, quod eos, qui Romam orationis causa pergunt, vel qui negotiandi causa per regnum nostrum discurrunt, collecti latrones diripiant, eosque aliquoties vulnerent, vel occidant, & eorum bona diripiant. Ideo volumus, ut Comites nostri, eorum Sculdasii, adjunctis secum vasallis Episcoporum, si necessitas fuerit, ubicunque tales fuerint, studiosissime perquirant, ut eos capiant atque distringant. Et si hujus criminis reos invenerint, pœnas in legibus positas erga eos absque ulla negligentia exequantur, ut ab his malefactoribus regnum nostrum purgetur, & qui in nostra fiducia huc veniunt, sive orationis, sive negotiandi gratia, salvi esse possint. Sciat autem unusquisque fidelium nostrorum, quia quisque Comes & quilibet publicus minister hujusmodi malefactoribus aut assensum præbuerit, aut eos qui persequi neglexerit, nostræ indignationis motum sentiet, & proprio honore privabitur.

II. Sed & hoc comperimus, quia ex diversis locis hujusmodi noxii homines inter se conspirent, & diversos comitatus circumeuntes, prædas & rapinas per villas, seu per vias, vel per silvas faciant, & innocentes homines deprædentur & spolient. Et hi quoque similiter volumus, ut diligenti studio perquisiti capiantur, & distringantur. Et si obnoxii hujus sceleris inventi fuerint, legalibus pœnis absque ulla dilatione subjiciantur, ut hujusmodi inquietudo, & injusta direptio, a populo nostro auferatur, & liceat omnibus sub nostra ditione degentibus cum salvatione ac pace vivere, ut ordo reipublicæ secundum justam administrationem prorsus salvus & quietus permaneat.

III. Audivimus quoque, quod quidam domos & possessiones habentes, concilient sibi atque consocient latrones aliunde venientes, eosque occulte foveant & solatientur ad tale facinus perpetrandum, ut quicquid ipsi ex pernicioso opere adquisierint, cum eis partiantur; quod genus malefactorum pessimum judicamus; quin non solum ipsi mala peragunt, sed etiam aliorum opere & officio ad scelera abutuntur. Ubicunque igitur in tali suspicione quilibet venerit, & rumor in populo dispersus fuerit quod hæc facinora exerceat, si adhuc prolatum est, cum duodecim se purget. Si autem in aliquo manifestatus aut deprehensus est, statim capiatur & distringatur, & damnationem legibus præfixam sustineat. Ubicunque vero sive manentes, sive vagantes, latrones comprehendere publici muneris administrator voluerit, & ille se defensare conatus fuerit, si inter hæc forte eundem latronem occidi contigerit, nulla is qui eum occidit damnatione multetur, neque ullas inimicitias a parentibus, aut ullam persecutionem ab ullo ejus amico, vel propinquo, sustineat. Quod si aliquis ejus senior, aut propinquus, propter hoc vindictam facere conatus fuerit, & judex publicus eum compescere non potuerit, per fidejussores idoneos talis persona ad nostram deducatur præsentiam, ut complices & fautores sceleratorum nostra animadversione plectantur. Ubicunque autem fama est tales habitare, inquisitio per sacramentum per omnem populum circa manentem fiat; & cujuscunque gentis aut conditionis fuerit, per quos hoc inquiri melius potuerit, jusjurandum dare, cum a Comite conventus fuerit, recusandi non habeat potestatem.

IV. Sed & hoc pervenit ad notitiam nostram, quod quando potentes & honorati, sive ecclesiastici, sive seculares, ad nos veniunt, a populo, in quorum domibus mansiones accipiunt, suis usibus, suorumque equorum, necessaria per vim tollant, & hac occasione populus noster affligatur. Idcirco præcipimus, ut nullus fidelis noster, quicunque ad nostram præsentiam properat, nihil in veniendo aut revertendo ab aliquo violenter tollat, sed suis hominibus & equis, nisi forte ab amicis stipendia acceperit, ab hospitibus suis pretio justo comparet. Nam quicunque hujus mali famam habuerit, cum ad nos venerit, veracem hominem volumus ut det, qui pro suis omnibus juret nihil eos in itinere tulisse. Et si forte in aliquo se suosque obnoxios recognoscit, donet idoneum hominem qui juret, aut cuncta restituat his a quibus abstulisse visus est.

V. Hoc etiam multorum querelis ad nos delatum, quod potentes & honorati viri locis, quibus conversantur, minorem populum depopulentur & opprimant, eorum pra-

(1) *Capitula de rebus secularibus.*) Anno DCCCL. Concilium celebratum est *in Urbe Regia Ticino*, cui præfuere Angilbertus Archiepiscopus Mediolanensis, Teutimarus Patriarcha Aquilejensis, & Joseph Episcopus (Eporediensis) Archicapellanus. In eo decreta fuere nonnulla disciplinæ ecclesiasticæ perutilia; quibus Ludovicus II. quem Synodo interfuisse Muratorius in Annalibus scribit, hæc junxit Capitula tutandæ regni tranquillitati.

prata depascant, mansionem etiam contra voluntatem privatorum hominum, sive pauperum, domibus suis . . . . *Cætera desunt*.

## EX CAPITULARI (1) LUDOVICI II. SEU VERIUS LOTHARII I.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Incarnationis Domini nostri Jesu Christi anno DCCCLIV, anni Imperii Domni Hludouvici Imperatoris Augusti VI. Indictione IV., dum conventum fidelium nostrorum palatio nostro Ticinæ civitatis convocaretur, & simul eorum (2) & nostrorum nobilium consultu non solum ecclesiasticam utilitatem & populi salvationem, sed etiam totius regni statum perquirere studeremus, inter reliqua populus noster nobis quasdam petitiones obtulit, quas nos Dei amore, & eorum fidelitate ducti libenter suscepimus, atque ideo subter annotata capitula ad eorum utilitatem subscribi fecimus, quas in futuro pro lege tenenda firmamus.

Nostræ majestati reclamaverunt patres nostri, vel nostri (3), super eas superfluas factas inquisitiones. Ideo eis concedimus ab hinc in futurum nullas alias super eos fieri inquisitiones, nisi unde Karoli proavi, & avi nostri (4), tempore factæ fuerunt (5).

*Alio tempore dictus Serenissimus Augustus instituere prævidit Capitula (6).*

I. Si quislibet Episcopus, Abba, vel Comes, in propria sede, vel domo, aut villa residet, homines ipsius deprædationes fecerint, messes vel prata defensionis tempore (7) devastaverint, & hoc cognitum absque injusta dilatione non emendaverint, & factori condignam castigationem non imposuerit, ipsum malum ut lex est emendare cogatur, & insupet quadraginta dies & noctes vino & carne abstineat.

II. Per viam quoque ad palatium veniens aut rediens quicunque homines rapinam fecerint, & cognito statim non emendaverit, & factori condignam castigationem non imposuerit, omnia quæ rapta sunt, ut lex est, emendare cogatur, & insuper triginta dies a carne & a vino abstineat.

---

(1) Baluzium haud lubens sequor, qui erratas hujus Capitularis Epochas perspiciens, ipsum in notis rejecit in exeuntem annum DCCCLV. Sed ex subsequente Capitulo colligimus Lotharium, dum hæc constituta fuere, inter vivos adhuc egisse, qui tamen eo ipso anno defunctus est mense Septembri, ut supra dictum est. Baluzio suasit *Ludovici* nomen, & annus Imperii VI. in exemplari descriptus. Sed in exemplari, quod inter Sirmondicas schedas invenit Labbæus, desideratur annus æræ vulgaris, & nomen Imperatoris, & non annus Imperii VI. sed IV. occurrit. Quare tribuendum Lothario I. & ad annum DCCCXXVI. referendum esse putavit, quo vere Indictio IV. numerabatur, & annus ejusdem Imperii IV. Epocha deducta a coronatione Romana. Revera omnia ferme Capitula in hoc Capitulari contenta referuntur inter Leges Langobardicas Lotharii I. Ego Labbæi sententiam probatiorem esse putarem.

(2) *Et simul eorum.*) Labbæus, *& simul Episcoporum.*

(3) *Patres nostri, vel nostri &c.*) Idem: *Nostræ majestatis* (majestati) *reclamaverunt, vel patris nostri, super eos superflua; factas fuisse inquisitiones. Ideo &c.*

(4) *Karoli proavi, & avi nostri, tempore.*) Idem: *Karoli avi nostri tempore.*

(5) *Factæ fuerunt.*) Alia Capitula a Baluzio describuntur, & plura in Actis Conciliorum ad annum DCCCXXVI. & DCCCLIII. quæ tamen hic omitto, quod referantur inter Langobardicas leges Lotharii I. uno dempto, quod extat lege CXXV. Caroli Magni. Hoc a Carolo latum, ut mos habebat, a Lothario repetitum fuit.

(6) *Capitula.*) Hæc ex Labbæo, quæ videntur ab Ecclesiasticis Proceribus concinnata, & Regia subinde auctoritate suffulta; cum adnexa pœna potius pœnitentiæ canonicæ, quam pœnæ civilis rationem habeat.

(7) *Prata defensionis tempore.*) Ergo non toto anni tempore prata erant defensa. Qua de re quædam notavi ad Leg. Wisigoth. L. VIII. Tit. III. lege XII. Hic tantum Lectorem moneo, ut perspiciat, quam late inter populos idem mos diffusus esset.

# CAROLUS CALVUS.

## CONCILIUM TICINENSE (1)

### IN QUO CAROLUS IMPERATOR AB ANSPERTO MEDIOLANI ARCHIEPISCOPO, ET ALIIS ITALICI REGNI OPTIMATIBUS IN ITALIÆ REGEM ELECTUS FUIT.

GLoriosissimo & a Deo coronato magno & pacifico Imperatori (2) Domino nostro Carolo perpetuo Augusto. Nos quidem Ansbertus cum omnibus (3) Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac reliquis, qui nobiscum convenerunt Italici Regni Optimates, quorum nomina generaliter subter habentur inserta, perpetuam optamus prosperitatem & pacem.

Jam quia Divina pietas vos Beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli interventione per Vicarium ipsorum, Domnum videlicet Joannem Summum Pontificem & universalem Papam (4) vestrum ad profectum Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium incitavit (5), & ad Imperiale culmen Sancti Spiritus judicio provexit: Nos unanimiter vos protectorem, dominum ac defensorem omnium nostrum, & Italici regni Regem (6) eligimus, cui & gaudenter toto cordis affectu subdi gaudemus, & omnia, quæ nobiscum ad profectum totius Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium salutem decernitis & sancitis (7), totis viribus, annuente Christo, concordi mente, & prompta voluntate observare promittimus.

Anspertus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi.

Joannes Sanctæ Aretinæ Ecclesiæ humilis Episcopus subscripsi.

Joannes Episcopus Sanctæ Ticinensis Ecclesiæ subscripsi.

Benedictus Cremonensis Episcopus subscripsi.

Theudulphus Tertonensis Episcopus subscripsi.

Adalgaudus Vercellensis Episcopus subscripsi.

Azo Eporediensis Episcopus subscripsi.

Gerardus exiguus in exigua Laudensi Ecclesia Episcopus subscripsi.

Hilduinus Astensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Leodoinus Mutinensis Episcopus subscripsi.

Hildradus Albensis Episcopus subscripsi.

Rathonus Sedis Augustanæ Episcopus subscripsi.

Bodo humilis Sanctæ Aquensis Ecclesiæ (Episcopus) subscripsi.

Sabbatinus Januensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Filbertus Comensis Episcopus subscripsi.

Adelardus servus servorum Dei Veronensis Episcopus subscripsi.

Ego Paulus Sanctæ Placentinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Andreas Sanctæ Florentinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ragniensis (8) Abbas subscripsi.

Signum Bosonis (9) inclyti Ducis, & Sacri Palatii Archiministri, atque Imperialis Missi.

Signum Ricardi Comitis.
Signum Walfredi Comitis.
Signum Luitfredi Comitis.
Signum Alberici Comitis.
Signum Supponis Comitis.
Signum Hardingi Comitis.
Signum Bodradi Comitis palatii.
Signum Cuniberti Comitis.
Signum Bernardi Comitis.
Signum Airboldi Comitis.

Ju-

(1) *Concilium Ticinense.*) Exemplar est, quod Muratorius edidit ex Manuscripto Bibliothecæ Ambrosianæ (Rer. Ital. Script. Tomo II. P. II.) nonnullis variantibus ab iis, quę jam edita fuerant.

(2) *Imperatori.*) Sirmondus in notis ad Capitularia: *Imperator a Joanne VIII. Pontifice consecratus est die Natalis Christi exeuntis anni DCCCLXXV. in qua Imperator ab Italici Regni Episcopis, Proceribusque acclamatus est, & Capitula, quæ sequuntur, XV. edidit.* Hæc minus exacte, quia Carolus equidem Imperialem coronam accepit a Joanne Papa VIII. anno DCCCLXXV. sed nonnisi anno subsequente Ticini ab Italici Regni Episcopis & Proceribus electus, acclamatusque fuit Rex Italiæ. Videtur hanc electionem, seu solemnem recognitionem curasse Carolum, ut jura, quæ in regnum Italiæ sibi jure sanguinis competiisse censebat, adversus Ludovicum fratrem firmaret.

(3) *Ansbertus cum omnibus &c.*) Apud Baluzium reticetur nomen Ansperti Mediolanensis Archiepiscopi, Primatis Regni Italici.

(4) *Universalem Papam.*) Apud Baluzium additur, *spiritualemque Patrem vestrum.*

(5) *Incitavit.*) Baluzius, *invitavit.* Joannes Papa VIII. quatuor Episcopos ad Carolum direxerat, ut illum Romam invitaret.

(6) *Et Italici regni Regem.*) Hæc desunt apud Baluzium.

(7) *Decernitis, & sanctis.*) Baluzius, *decernetis & sancietis.*

(8) *Ragniensis.*) Baluz. *Reginerius.*

(9) *Signum Bosonis.*) Fratris Richildæ Imperatricis, qui Dux Lombardiæ constitutus erat, & Ducali corona decoratus. Vide Aimoinum lib. V.

*Juramentum* (1) *Ansperti Archiepiscopi.*

Sic promitto ego, quia de isto die in antea isti Seniori meo, quamdiu vixero, fidelis & obediens & adjutor, quantumcumque plus & melius sciero, & potuero, & consilio & auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero absque fraude & malo ingenio, & absque ulla dolositate vel seductione seu deceptione, & absque respectu alicujus personæ, & neque per me, neque per missum, neque per literas, sed neque per emissam, vel intromissam personam, vel quocumque modo, vel significatione contra suum honorem, & suam, Ecclesiæ, atque regni sibi commissi quietem & tranquillitatem, atque soliditatem machinabo, vel machinanti consentiam, neque aliquod umquam scandalum movebo, quod illius præsenti vel futuræ saluti contraria vel nociva esse possit. Sic me Deus adjuvet, & patrocinia.

*Quod Rex Carolus juravit Ansperto Archiepiscopo, atque Optimatibus regni Italici.*

Et ego quantum sciero & rationabiliter potuero, Domino adjuvante, te Sanctissime ac Reverendiss. Archiepiscope, & unumquemque vestrum, secundum suum ordinem & personam honorabo, & salvabo, & honoratum & salvatum absque ullo dolo, ac damnatione, vel deceptione conservabo, & unicuique competentem legem, ac justitiam conservabo, & qui illam necesse habuerint, & rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo. Sicut fidelis Rex suos fideles per rectum honorare, & salvare, & unicuique competentem legem, & justitiam in unoquoque ordine conservare, & indigentibus & rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere, & pro nullo homine ab hoc quantum dimittit humana fragilitas per studium, aut malevolentiam, vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum, & possibilitatem, & si per fragilitatem contra hoc mihi surreptum fuerit, cum recognovero, voluntarie illud emendare studebo, sic &c.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Incipiunt Capitula, quæ Domnus Imperator Carolus Hludovici piæ memoriæ filius una cum consensu & suggestione Reverendiss. (2) ac Sanctissimi Domini Ansperti Archiepiscopi Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, necnon Venerabilium Episcoporum, & Illustrium Optimatum, reliquorumque fidelium suorum in regno Italico (3) ad honorem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad pacem ac profectum totius Imperii sui, fecit anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCLXXVII. (4) Regni vero sui in Francia XXXVI. Imperii autem sui primo, Indictione IX. mense Februarii, in palatio Ticinensi.

## TITULI CAPITULORUM.

*Cap. I.* UT *Sancta Romana Ecclesia sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur.*

*II. Ut honor Domno & spiritali Patri nostro Joanni Summo Pontifici & universali Papæ ab omnibus observetur.*

*III. Ut in termino Beatorum Petri & Pauli Apostolorum nemo aliquam vastationem facere præsumat.*

*IV. Ut Ecclesiasticus honor, & Sacerdotalis atque Clericalis reverentia in omnibus custodiatur.*

*V. Ut Imperialis honor ab omnibus fideliter observetur, & præcepta a nullo violentur.*

*VI. Ut Episcopi ministerium suum secundum sacros Canones peragant prædicando, corrigendo, confirmando.*

*VII. Ut Episcopi præcipue per se prædicationem, & per suos exerceant, secundum jussionem Domini Nostri.*

*VIII. Ut seculares & fideles laici diebus festis in civitatibus ad publicas stationes occurrant.*

*IX. Ut nullus Presbyter latibulosa Missarum officia celebrare præsumat, sine Episcopi licentia.*

*X. Ut Episcopi proximum Ecclesiæ suæ claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero regulariter Deo militent.*

*XI.*

(1) *Juramentum &c.*) Desideratur apud Baluzium hæc juramenti formula, ut & sequens Caroli Regis. Apud Hincmarum vero Ep. LXI. legitur hæc eadem formula juramenti, quod ipse edere jussus est in Concilio Pontigonensi, ubi receptum fuit Ticinense Concilium, Hincmaro sedente primo post Legatos Sedis Apostolicæ. Formula ipsa apud Pithœum post XII. Scriptores inscribitur: *Generale omnium sacramentum*. Certe credendum est, omnes qui conventui intererant, idipsum juramentum præstitisse, vel a Primate editum singulos proprio nomine confirmasse; prout reciprocum sequens Regis juramentum non tantum Ansperto Archiepiscopo latum est, sed cæteris quoque præsentibus Episcopis, & Optimatibus.

(2) *Suggestione Reverendiss.*) Et hic apud Baluzium desideratur Ansperti Archiepiscopi nomen, atque simpliciter legitur: *suggestione Venerabilium Episcoporum &c.*

(3) *In regno Italico.*) Hæc quoque desunt apud Baluzium; quæ tamen ostendunt, subsequentia Capitula in solo Conventu Regni Italici sancita fuisse, quanquam subinde in Francorum Concilio Pontigonis celebrato recepta.

(4) *DCCCLXXVII.*) Lege, *DCCCLXXVI.*

*XI. Ut Presbyteri residere cogantur, sintque subjecti in omnibus suo Episcopo, secundum canonicam auctoritatem.*

*XII. Ut a domibus Sacerdotum propter malæ opinionis famam habitacula fœminarum penitus tollantur.*

*XIII. Ut venationem nullus in Sacris Ordinibus exerceat, neque arma militaria portare audeat.*

*XIV. Ut res ecclesiasticas nemo auferre præsumat, & alienata libellario, vel emphiteutico jure recuperentur.*

*XV. Ut Ecclesias Baptismales, quas Plebes appellant, secundum consuetudinem antiquam filii instaurent.*

*XVI. Ut Episcopi Comites, & Vassos Regios in Parochia sua diligant, & econtra illi Episcopos.*

*XVII. Ut prævideat unusquisque secundum ministerium suum, ne prædæ & devastationes fiant.*

*XVIII. Ut mortuo Episcopo nullus facultates diripiat, sed Erogatariis, & Eleemosynariis Ecclesiæ confugiatur.*

*XIX. Ut Decimæ collaborationum, & animalium, secundum sacra præcepta sine fraude offerantur.*

*XX. Ut nemo Fidelium quoquo modo celet aliquem, quem sciat esse Regi infidelem.*

## QUÆ SEQUUNTUR DESUMPTA SUNT EX EDITIONE CAPITULARIUM FRANCISCI BALUZII TOMO II.

Caput I. (1) UT Sancta Romana Ecclesia, sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur, et veneretur; neque quisquam contra jus et potestatem ipsius aliquid injuste agere præsumat: sed liceat ei debitum tenere vigorem, et pro universali Ecclesia pastoralem exhibere curam, atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

II. Ut honor Domno & Spiritali patri nostro Johanni Summo Pontifici & universali Papæ ab omnibus conservetur; & quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate Apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conservetur.

III. Et licet in omnibus id observare velimus, præcipue tamen sancimus, ut in termino Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Principum nemo in eundo, & redeundo, vel ibi morando, aliquam vastationem, & deprædationem facere præsumat; & quæ ipsius Sanctæ Ecclesiæ propria sunt, nemo aliqua iniqua machinatione, sine voluntate ipsius Sacri Pontificis sibi vindicare præsumat. Quod si quisquam fecerit, restitutis male præsumptis, immunitatem ipsius Ecclesiæ persolvat, & bannum nostrum tripliciter componat.

IV. Ut Ecclesiasticus honor, & Sacerdotalis, atque Clericalis reverentia, debita competentique sinceritatis religione ab omnibus amplectatur, et in omnibus custodiatur, sicut avi et genitoris nostri monent edicta.

V. Ut Imperialis honor ab omnibus fideliter observetur; et quæ ab eo seu per epistolam, seu per legatos præcipiuntur, a nullo impune audeant violari.

VI. Ut Episcopi ministerium suum, secundum sacros, et a Sancto Spiritu promulgatos Canones peragant; Parochias suas absque alicujus impedimento, prædicando, corrigendo, et confirmando circumeant; et in hoc agendo nullus ei contraire, et quod ad ministerium illorum pertinet contradicere in ipsis Parochiis audeat, vel eis exinde aliquam molestiam inferat; sed adjutor, si oportuerit, invitatus a Pontifice quisque Ecclesiæ filius existat; ut liceat eis criminalia scelera, et alia quæque corrigenda inquirere, discutere et dijudicare canonice. Quod qui temerare proterve præsumpserit, triplicem legem et triplex bannum nostrum persolvat.

VII. Ut Episcopi secundum sacram jussionem Domini Nostri Jesu Christi prædicationem per se, vel per suos congruenter exerceant, et Presbyteros suos ut similiter faciant instruere procurent.

VIII. Ut Seculares et fideles laici diebus festis, qui in Civitatibus sunt, ad publicas stationes occurrant: et qui in villulis et possessionibus sunt, ad publicum officium in Plebem festinent.

IX. Ut nullus latibulosa Missarum in suis domibus officia celebrare præsumat sine sui rationabili licentia Episcopi.

X. Ut Episcopi in Civitatibus suis proximum Ecclesiæ claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero secundum canonicam regulam Deo militent.

XI. Ut Episcopi Sacerdotes suos ad hoc constringant, ut Ecclesias non relinquant, & alibi habitare præsumant. Sint etiam subjecti proprio Episcopo secundum Canonicam auctoritatem, nec per contumaciam ab eorum potestate dissiliant. Neque seculari

(1) *Caput I.*) In Manuscripto Ambrosiano adsunt quidem suprascripti Capitulorum tituli, seu rubricæ, sed Capitulorum textus desideratur. Quare hæc deprompta fuere ex vulgata editione, non quidem ordine ibi descripto, sed eo qui superioribus titulis respondeat.

lari poteſtati ad hoc eis commendare ſe liceat, aut eos quilibet recipere audeat, aut contra Canonicas leges, & debitam Epiſcopi poteſtatem quodammodo defenſentur. Hujuſmodi vero Sacerdotes Epiſcopalis illico cenſura diſciplinis eccleſiaſticis ſubdat. Nec fas eſt omnium eorum ſollicitudinem Epiſcopos non gerere, quibus in committendis ſacris Ordinibus dignum viſum eſt communicaſſe.

XII. Ut domibus Sacerdotum, propter malæ opinionis famam, habitatio fœminarum penitus tollatur; neque illi in domos earum intrare indiſcrete præſumant, ne nomen Dei, quod abſit, per illos blaſphemetur, per quos laudari pie & jugiter debet.

XIII. Venationem quoque nullus tam ſacri ordinis exercere præſumat; neque arma militaria pro qualicumque ſeditione portare audeat, aut habitum quemlibet tantum apicem Sacerdotii non decentem aſſumat.

XIV. Ut res eccleſiaſticas tam mobiles, quam & immobiles nemo invadere, vel auferre præſumat; & quæ a Rectoribus Eccleſiæ hactenus, ob timorem vel favorem, alicui libellario, vel emphyteuticario jure doloſe, & cum damni detrimento Eccleſiæ amiſiſſe videntur, ad priſtinum jus revertantur: quatenus liceat illis, quibus earum cura commiſſa eſt, quieto & pacifico ordine eas tenere, & pro nobis, ac regno nobis a Deo commiſſo orare, pauperibuſque debita ſtipendia erogare, familiam Eccleſiæ juſte & rationabiliter regere, & gubernare. Tranſgreſſoribus autem indicimus injuſte præſumta reſtituere, & ſicut ſuperius præfixum eſt, triplicem legem, & triplex bannum noſtrum perſolvere.

XV. Ut Eccleſias Baptiſmales, quas Plebes appellant, ſecundum antiquam conſuetudinem Eccleſiæ filii inſtaurent.

XVI. Ut Epiſcopi Comites & Vaſſos noſtros in Parrochia eorum manentes paterno amore ſecundum eccleſiaſticum miniſterium diligant. Ipſi vero Comites & Vaſſalli, ſeu reliqua generalitas prædictos Epiſcopos ut ſanctos patres honorent & venerentur, & ad miniſterium illorum peragendum ubicunque potuerint, eos adjuvare decertent. Si vero, quod non optamus, eis infeſti, quominus quæ Dei ſunt exercere poſſint, reperti fuerint, aut ipſi contra leges officia ſua violaverint, & eos, quos venerari debent, inquietaverint, ſecundum Capitulare avi & genitoris noſtri emendent. Qualiter quoque Presbyteros ac reliquos gradus honorent, ipſius Capitularis forma doceantur. Ipſi nihilominus Epiſcopi, ſinguli in ſuo Epiſcopio, Miſſatici noſtri poteſtate & auctoritate fungantur.

XVII. Ut Epiſcopi, & Comites in ſuis miniſteriis commorantes in ſuis conſiſtant domibus cum ſuis Vaſſallis, neque præſumant occaſione hoſpitii in pauperioris cujuſpiam vicini domo, niſi rogati, commorari; quia ob hoc maxime deprædationes & diſcordias hactenus pullulaſſe manifeſtum eſt. Prævideant quoque, ſecundum miniſterium unuſquiſque ſuum, ne in poteſtate illorum prædæ & devaſtationes fiant. Et ſi aliqui hoc facere tentaverint, omni ſua virtute illis reſiſtant. Et ſi ipſi per ſe conſtringere illos ad emendationem non potuerint, conſtitutis Miſſis noſtris renuntient, ut ipſorum judicio legaliter ſecundum Capitulare avi & genitoris noſtri emendent. Quod ſi & ipſi hoc emendare nequiverint, ad noſtram notitiam perducant.

XVIII. Ut quotiens Divinum judicium aliquem Eccleſiæ Præſulem e ſeculo vocaverit, nullus ad ſuimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad jus ſuum transferat; ſed Erogatariis, & Eleemoſynariis Eccleſiaſticis, cum ipſius Eccleſiæ conſtituto Œconomo, liberum ſit, canonico more, juſte rationabiliterque deputata ſucceſſori futuro reſervare, vel quibuſcumque, ſicut expedit, pro ejus ſpiritu diſtribuere. Quod qui iniqua cupiditate tranſgredi præſumpſerit, ut ſuperius prælibatum eſt, irrefragabiliter multetur.

XIX. Ut decimæ conlaborationum, & animalium ſecundum ſacra præcepta Domino abſque fraude, & aliqua retractatione offerantur; & in poteſtate Epiſcopi maneat, qualiter Presbyteris diſpenſentur canonice.

XX. Ut nemo fidelium noſtrorum quodammodo aliquem celet, quem noſtrum ſcierit infidelem eſſe, neque ei ſuſtentationem quamcumque præſtare pertentet, ſi eum ad noſtram fidelitatem revocare nequiverit. Quicunque autem contra hæc fecerit, prædeceſſorum & progenitorum noſtrorum judicium experietur.

Anſpertus Archiepiſc. Mediolanenſis ſubſcripſi.

Joannes humilis Aretinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Adalardus ſervus ſervorum Dei Sanctæ Veronenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Adalgaudro Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Azo Eporedienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Benedictus Epiſcopus Cremonenſis ſubſcripſi.

Hildradus Albenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Gerardus exiguus Laudenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes humilis Sanctæ Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Theudulphus Terdonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Hilduinus Aſtenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Sabbatinus humilis Januenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Signum Boſonis Ducis & Miſſi Italiæ atque Sacri Palatii Archiminiſtri.

Signum Bernardi Comitis.

Si-

Signum Berdradi Comitis Palatii.
Signum Richardi Comitis.
Signum Airboldi Comitis.
Signum Cuniberti Comitis.
Signum Supponis Comitis.
Signum Alberici Comitis.
Signum item Bernardi Comitis.
Signum Hardingi Comitis.
Signum Berardi Comitis.

Joannes Tuſcanenſis (1) Epiſcopus Legatus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Domini Joannis Summi Pontificis Papæ Vicarius interfui, conſenſi.

Anſegiſus Senonum Metropolis Epiſc. Sanctæ & Apoſt. Sedis (Vicarius) in his, quæ ſuperſcripta ſunt interfui, conſenſi, & ſubſcripſi.

Et Joannes Aretinus Epiſcopus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus interfui, & ſubſcripſi.

Hincmarus Remorum Epiſcopus ſubſcripſi.

Aurelianus Lugdunenſis Epiſcopus in Chriſti nomine roboravi.

Otrannus Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus.

Bertmundus Ebredunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus.

Walterus humilis Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Giſlebertus Carnotenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hadebertus Sylvanectenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Valpertus Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Agenulfus Gabalitanenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Frotarius Archiepiſcopus conſenſit, & ſubſcripſit.

Joannes Rotomagenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Rangenelmus Tornacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Gerboldus Cabullonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildebodus Sueſſionenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Roſtagnus Sanctæ Arelatenſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ingelvinus Sanctæ Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Odo Belgivagorum Epiſcopus in Chriſti nomine ſubſcripſi.

Bernarius Gratianopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Brico Wapricenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Alduvinus Avenionenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hildebrandus Sagenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ragenfridus Meldenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Signandus Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Anſelmus Lemovicenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Wilelmus Carducenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Otulphus Sanctæ Tricaſſinæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Arnaldus Leucorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Teutricus Veſuntinorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Adalgaricus Auguſtudenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Wido Vallavenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Wilebertus humilis Catalaunorum Epiſcopus ſubſcripſi.

Heirardus Luxevienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Oterius Viſuarienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Hedenulphus Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Lupus Albienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Bernardus Sanctæ Viridunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Franco Tungrorum Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Wala Autiſſiodorenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Albuſtus Abbas in Monaſterio, quod dicitur Bethleem, ſive Ferrario, ſubſcripſi.

---

(1) *Joannes Tuſcanenſis.*) Quæ inde ſequuntur ſubſcriptiones ſunt Patrum, qui Synodo Pontigonenſi interfuerunt; quę vero pręcedunt, ſunt Pręſulum, & Optimatum Regni Italici, hic, ut reor, poſitę, quod inſertę reperirentur actis Ticinenſis Colloquii, quę in Pontigonenſi Concilio recepta ſunt; quanquam neque idem ſervetur ordo, aut numerus Procerum, quod amanuenſium incurię facile tribuendum. Italicos autem Pręſules, atque Optimates Concilio Pontigonenſi non interfuiſſe ſuadeor: ſi enim ibi iterum ſediſſent, eorundem ſubſcriptiones reponerentur ſaltem infra ſubſcriptiones Legatorum Sedis Apoſtolicæ; & Johannes Aretinus Epiſcopus bis non ſubſcripſiſſet, primo ut Procer Regni Italiæ, inde ut Apoſtolicæ Sedis Legatus.

GUI-

# G U I D O.

## SYNODUS TICINENSIS (1)

## PRO ELECTIONE, SEU CONFIRMATIONE WIDONIS IN REGEM ITALIÆ.

### Tituli Capitulorum.

*I. De Romanæ Ecclesiæ reverentia & immunitate servanda.*
*II. De obsequio præstando Summo Pontifici.*
*III. De Privilegiis & possessionibus Episcopalium Ecclesiarum non minuendis.*
*IV. De Episcoporum potestate super ecclesiasticis negotiis libere exercenda.*
*V. De nulla violentia, aut gravamine Episcopatibus, Abbatiis, & Xenodochiis, inferendo.*
*VI. De honore & quiete Clericalis Ordinis non violanda.*
*VII. De non exigendo aliquid supra Leges a plebeis hominibus, & de eorundem recursu ad Comitem, & Episcopum loci, indicta etiam pœna excommunicationis contra oppressores.*
*VIII. De Palatinis, ut pacifice vivant sine deprædatione.*
*IX. De rapinis non exercendis a transeuntibus per loca, tempore Placiti.*
*X. De excommunicationis pœna infligenda in adventantes ab exteris Provinciis, & eorum fautores, si rapinas exercuerint.*
*XI. De electione Widonis in Regem Italiæ, & ejusdem promissis.*
*XII. De causa hujus Synodi, & electionis.*
*XIII. De Widonis, in Regem Italiæ, declaratione.*

### P R Æ F A T I O.

POst bella horribilia (2) cladesque nefandissimas, quæ meritis facinorum nostrorum acciderunt huic provinciæ, disponente jura regni hujus cum tranquillitate, sopitis hostibus suis, insigni Rege, & seniore nostro Widone in aula Ticinensi, nos humiles Episcopi ex diversis partibus Papiæ convenientes, pro Ecclesiarum nostrarum ereptione & omnis christianitatis salvatione, quæ pene jam ad interitum desolationis inclinata erat, annuente nobis eodem Principe, in uno congregati sumus collegio ea videlicet ratione, ut his, per quos homicidia, sacrilegia, rapinæ, & cætera facinora perpetrata erant, dignam pœnitentiam ad capiendam salutem subtractis eis a malecæpto negotio per veram confessionem, Deo adjuvante, imponeremus. Ac ne ulterius tantum nefas excrescere, aut vires sumere valeret, pastorali provisione, & auxilio regio compescendum decrevimus.

### C A P I T U L A.

I. IN primis oramus, optamus, operamque damus, ut Mater nostra Sancta Romana Ecclesia in statu, & honore suo cum omnibus privilegiis & auctoritatibus, sicut ab antiquis & modernis Imperatoribus, atque Regibus sublimata est, ita habeatur, teneatur, & perenniter custodiatur illæsa. Nefas est enim, ut hæc, quæ totius corporis Ecclesiæ caput est, & confugium, atque relevatio infirmantium, a quoquam temere propulsari, vexarive permittatur, præsertim cum sanitas ipsius nostrorum omnium sit salubritas.

II. Ipse quoque Summus Pontifex a cunctis Principibus, & christiani nominis cultoribus digno semper veneretur honore, debitaque præcellat reverentia.

III. Singulorum Episcoporum Ecclesiæ cum suis privilegiis & possessionibus tam interioribus, quam exterioribus, inconvulsæ & incorruptæ absque aliqua sui deminoratione, vel quorumlibet pravorum hominum injusta vexatione permaneant, sicut præcepta Regum, & Imperatorum sibi collata continent.

IV. Rectoresque earum libere pontificalem exerceant potestatem tam in disponendis ecclesiasticis negotiis, quam in comprimendis legis Dei transgressoribus universis.

V. Sancimus etiam, ut neque in Episco-

(1) *Synodus Ticinensis.*) In Charta Monasterii Bobiensis, unde hæc Synodus exscripta fuit, præfertur titulus: *Sinodus Episcoporum Papiæ*. A Muratorio edita rejecta est in annum DCCCLXXXIX.

(2) *Post bella horribilia &c.*) Inter Berengarium Ducem Forojuliensem, & Widonem Spoleti Ducem præliis & armis acriter disputatum fuit de corona Italici regni.

ſcopatibus, neque in Abbatiis, vel Senodochiis, aut ullis Deo ſacratis locis ulla violentia, aut novæ conditionis gravamina imponantur, ſed ſecundum antiquam conſuetudinem omnes in ſuo ſtatu, ſuoque privilegio perpetuo maneant.

VI. Ut Sacerdotum omnium, & miniſtrorum Chriſti unuſquiſque in ſuo ordine condigno veneretur honore & reverentia, & cum omnibus rebus eccleſiaſticis, ac familiis ad ſe pertinentibus ſub poteſtate proprii Epiſcopi quietus & inconcuſſus permaneat, ſalva eccleſiaſtica diſciplina.

VII. Plebeji homines & univerſi Eccleſiæ filii libere ſuis utantur legibus; ex parte publica, ultra quam legibus ſancitum eſt, ab eis non exigatur, nec violenter opprimantur: quod ſi factum fuerit, legaliter per Comitem ipſius loci emendetur, ſi ſuo voluerit deinceps potiri honore: ſi vero ipſe neglexerit, vel fecerit, aut facienti præbuerit aſſenſum, a loci Epiſcopo uſque ad dignam ſatisfactionem excommunicatus habeatur.

VIII. Palatini, qui in regio morantur obſequio, pacifice ſine deprædatione Regi deſerviant ſuis contenti ſtipendiis.

IX. Hi vero, qui tempore placiti diverſis ex partibus conveniunt, nullam pertranſeuntes in villis ſeu civitatibus rapinam exerceant, ſibi neceſſaria antiqua conſuetudine digno pretio ementes.

X. Quicumque ab exteris Provinciis adventantes deprædationes atque rapinas infra Regnum hoc exercere præſumunt, hi cum quibus morantur aut ad audientiam eos adducant, aut pro eis emendent, neque eos ulterius in talibus auſis ſua poteſtate defendere audeant; quod ſi fecerint, inter excommunicatos habeantur quouſque reſipiſcant.

XI. Præterea quia glorioſus Rex Wido dignatus eſt nobis promittere conſervaturus ſe præſcripta capitula neceſſitate non minima confecta, & quæ in eis continentur, curam habens, Deo inſpirante, ſuæ noſtræque ſalutis, ſicut apertis indiciis jam demonſtrat: Ideo nobis omnibus complacuit eligere illum in Regem, & Seniorem atque defenſorem, quatenus amodò & deinceps, illo nos ſecundum regale miniſterium gubernante, ſinguli noſtrum in ſuo ordine obedientes & adjutores pro poſſe exiſtamus illi ad ſuam, Regnique ſui ſalvationem.

XII. Poſt obitum recordandæ memoriæ Domni Karoli (1) glorioſi Imperatoris & Senioris noſtri quot quantaque pericula huic Italico Regno uſque in præſens tempus ſupervenerint, nec lingua poteſt evolvere, nec calamus explicare; ipſis denique diebus quaſi ad certum ſignum ſupervenerunt, qui pro hoc Regno ut ſibi volentes nolenteſque (2) adſentiremur minis diverſis & ſuaſionibus inretitos furtive ac fraudulenter adtraxerunt. Sed quia illi ſuperveniente perſpicuo Principe Widone bis jam fuga lapſi (3) ut fumus evanuerunt, noſque in ambiguo reliquerunt tamquam oves non habentes paſtorem, neceſſarium duximus ad mutuum colloquium Papiæ in aula regia convenire, ibique de communi ſalute, & ſtatu hujus Regni ſollicite pertractantes, decrevimus uno animo, eademque ſententia præfatum magnanimum Principem Widonem ad protegendum, & regaliter gubernandum nos in Regem & Seniorem nobis eligere, & in Regni faſtigium, Deo miſerante, præficere, pro eo quod iſdem magnificus Rex divino, ut credimus, protectus auxilio de hoſtibus potenter triumphavit, & hoc non ſuæ virtuti, ſed totum divinæ miſericordiæ prudenter adtribuit. Inſuper etiam Sanctam Romanam Eccleſiam ex corde ſe diligere & exaltare, & eccleſiaſtica jura in omnibus obſervare, & leges proprias ſingulis quibuſque ſub ſua ditione poſitis concedere, & rapinas de ſuo Regno penitus extirpare, & pacem reformare & cuſtodire ſe velle, Deo teſte, profeſſus eſt.

XIII. Pro his ergo, & aliis multis ejus bonæ voluntatis indiciis ipſum, ut prælibavimus, ad Regni hujus gubernacula aſcivimus, eique toto mentis niſu adhæſimus, Seniorem piiſſimum, & Regem excellentiſſimum pari conſenſu ex hinc, & inpoſterum decernentes.

---

(1) *Domni Karoli.*) Craſſi.

(2) *Volentes, nolenteſque &c.*) Berengarium indigitant, cui anno præcedente ex Optimatum quamplurium electione atque conſenſu regnum delatum fuerat.

(3) *Bis jam fuga lapſi.*) Res tunc geſtas non ita referunt faſtorum Scriptores; ſed videtur, Epiſcopos adoraſſe fortunam Widonis.

# BERENGARIO I.
## ITALIÆ REGE
# LAMBERTO IMPERATORE
## ITALICI REGNI PARTI REGNANTE.

### CONCILIUM RAVENNATE (1) LXXIV. EPISCOPORUM, CELEBRATUM TEMPORE JOANNIS PAPÆ IX. ET LAMBERTI IMPERATORIS.

#### PRÆLOCUTIO PONTIFICIS.

QUia divina inſpirante miſericordia veſtra nobiſcum convenit fraternitas, ut nutu Sancti Spiritus, qui ſuis nunquam deeſt fidelibus, communi omnium veſtrum conſultu, fratres cariſſimi, ea, quæ neceſſaria Sanctæ Dei Eccleſiæ prævidimus, una cum ſpirituali filio noſtro, glorioſiſſimo videlicet Imperatore Lamberto, & veſtro ſancto Collegio, & quæ nocivo ſurculo pullulare conabantur in agro Sanctæ Eccleſiæ, canonico ſarculo eradicare ſtudeamus, quæ capitulatim annotata ſunt, ſi omnibus placent in conſpectu omnium legantur, examinentur, & examinata manibus omnium pro futura memoria roborentur, ne ulli unquam ſine ſtatus ſui periculo eadem violare liceat, ſed rata, & firma in perpetuum conſtant ad ſtatum & munimen Sanctæ Dei Eccleſiæ, ad ſalvationem omnium fidelium per Dei miſericordiam.

#### RESPONSIO.

IMmenſas Deo Salvatori noſtro laudes referimus, qui talem vos præfecit Eccleſiæ ejus opportunitatem decernere, ut omne ab ea zizanium eradicare conemini, prout in hac S. Synodo cunctis nationibus apertis declaratur indiciis. Capitula etiam, quæ pro generali omnium cautela ad robur & munimen Sanctæ Eccleſiæ conſcripta ſunt, ſi veſtræ placet pietati, legantur, qualiter per ea omnes doceamur, quæ obſervare, vel quæ cavere debeamus, ne in aliquo a regulis Sanctorum Patrum (quod Deus avertat) deviare inveniamur.

#### CAPITULA.

I. SI quis Sanctorum Patrum regulas contempſerit, & glorioſiſſimorum Imperatorum, Caroli videlicet Magni Imperatoris, & Ludovici, atque Lotharii, necnon & filii ejus Ludovici, quæ de Eccleſiaſticis Decimis in eorum Capitularibus (2) ſtatuta atque ſancita ſunt, non obſervaverit: (& eas alíubi, niſi in baptiſmalibus Eccleſiis (3), abſque conſenſu Epiſcopi dare temptaverit, vel retinere præſumpſerit) & qui dat, & qui recipit, auctoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & ſanctione ſanctæ Synodi excommunicationi ſubjaceat.

*Imperator autem iſta ſervanda propoſuit.*

II. Si quis Romanus, cujuſcumque ſit ordinis, ſive de Clero, ſive de Senatu, ſeu de quocumque ordine, gratis ad noſtram Imperialem majeſtatem venire voluerit, aut neceſſitate compulſus ad nos voluerit proclamare, nullus ei contradicere præſumat, & neque eorum res quiſpiam invadere, vel deprædari, aut eorum perſonas in eundo, vel redeundo, vel morando, inquietare præſumat, donec liceat imperatoriæ poteſtati eorum cauſas, aut perſonas, aut per miſ-



(1) *Concilium Ravennate.*) Hoc Concilium, uti & ſubſequens Lamberti Auguſti Capitulare, non modo ad Romanum Imperium, ſed ad plura Italici regni loca ſpectaſſe ambigendum non eſt; etenim Lambertus, quamvis non fuerit Italiæ Rex, illuſtri tamen portioni Italiæ regiæ tunc factionibus diviſæ principabatur. In Actis Conciliorum refertur ad annum DCCCCIV. ſed ejus verax epocha ad annum DCCCLXXXXVIII. eſt referenda, cum ante hunc annum Joannes IX. adhuc non eſſet Papa, & poſt hunc annum inter vivos amplius non extaret Lambertus.

(2) *In eorum Capitularibus.*) Quid Capitularium nomine intelligendum hic ſit, dictum eſt in Monito ad libros Capitularium, Vol. III. hujus Collect.

(3) *Niſi in baptiſmalibus Eccleſiis.*) Erant ſcilicet, qui decimas contulerant inferioribus Eccleſiis, quas ipſi in terris ſuis ſeu propriis ſeu in beneficium acceptis obtinebant. Vide ſupra Capitula Conſultationis ad Ludovicum II. cap. XII.

ſos noſtros deliberare. Qui autem eos inquietare, eundo, redeundo, vel morando tentaverit, vel eorum quidpiam rerum auferre; poſtquam per noſtram miſericordiam ſe proclamaverint, Imperialis ultionis indignationem incurrant.

III. Ut privilegium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quod a priſcis temporibus per piiſſimos Imperatores ſtabilitum eſt, atque firmatum, ita nunc a nobis firmetur, & diebus noſtris, ſicut condecet, immutilatum ſervetur, & Sancta Romana Eccleſia mater noſtra exaltetur, protegatur, ac defendatur, quoad Imperii noſtri eſt.

*Pontifex his ſubjicit iſta.*

IV. Ut Synodus, quæ veſtris temporibus in Baſilica Beati Petri Apoſtoli pro nonnullis malis eradicandis, & maxime pro cauſa Domni Formoſi (1) Sanctiſs. Papæ acta eſt, veſtro Imperiali conſenſu, & venerabilium Epiſcoporum, & optimatum veſtrorum roboretur, ac perpetualiter ſtabilita ſervetur. Quæ non invidiæ zelo, ſed rectitudinis gratia canonice peracta.

V. Ut tantæ impietates (2), pro quibus nos ad vos veniſſemus, quas etiam per territoria noſtra vidimus in tractationibus, deprædationibus, incendiis, rapinis, & violentiis, a vobis diligentiſſime inquirantur, ut prout neceſſe eſt legaliter emendentur: quoniam tanto dolore perculſi ſumus talia contemplantes, quod magis mori cupieramus, quam talia in noſtris diebus cerniſſemus, de quibus, ſi emendata non fuerint, vos, & nos a Summo Judice diſtincte quæremur. Ideo petimus, & per Chriſtum Dominum adjuramus, ut talia impunita non dimittatis.

VI. Ut pactum (3), quod a beatæ memoriæ veſtro genitore Domino Widone, & a vobis piiſſimis Imperatoribus, juxta præcedentem conſuetudinem factum eſt, nunc reintegretur, & inviolatum ſervetur.

VII. De locis autem, atque rebus, quæ in eodem pacto continentur, præcepta nonnulla illicita facta ſunt, quæ petimus, ut in eadem Synodo terminentur, & quæ non recte facta præcepta ſunt, corrumpantur.

VIII. Ut patrimonia, ſeu ſuburbana, atque maſſæ, & colonitiæ, nec non civitates, quæ contra rationem, quaſi per præcepta largita ſunt, petimus, reddatur, ipſaque . . . . .

IX. Veſtræ igitur majeſtati non manet incognitum, qualiter illicitas conjunctiones Romani, & Longobardi, ſimul & Franci, contra Apoſtolicam, & Imperialem voluntatem facere præſumpſere in territoriis B. Petri Apoſtolorum Principis: petimus, ut ſicut a veſtris anteceſſoribus Imperatoribus prohibitum eſt, ne quoquo modo fierent, ita amodo, veſtro auguſtali decreto omnimodis prohibeantur, & ſynodaliter, ne amodo ac deinceps fieri tententur, in perpetuum firmiter ſtatuatur atque firmetur.

X. De hoc ſane præ omnibus condolemus, quia ad tantum apoſtolicum culmen gratia Chriſti provecti, cum Eccleſiam Domini Salvatoris, quæ Conſtantiniana vocatur, deſtructam cerneremus, direximus pro illius aliqua reſtauratione ad trabes incidendas; ſed qui derecti ſunt a nobis, quæ neceſſaria erant, ob malitioſorum hominum infeſtationem, facere nullo modo valuerunt. Super quibus omnibus, cariſſime fili, videte nobiſcum, & quam ſit indecens, quantamque violentiam ſancta mater Romana Eccleſia ſit paſſa, medullitus conſiderate: & ut amodo & deinceps veſtro imperiali ſtudio ad optatum vigorem perducatur, ſicut dilectiſſimus ejus filius, & Imperator ſublimiſſimus, operam date. Sed hoc ſcire vos volumus, quoniam Sancta Romana Eccleſia tantum eſt ad nihilum deducta, quod & eleemoſynæ, quæ pauperibus pro ſoſpitate veſtri Imperii diſtribui ſolebant, & ſtipendia clericorum, ac famulorum ejus, omnimodis ſunt evacuata: pro quibus vero ad ſtabilitatem Imperii veſtri magis vos oportet cum veſtris fidelibus prudenter tractare, ut, ſicut prædiximus, alicui reſtaurationi ipſius, quæ nimium eſt afflicta, operam detis.

*His lectis, Papa ad Epiſcopos converſus ſic perorat.*

Quia veſtra omnium fraternitas concordi voce ſibi placere profitetur, quæ Chriſti Dei noſtri gratia inſpirante præfiximus: hortamur, ut ſecundum debitam ſollicitudinem commiſſæ ſibi a Deo Eccleſiæ curam unuſquiſque veſtrum agere ſtudeat, & gregem Chriſti ſanguine redemptum bonis exemplis, ac ſalutaribus documentis inſtruat, habens ſemper præ oculis illum tremendum judicem, qui ſuum ſacratiſſimum ſanguinem pro omnibus fudit, ut cum ante ipſius tribunal ſteteritis, unicuique veſtrum dicat: *Euge ſerve bone, & fidelis, quia*

---

(1) *Domni Formoſi.*) In Concilio Romano hoc ipſo anno celebrato reſtituta fuerat memoria Formoſi Papæ a Stephano VI. peſſime acta. Ait ergo Joannes IX. ut quæ ibi acta ſunt, roborentur conſenſu *Imperatoris*, *Epiſcoporum*, *& Optimatum*, quo res geſta auctoritate eccleſiaſtica, auctoritate quoque civili ſuffulta fortius robur acquirat.

(2) *Ut tantæ impietates &c.*) Hinc, & ex aliis hujus Concilii Capitulis diſerte dignoſcimus, quam infelix ſtatus tunc fuiſſet locorum ad Romanam Eccleſiam pertinentium.

(3) *Ut pactum &c.*) Hoc eſt, Principatus Romæ, Exarchatus, atque Pentapolis, quem ſinguli ad Imperiale faſtigium aſcendentes, diplomate ex pacto confirmare conſueverant Romanis Pontificibus. Sequentia duo Capitula reſpiciunt reſtitutionem bonorum in ipſo pacto contentorum.

*quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

Cumque, Deo auxiliante, ad propria veneritis, jejunium indicite, litaniam celebrate, rogantes, & obsecrantes pium & misericordem Dominum, ut furorem mitiget, iram a populo avertat, pacem tribuat, schismata & seditiones comprimat, discordiam auferat, retroacta peccata tergat, & miserando aboleat; quatenus indultis omnibus delictis; misericordiam rogantibus largiatur, & ad protectionem & exaltationem Sanctæ suæ Ecclesiæ spiritualem filium nostrum, excellentissimum scilicet Imperatorem Lambertum, conservet, & superbarum gentium illi colla subjiciat sua potenti dextera Jesus Christus Dominus noster, cui est cum Patre, & Spiritu Sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

# CAPITULA (1)
# LAMBERTI IMPERATORIS
## AN. DCCCLXXXXVIII.

I. Ut Comes inter honores suos rapinam exercitus legi subjiciat.

II. Ut imperiales homines ad colloquium sive servitium Imperatoris properantes, suis stipendiis sint contenti.

III. Ut nullus Comitum arimannos in beneficio suis hominibus tribuat.

IV. Ut homines Comitum nullatenus in domibus arimannorum resideant, sed domos reipublicæ instaurent, ibique resideant.

V. Ut scriptoribus publicis nullatenus interdicatur res arimannorum transcribere, si quando eis fuerit opportunum. Quod si occasione vitandi exercitus, aut placitum, venditæ fuerint, & ipsi eas pendere supersederint, exigatur ab eis utrumque, sicut ante transcriptionem.

VI. Ut ipsi arimanni frequentius, quam in lege statutum est, ad placitum ire non cogantur, nec a Comitibus, nec a sculdasiis.

VII. Ut bannum missi exercitus imperialis solummodo exigant.

VIII. Ut pastus Imperatoris ab Episcopis, & Comitibus secundum antiquam consuetudinem solvatur. Quod si novo tempore fiscus comitialis in jus ecclesiasticum conversus est, augeatur stipendium imperiale ab Ecclesia, juxta quod res publicæ fuerint minoratæ.

IX. Ut omnis decimatio (2) ab Episcopo, vel his, qui ab eo substituti sunt, præbeatur; nullusque eam ad suam capellam, nisi forte concessione Episcopi, conferat. Quod si fecisse contigerit, primum legibus subjaceat humanis, postea excommunicatione populi constrictus, ad ultimum ipsa capella, quæ magis contentionem, quam utilitatem aliquam præstat, destruatur.

X. Ut plebes Ecclesiæ nullatenus, aut Comitibus, aut Episcoporum vassallis, aut ullis laicis in beneficia tribuantur.

XI. Ut in domibus Ecclesiarum neque Missus, neque Comes, vel judex quasi pro consuetudine, neque placitum, neque hospitium vendicent, sed in publicis vicis domos constituant, in quibus placitum teneant, & secundum antiquam consuetudinem hospitentur.

XII. Ut singulæ plebes Archipresbyterum habeant, propter assiduam erga populi Dei curam singulis plebibus Archipresbyteros præesse volumus, qui non solum imperiti vulgi solicitudinem gerant, verum etiam eorum presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, & qua unusquisque industria divinum opus exerceat, Episcopo suo renuntient; nec obtendat Episcopus, non egere plebem Archipresbytero. Quod si ipse gubernare valeat, quia est valde idoneus, de-



(1) *Capitula &c.*) Goldastus Tomo III. Constitutionum Imperialium hæc edidit præfixo nomine *Berengarii Imperatoris*, eaque retulit ad annum DCCCCIII. ut constituta in Conventu Ticinensi. Atqui Berengarius anno illo erat quidem Rex Italiæ, sed non Imperator, eique tunc tribui nequeunt, quæ Imperiali auctoritate constituta fuisse ipse Capitulorum textus innuit diserte. Rectius Eccardi Elenchus, qui legitur Bibliothecæ Germanicæ Vol. III. P. I. memorat Capitula Lamberti Regis, quæ hæc ipsamet esse pro certo habeo; in quo tantum offendit, quod Lambertus fuerit quidem Imperator, sed non Italiæ Rex, quamquam portioni Italici Regni dominaretur. Revera Baluzius in Præfatione ad Capitularia n. XVIII. ex veteri Codice Manuscripto Bibliothecæ Thuanæ solide infert, hæc *Lamberto Imperatori* esse adscribenda.

(2) *Ut omnis decimatio &c.*) Firmatur lege Canon I. Synodi Ravennatis, ut temporalibus quoque civilibusque pœnis coerceantur transgressores. Hinc edis cimus, Capitulare hoc post ipsam Synodum constitutum fuisse, & consequenter eo ipso anno DCCCLXXXXVIII. cum post hanc epocham, ut dixi, Lambertus non viveret.

decet tamen, ut partiatur onera sua, & sicut ipse matrici præest, ita presbyteri præsint plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica solicitudo. Cuncta tamen ad Episcopum referant, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant.

# O T H O III.

## CONSTITUTIO.

*Incipit* (1) *Constitutio Decretalis Sacræ Legis Domni Ottonis piissimi Imperatoris.*

OTto Dei gratia Romanorum Imperator Augustus Consulibus Senatus Populique Romani, Archiepiscopis, Abbatibus, Marchionibus, Comitibus, & cunctis Judicibus intra Italiam constitutis in perpetuum. Comperimus, quod Episcopi, & Abbates Ecclesiarum possessionibus abutantur, & per scripta quibuscumque personis attribuant, & hoc non ad utilitatem Ecclesiarum, sed pecuniæ, affinitatis, & amicitiæ causa. Dumque eorum Successores, & pro domorum Dei restauratione, ac pro Reipublicæ officio, nostroque obsequio commonentur, suarum Ecclesiarum prædia ab aliis detineri causantur, seque imperata non posse perficere re vera demonstrant. Proinde quia status Ecclesiarum Dei annullatur, nostraque Imperialis Majestas non minus patitur detrimentum, dum subditi nobis (2) non possunt exhibere obsequia: constituimus, & Imperiali edicto confirmamus, ut omnia scripta, sive si libelli nomine, sive si emphitheusis prolatum fuerit, quod de Ecclesiis Dei, sive aliquo modo effici non possit, obeunte actore obeat, solusque detrimentum habeat, qui se ei scripto obligavit atque vinxit, nec omnino ad eum suprascripta damna pertineant, qui ei in regimine successit; sed sit ei libera facultas omnia, quæ per libellos, vel alia quælibet scripta abalienata fuerint, in proprium jus Ecclesiæ revocare, & ita ordinare, ut Deo, & nobis debitum obsequium valeat exhibere. Nam cum Regibus, & Imperatoribus ea, quæ Regni, & Imperii sunt, nisi servientibus (3) dare non liceat, exceptis Ecclesiis, quomodo Abbatibus, & Episcopis res Ecclesiarum per tempora suorum Successorum distribuere liceat? Omne quippe jus sive lex, sive quodlibet scriptum, vel quælibet consuetudo, si contra Ecclesiæ utilitatem fuerint, in irritum deducenda sunt, nec nostra auctoritate debent firmari, quæ contra Imperii Auctorem & propagatorem probabuntur inferri. Hoc ergo solum scriptum pro lege in talibus causis habeatur, quod Ecclesiæ Dei prosit, & nullo modo obesse possit. Quod si aliquis contra hanc Constitutionem nostram ire tentaverit, tamquam rebellis judicetur, & sit ei anathema Maranatha, nisi resipiscat, ab universis Episcopis, qui huic Imperii nostri edicto subscripserunt, vel assensum præbuerunt sive Presbyteri sunt (4). Amen.

Actum . . . . . . XII. Kalendas Octobris (5), Indictione XII. An. III. Domni Gregorii V. Papæ Pontificatus, promulgata per manus Gerberti (6) Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopi in ea Synodo, in qua Mediolanensi Episcopo Arnulfo nomine Papatum ablatum est (7), in Basilica Beati Petri, quæ vocatur ad Cœlum-aureum (8), & subscripserunt omnes, qui adfuerunt Episcopi.

(1) *Incipit &c.*) Ex Chronico Farfensi.

(2) *Dum subditi nobis.*) In alio exemplari additur, *debita*.

(3) *Nisi servientibus.*) Alias rectius: *nisi se viventibus*.

(4) *Sive Presbyteri sunt.*) Alias rectius: *sive præbituri sunt*.

(5) *XII. Kalendas Octobris, &c.*) Hoc est, anno DCCCCLXXXXVIII. quo a Septembri mense numerabatur Indictio XII. quo tempore tertius decurrebat annus Gregorii Papæ V.

(6) *Per manus Gerberti.*) Is est Gerbertus Monachus Gallus, Abbas Bobiensis, inde Archiepiscopus Rhemensis, postea Ravennas, ac tandem celebris Romanus Pontifex, nomine Silvester II. Saluberrimam hanc Constitutionem ipse dictasse videtur.

(7) *Arnulfo Papatum ablatum est.*) Pagius in Critica ad Annales Baronii ratus est Farfensem Chronographum errasse, & Arnulphum Archiepiscopum Mediolanensem loco Joannis Archiepiscopi Placentini posuisse. Sed, ut probe advertit Muratorius in Annalibus, Joanni Placentino jam ab aliquot antea mensibus *Papatus ablatus fuerat*, jam depositus erat, jam male actus, nunc & forte defunctus. Quare is tantum suspicatur, Arnulphum II. tunc Archiepiscopum Mediolanensem usum fuisse titulis honoris, qui ex inducto more Romanis Pontificibus reservabantur, atque in hoc Concilio id ipsi interdictum esse; & hoc sensu *Arnulpho Papatum ablatum* dici.

(8) *Ad Cœlum-aureum.*) Alias, *ad cellam auream*. Extat Papiæ Basilica S. Petri ad Cœlum Aureum. Quare valde probabile est, hoc Concilium celebratum, & hanc Constitutionem promulgatam fuisse Papiæ.

# HENRICUS I.

## CONCILIUM TICINENSE (1) A BENEDICTO PAPA VIII. CELEBRATUM.

### Decretum Domni Papæ B*. (2)

*I. Ut nullus in clero mulierem attingat.*

NUllus presbyter, nullus diaconus, nullus subdiaconus, nullus in clero uxorem aut concubinam admittat: cum nulli quoque laicorum scire liceat mulierem præter uxorem. Quod si fecerit, secundum ecclesiasticam regulam deponatur. Sed neque secundum humanas leges ex longo factas, & receptas, ullus admirationis (3) locum in plebe habeat.

*II. Ut Episcopus nullam fœminam habeat, neque cum aliqua habitet.*

Episcopus sicut nullam habebit, ita cum nulla penitus habitabit. Quod si fecerit, & nostris regulis, & mundanis legibus concordantibus, honore, quo se ipse fecit indignum, abjicietur.

*III. Ut filii clericorum servorum Ecclesiæ, servi sint Ecclesiæ cum omnibus adquisitis.*

Filii & filiæ omnium clericorum, omniumque graduum de familia Ecclesiæ, ex quacumque libera muliere, quocumque modo sibi conjuncta fuerit, geniti, cum omnibus bonis per cujuscumque manus adquisitis, servi proprii suæ erunt Ecclesiæ, nec unquam ab Ecclesiæ servitute exibunt.

*IV. Ut filiis clericorum servorum Ecclesiæ nullus judex libertatem promittat.*

Quicumque filios clericorum servorum Ecclesiæ de quacumque libera procreatos, liberos esse judicaverit, anathema sit: & habeat in judicio quod fecit, quia Ecclesiæ tulit quod non dedit.

*V. Ut servi Ecclesiarum per manus liberi nihil adquirant.*

Nulli servorum Ecclesiæ, sive in clericatu, sive in laicatu, de quibus nostrum est & fratrum nostrorum judicare, liceat comparare, aut ullo modo adquirere per manus aut nomen alicujus liberi hominis. Quod qui fecerit, evasibiliter cæsus, tamdiu carceratus habebitur, quamdiu omnis Ecclesia (4) recipiat scriptiones.

*VI. Ut ille, qui chartam per suas manus accipit, finem Ecclesiæ faciat.*

Ille autem male liber, qui factus est diaboli servus, per cujus manus latrocinantes servus Ecclesiæ, quicquid illud fuerit, adquisivit, aut Ecclesiæ totam faciat securitatem, aut maledictus inter fures Ecclesiæ & sacrilegos habeatur.

*VII. Ut nullus judex aut tabellio chartas scribant, quas servi Ecclesiæ per manus liberi adquirunt.*

Judex vero, aut tabellio, qui tam inlicitas chartas scripserint, & res pretio servorum Ecclesiæ comparatas, aut aliqua liberalitate conlatas, nomini alicujus liberi titulari præsumpserint, anathemate ferientur. Sed neque honorabitur in Palatio, qui Ecclesiam Palatii matrem non erubuit impugnare.

Hoc autem Ecclesiæ Dei testamentum, contra malignantes, Deo authore, authoramentum, dilectissimi filii nostri H. Augusti edicti lege firmari, corroborari, & humanis inseri & inscribi legibus volumus: & per omnem Imperii sui latitudinem, ut suscipiatur, teneatur, & publica authoritate omni tempore judicetur, omnes in commune oramus & obsecramus. Erit enim, Deo volente, in æternum valiturum: si, quod ecclesiastica gravitas prohibet, publico fuerit vigore exterminatum. Nec factiosi hujus decreti scientiam dissimulabunt, quæ omnium libris inscripta, per ora omnium evolabit. Nec impune putabunt audendum, quod publica damnatum severitate cognoverint.

Ego B. Papa æternæ Urbis huic Constituto synodali subscripsi.

Ego A. Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Ar-



(1) *Concilium Ticinense.*) Celebratum est inter annos MXIV. & MXXIV. quo tempore Benedictus VIII. Pontificatum, & Henricus I. Imperium simul tenuerunt. Præcisam vero epocham fixare facile non est. Cl. Justus Fontaninus in disquisitione de corpore S. Augustini congruentibus adductis rationibus infert, adscribendum esse in annum MXXII.

(2) *Decretum Domni Papæ B*.*) Præmittitur longa Pontificis prælocutio, quam hic inserere necessarium non duxi. Consulantur, si lubet, Acta Conciliorum ad annum MXIIII.

(3) *Ullus admirationis.*) Forte, *ullius administrationis*.

(4) *Omnis Ecclesia.*) Forte, *omnes Ecclesia &c.*

Archiepiscopus subscripsi.

Ego R. Ticinensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego A. Cumanus Episcopus subscripsi.

Ego L. Taurinensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego P. Terdonensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Leo Eusebianæ Ecclesiæ catholicus Episcopus subscripsi.

Actum Papiæ Kal. Augusti, imperante domno H. gloriosissimo Augusto, per manus fratris Leonis Vercellensis Episcopi.

## RESPONSIO AUGUSTI.

Nihil tibi, sanctissime Papa B., possum negare, cui per Deum omnia debeo; præsertim cum justa petas, honesta cum justis fratribus suggeras, & me in consortium sanctæ sollicitudinis ideo advoces, ut sicut laboris, ita participes simus & gaudii. Gratias itaque sancto Episcopatui tuo jure habeo uberes, qui & salubriter componit Ecclesiam, & a Clericorum incontinentia, unde omne malum velut ab Aquilone super terram emersit, correctionis vigilanter fecit principium. Omnia quidem, quæ pro Ecclesiæ necessaria reparatione synodaliter instituit & reformavit paternitas tua, ut filius laudo, confirmo, & approbo: & ut omnes sint paratiores eam me inviolabiliter (1) servaturum adjuvante Deo promitto. Et in æternum mansura, & inter publica jura semper recipienda, & humanis legibus solenniter inscribenda, hac nostra authoritate vivente Ecclesia per Dei gratiam victura, cum senatoribus terræ, cum domesticis Palatii, & amicis Reipublicæ, coram Deo & Ecclesia ita corroboramus.

## INDEX CAPITULORUM.



## EDICTUM AUGUSTI.

### *I. Ut nullus in clero mulierem contingat.*

Nullus in omni gradu Ecclesiæ uxorem vel concubinam habere præsumat, nec in una domo cum muliere audeat habitare. Quod si fecerit, servata Justiniani Augusti æquitate, curiæ civitatis tradatur cujus est clericus. Jure etenim manebit miser in curia, quem Ecclesiæ regula depositum ejecit ab Ecclesia.

### *II. Ut nullus Episcopus mulierem habeat, aut cum ea habitet.*

Episcopus cum nulla umquam muliere habeat tectum, cum nulla habeat lectum. Quod si fecerit, servato antiquo & moderno Ecclesiæ judicio deponatur. Eritque tanto casus gravior, quanto gradus altior.

### *III. Ut filii clericorum servorum Ecclesiæ, servi sint suæ Ecclesiæ cum omnibus adquisitis.*

Filii autem omnium clericorum, omniumque graduum servorum Ecclesiæ, de quacumque muliere, quocumque modo sibi conjuncta fuerint nati, servi suæ erunt Ecclesiæ, cum omnibus bonis adquisitis: & quia servi sunt, & erunt, nunquam de servitio Ecclesiæ exire debebunt. Et omnia, quæ ipsi per manus & per scriptiones alicujus liberi adquisierint, Ecclesiæ sicut sua propria reddimus. Suo etenim juri totum Ecclesia ut proprium vendicabit, quidquid ullo ingenio Ecclesiæ servus contraxit: nec ulli secundum phantasmaticos dabit adulterium libertatem, quod corpus in infamiam, & in servitutem trajicit animam.

IV.

(1) *Eam me inviolabiliter.*) Lege, *ea me inviolabiliter.*

(2) *Inscribant.*) Lege, *non scribant.*

*IV. Ut nullus filiis clericorum servorum Ecclesiæ libertatem audeat judicare.*

Quicumque ergo posthac eos esse liberos judicaverit, & pro eis contra Ecclesiam dederit sententiam, & hoc Capitulum authoritate sanctæ Ecclesiæ statutum nostræ ceperit (1), & in suis libris non scripserit, & secundum hoc Capitulum filios clericorum de familia Ecclesiæ, proprios servos esse suæ Ecclesiæ usu semper valituro non judicaverit, facultatum publicatione nudatus, perpetuo damnetur exilio. Ubi sicut nulla unquam illi lex judicandi, nulla ita erit spes remeandi. Neque enim mirum, sed justissi num, nimirum si is amisso officio corpore exulabit, quem Ecclesia, quia Deum amisit, anathemate fulminavit. Matres vero eorum libertatem adulterio vendentes, prius in foro castigatæ fiant exemplum, & postea judicio Ecclesiæ & nostro exulent. Quia si fuerint in vicinia, vix aut nunquam eorum cessabit malitia.

*V. Ut servi Ecclesiæ per manus liberi hominis nihil adquirant.*

Servis Ecclesiæ, ut nostris, adquirere licet juste, & licuit: sed per manus alicujus liberi scriptiones ullas contrahere, nullo unquam tempore licebit. Quod si fecerit, Ecclesiæ judicio ut suus coercebitur. Si enim ad nostrum spectaret judicium, ut fugitivus addiceretur.

*VI. Ut judex aut tabellio chartas inscribant (2), quas servi Ecclesiæ per manus liberi adquirunt.*

Judicibus vero, & tabellionibus, quorum nostra interest, si posthac tales fecerint scriptiones, manum amputamus dexteram, quæ scripsit contra Eccle iam. Ut qui noluit integer verum judicare in Palatio, in foro mancus corrigat alios a mendacio.

*VII. Ut ille, per cujus manus servus Ecclesiæ chartas accepit, finem & securitatem Ecclesiæ faciat.*

Ille autem Deo, & hominibus execrandus, per cujus manus invalidas, & nomen vacuum, fraudulenter Ecclesiæ servus scriptiones accepit, sub sacramento eisdem redditis scriptionibus, ut omnium litium jacula sopiantur, omnem Ecclesiæ, prout constiterit, coactus faciet finem. Moxque eum insequetur stylus proscriptionis, quem mater & magistra nostra Ecclesia vulneravit gladio maledictionis.

## S U B S C R I P T I O.

EGo H. gratia Dei Imperator Augustus hanc Constitutionem legis perpetuæ per consilium domni Papæ B. suggerente plurimo cœtu Episcoporum, Deo authore statui, firmavi, & semper valere decrevi, & optavi, meosque imperii primores firmare rogavi.

Ego O. Marchio interfui, & hanc legem mundo pernecessariam, & oculos Ecclesiis sublatos reddentem, firmavi, & laudavi.

Ego R. Marchio interfui & laudavi.

Ego O. Comes Palatii interfui, & laudavi.

*Et plures alii, quorum nomina injuria temporis perierunt.*

# C O N R A D U S I.

## CONSTITUTIO DE FEUDIS.

IN nomine (3) sanctæ, & individuæ Trinitatis. Chuonradus gloriosissimus Imperator Augustus.

I. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, nostrisque, præsentibus scilicet & futuris, notum esse volumus, quod nos ad reconciliandos animos Seniorum, & Militum, ut ad invicem inveniantur concordes, & ut fideliter & perseveranter nobis & suis Senioribus serviant devote: præcipimus, & firmiter statuimus, ut nullus Miles Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, aut Marchionum, vel Comitum, vel omnium, qui Beneficium de nostris publicis bonis, aut de Ecclesiarum prædiis tenet nunc, aut tenuerit, vel hactenus injuste perdidit, tam de nostris majoribus Walvasoribus, quam & eorum Militibus, sine certa & convicta culpa suum Beneficium perdat, nisi secundum constitutionem Ante-

(1) *Nostræ ceperit.*) Lege, *non receperit.*
(2) *Inscribant.*) Lege, *non scribant.*
(3) *In nomine &c.*) Legem hanc, quamquam inter Langobardicas existentem, hic iterum repono, præsertim propter subscriptiones, quæ desunt in codice Legis Langobardicæ, & quæ ceteroquin enuntiant tempus, & locum, quo Constitutio edita fuit. Hanc exhibet Muratorius Antiq. Italic. Differt. XI. unico contextu exaratam, quam studiosorum commodo ego per articulos ex arbitrio divisi, Heroldinæ editionis secutus exemplum.

tecessorum nostrorum, & Judicum Parium suorum (1).

II. Si contentio fuerit inter Seniores, & Milites, (2) quamvis Pares adjudicaverint illum suo Beneficio carere debere, si ille dixerit, id injuste vel odio factum esse, ipse suum Beneficium teneat, donec Senior, & ille quem culpat, cum Paribus suis ante præsentiam nostram veniant, & ibi causa juste finiatur.

III. Si autem Pares (3) culpati in judicio Senioribus defecerint, ille qui culpatur, suum Beneficium teneat, donec ipse cum suo Seniore, & Paribus ante nostram præsentiam veniant.

IV. Senior autem, aut Miles, (4) qui culpatur, qui ad nos venire decreverit, sex hebdomadas, antequam iter incipiat, ei cum quo litigaverit, innotescat.

V. Hoc autem de majoribus Walvasoribus observetur.

VI. De minoribus vero, in Regno, aut ante Seniores, aut ante nostrum Missum eorum causa finiatur.

VII. Præcipimus etiam, ut cum aliquis Miles, sive de majoribus, sive de minoribus de hoc seculo migraverit, filius ejus Beneficium habeat (5).

VIII. Si vero filium non habuerit, & Abiaticum (6) ex masculo filio reliquerit, pari modo Beneficium habeat, servato usu majorum Walvasorum in dandis equis & armis suis Senioribus.

IX. Si forte Abiaticum ex filio non reliquerit, & fratrem legitimum ex parte patris habuerit, si Seniorem offensum habuit, & sibi vult satisfacere, & Miles ejus effici, Beneficium, quod patris sui fuit, habeat (7).

X. Insuper etiam omnibus modis prohibemus, ut nullus Senior de Beneficio suorum Militum Cambium, aut Precariam, aut Libellum, sine eorum consensu facere præsumat. Illa vero bona, quæ tenet (8) proprietario jure, aut per Præcepta, aut per rectum Libellum, sive per Precariam, nemo injuste eos disvestire audeat.

XI. Fodrum de Castellis, quod nostri Antecessores habuerunt, habere volumus; illud vero, quod non habuerunt, nullo modo exigimus.

Si quis hanc jussionem infregerit, auri Libras centum componat, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem illi cui damnum illatum est (9).

Signum Domni Chuonradi serenissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Kadolohus Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi.

Datum V. Kalendas Junii, Indictione V. Anno Dominicæ Incarnationis MXXXVIII. (10) Anno autem Domni Chuonradi Regis XIII. Imperantis XI.

Actum in obsidione Mediolani feliciter. Amen.

---

(1) *Et Judicum Parium suorum.*) Heroldus & Lindenbrogius rectius: *& judicium Parium suorum.*

(2) *Inter Seniores, & Milites.*) Lege, *inter Seniorem & Militem*, prout legunt supra relati editores.

(3) *Si autem Pares &c.*) Heroldus, & Lindenbrogius: *Si autem Pares ejus culpati in judicio Seniorum defecerint, &c.*

(4) *Aut Miles.*) Lege, *& Miles ejus*; ut a supra relatis editum est.

(5) *Filius ejus Beneficium habeat.*) Heroldus, & Lindenbrogius: *filios ejus Beneficium tenere. Si vero filios non habuerit &c.*

(6) *Abiaticum.*) Hoc est, *filium ex filio.*

(7) *Habeat.*) Notabilis est, & merito recensendus locus Feudistæ Feud. l. I. art. 1. & 2. *Antiquissimo tempore sic erat in Dominorum potestate connexum, ut quando vellent, possent auferre rem in feudum a se datam. Postea vero eo ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberent. Deinde statutum est, ut usque ad vitam fidelis produceretur. Sed cum hoc jure successionis ad filios non pertineret, sic progressum est, ut ad filios deveniret; in quem scilicet Dominus hoc vellet Beneficium confirmare. Quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes æqualiter veniat. Cum vero Conradus Romam proficisceretur, petitum est a Fidelibus, qui in ejus erant servitio, ut lege ab eo promulgata hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur; & ut frater fratri sine legitimo herede defuncto (vel filius) in Beneficio, quod eorum patris fuit, succedat.* Cæterum Heroldus in fine hujus articuli Conradinæ Constitutionis repetit quæ in superiori articulo leguntur: *servato usu majorum Valvassorum in dandis equis & armis suis senioribus:* quæ a Glossatore quodam hic repetita fuisse videntur.

(8) *Quæ tenet.*) Heroldus, & Lindenbrogius: *quæ tenent.*

(9) *Illatum est.*) Lindenbrogius addit: *At si quis aurum non habuerit, nostra sententia feriatur, ut nobis placuerit.* Essetne hæc additio facta a Glossatore Imperiali nomine loquente; cujusce rei exempla in Monito protulimus ex Codice Veronensi?

(10) *Anno Dominicæ Incarnationis MXXXVIII.*) Lege, *MXXXVII.* quo decurrebat Indictio V. & Mediolanensis Civitas frustra obsidione tentata fuit.

HEN-

# HENRICUS II. (1)

## CAPITULUM.

*De spreta Majestate* (2).

HEnricus divina pietate II. Romanorum Imperator Augustus. Omnem decoris ac solertiæ Imperialis, ac præsentiæ contemptorem, capitali damnare sententia convenit.

*Quando liceat alterius Clericum accipere, vel non.*

Ut nulli Episcopo (3) liceat alterius Clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu, sine dimissoria Episcopi sui, de cujus parrochia est.

# HENRICUS III. (4)

## EXCERPTA EX CONCILIO.

*IN CONCILIO HEINRICI IMPERATORIS III.*

QUoniam Sanctam Dei Ecclesiam a paganorum persecutionibus, Deo juvante, cessisse cognoscimus, nimis dolendum est eandem horum qui Christiano censentur nomine attenuari oppugnationibus. Res itaque Ecclesiarum antecessorum nostrorum opera opulentissime congestas, eorumdemque solertia integerrime conservatas, jam nunc iniquorum nostrorum hominum opera fraude & astucia attenuatas fore omnino conspicimus dissipatas. Ad devastationes itaque Ecclesiarum utuntur libellariis extra legem scriptis, precariis, commutationibus in detrimento rerum ecclesiasticarum factis. Quorum ut cesset insolens impetus decrevit Sancta Synodus, cui interfuit tercius Rex Heinricus de rebus Ecclesiarum libellaria penitus nulla fieri. Jussum est antiquitus, & nos idipsum sub anathemate interdicimus de hæresi Simoniaca. Quæ quoniam increvit inepta Sancta dec. . . . . . Synodus nullum Episcopum, aut Ecclesiarum consecrationem, aut clericatus, vel ordinem, aut . . . . . . . presbyteratum, aut commendationes Altarium, aut traditiones Ecclesiarum, aut abbatias, aut præposituras vendere. Quisquis conduxerit aut vendiderit anathema sit. fiat.

De

(1) *Henricus II.*) Duo hæc Capitula exscripsi ex Heroldo.

(2) *De spreta Majestate.*) In quibusdam Codicibus Legum Langobardicarum legitur hæc sanctio Henrico II. tributa, in aliis desideratur. Observo tamen in Codice Veronensi, qui fere synchronus esse videtur, ipsam adesse de verbo ad verbum, non prout hic jacet, sed prout eam allegavi in nota Vol. I. hujus Collect. pag. 238.

(3) *Ut nulli Episcopo &c.*) Est verbo tenus Capitulum VI. inter Leges Langobardicas Caroli Magni, quod Ecclesiasticum referre Canonem in civilem legem receptum ipsa sanctio sat innuit. In Manuscripto Dolleonio Consuetudinum Feudalium Sæculi XIII. supra relatæ Henrici II. legi, *de spreta Majestate*, subjicitur non hæc, sed alia Ecclesiastica Constitutio, Canon videlicet XXII. Ticinensis Synodi anno DCCCL. celebratæ, qui pariter receptus est inter leges Langobardicas Lotharii I. lege CII. Ego credo, neutrum adscribendum esse Henrico II. quasi is antiquas sanctiones repetierit, sed referendum utrumque exscriptorum arbitrio, vel memoriæ gratia, vel tantum ut pagellæ vacuum replerent.

(4) *Henricus III.*) Hoc antiquitatis monumentum, quod nuper e tenebris eduxit Cl. P. Irenæus Affò M. O. Ducalis Parmensis Bibliothecæ Præfectus, mihi communicavit Co. Hieronymus Asquinus. Eductum est e membrana, quæ tegmen roborat alterius antiqui Codicis Archivii Cathedralis Ecclesiæ Parmensis. Excerpta hæc esse videntur ex Actis Concilii, seu Conventus, cui interfuere Proceres Ecclesiastici, & laici. Perdocti antiquitatum studiosi rati sunt, hæc acta fuisse regnante Henrico inter Imperatores, & Italiæ Reges secundo. Sed ut regno Henrici inter Imperatores III. sub Henrici IV. nomine apprime celebris ipse ego tribuam Epigraphes ipsa suadet: *In Concilio Heinrici Imperatoris III.* Quæ magnæ certe auctoritatis est, utpote quæ creditur ipsi Henrico coæva, cum membranæ character sæculo XI. adscribatur. Peculiaris sacramenti formula innuit res tunc perturbatas fuisse in Italia, prout erant tempore Henrici IV. Innuitur Synodum celebratam fuisse ante adeptum ab Henrico Imperiale diadema, cum in Actorum corpore Imperialibus titulis, prout usu receptus mos habebat, non donetur. Ipsum etiam uti Italiæ regem nonnunquam appellatum fuisse *Tertium* constat ex diplomatibus; prout revera *tertius* erat hujusce nominis in regno Italico, non secus ac in Romano Imperio. Muratorius Antiq. Ital. Differt. XXXI. exhibet Placita duo Veronensia anni 1077. lata sub Regno *Domni Tercii Heinrici Regis*. Quare opinor hæc, quæ nunc edimus, lata fuisse in Lombardia a Proceribus Henrici IV. partes tenentibus.

*De præcepto, & firma fidelitate Heinrici Regis contra deprædatores, ac scachatores regni ejus.*

Ab hac hora in antea adjuvabo Heinricum Regem qui nunc regnat in Italia, & Nuntios ejus, & Comites, quos ipse ad hoc elegerit, ad justitiam, & legem faciendam dependens secundum rectum judicium, & de ceteris rebus quas facere lex prohibet. De beneficiis autem secundum rectum judicium comparium furtum schacum vel rapinam, aut prædam me sciente, vel mea sponte non faciam ultra sex sol. in anno. Incendium, vel saltum ad Castella, & ad domos non faciam. Si forte evenerit ut faciam infra unum mensem idipsum si potero reddam. Si vero idipsum reddere non potero secundum hoc quod valuerit, restituam, si accipere voluerit is cui damnum illatum fuerit. Si per meam culpam inemendatum remanserit infra unum mensem juxta quod lex præcipit emendabo, si legaliter invitatus fuero. Hos vero homines qui hoc juramento facere noluerint, aut factum violaverit Heinricum Regem, aut suum certum Nuntium, aut Episcopum, aut Comitem qui me ad hoc invitaverit per rectam fidem adjuvabo devastare secundum præceptum Regis aut sui certi Nuntii. De me ipso quidem unicuique secundum rectum judicium justiciam faciam de ipsis rebus quæ ad legem pertinent. De beneficiis vero secundum rectum judicium comparium si per legem ammonitus fuero. Hæc omnia per decem annos observabo, excepto si in expeditione, aut in hostem iero per præceptum Regis, vel super inimicum ipsius, aut super illum qui hoc jurare noluerit, aut factum violaverit, salva fidelitate & præcepto Heinrici Regis.

# FRIDERICUS I.

## LEGES MILITARES. (1)

I. STatuimus, & firmiter observari volumus, ut nec miles, nec serviens litem audeat movere. Quod si alter cum altero rixatus fuerit, neuter debet vociferari signa castrorum, ne inde sui concitentur ad pugnam. Quod si lis mota fuerit, nemo debet accurrere cum armis, gladio scilicet, lancea, vel sagittis: sed indutus lorica, scuto, galea, ad litem non portet nisi fustem, quo dirimat litem. Nemo vociferabitur signa castrorum, nisi quærendo hospitium suum. Sed si miles vociferatione signi litem commoverit, auferetur ei omne suum harnascha, & ejicietur de exercitu. Si servus fecerit, tondebitur, verberabitur, & in maxilla comburetur, vel dominus suus redimat eum cum omni suo harnascha.

II. Qui aliquem vulneraverit, & hoc se fecisse negaverit, tunc si vulneratus per duos veraces testes, non consanguineos suos, illum convincere potest, manus ei abscindatur. Quod si testes defuerint, & ille juramento se expurgare voluerit, accusator si vult, potest juramentum refutare, & illum duello impetere.

III. Si quis homicidium fecerit, & a propinquo occisi vel amico, vel socio, per duos veraces testes non consanguineos occisi, convictus fuerit, capitalem sententiam subibit. Verum si testes defuerint, & homicida se juramento expurgare voluerit, amicus propinquus occisi duello eum potest impetere.

IV. Si extraneus miles pacifice ad castra accesserit, sedens in palefrido sine scuto & armis, si quis eum læserit, pacis violator judicabitur. Si autem sedens in dextrario, & habens scutum in collo, lanceam in manu, ad castra accesserit, si quis eum læserit, pacem non violavit.

V. Miles qui mercatorem spoliaverit, dupliciter reddet ablata, & jurabit quod nescivit illum mercatorem. Si servus, tondebitur, & in maxilla comburetur, vel dominus suus reddet pro eo rapinam.

VI. Quicunque aliquem spoliare Ecclesiam vel forum viderit, prohibere debet; tamen sine lite: si prohibere non potest, reum accusare debet in Curia.

VII. Nemo aliquam mulierem habeat in hospitio: qui vero habere præsumpserit, auferetur ei omne suum harnasch, & excommunicatus habebitur, & mulieri nasus abscindetur.

VIII. Nemo impugnabit castrum, quod a Curia defensionem habet.

IX. Si servus furtum fecerit, & in furto

(1) *Leges militares.*) Quamquam inter leges proprie dictas hæ recenseri non possint, ad rem tamen legalem spectant, innuuntque nobis, quales tunc vigerent sanctiones, & consuetudines inter exercitales. Eas deprompsi ex Radevico lib. I. cap. 26. qui hæc præmittit: *Residente Augusto, & ex diversis Civitatibus Italiæ venientem militem præstolante, consilio inito, commode, & religiose satis, prius de pacis, quam de belli tractat negotiis. Conventum ergo Principum cogens, leges pacis in exercitu conservandas tales constituit.* Hæc acta fuere anno MCLVIII. in Agro Brixiano, dum Imperator Brixia domita hostem cogeret Mediolanenses expugnaturus.

to fuerit deprehensus, si prius fur non erat, non ideo suspendetur, sed tondebitur, verberabitur, & in maxilla comburetur, & ejicietur de exercitu, nisi dominus redimat eum cum omni suo harnasch. Si prius fur erat, suspendetur.

X. Si servus aliquis culpatus non in furto fuerit deprehensus, sequenti die expurgabit se judicio igniti ferri, vel dominus juramentum pro eo præstabit. Actor vero jurabit, quod aliam ob causam non interpellat eum de furto, nisi quod putat culpabilem.

XI. Si quis invenerit equum alterius, non tondebit eum, nec ignotum faciet, sed dicet Marscalco, & tenebit non furtive, & imponet ei onus suum. Quod si ille, qui amisit equum, in via deprehenderit oneratum, non dejiciet onus illius, sed sequens ad hospitium, recipiet equum suum.

XII. Si quis vero villam, vel domum incenderit, tondebitur, & in maxillis comburetur, & verberabitur.

XIII. Faber non comburet carbones in villa, sed portabit ligna ad hospitium suum, & ibi comburet: quod si in villa fecerit, tondebitur, verberabitur, & in maxillis comburetur.

XIV. Si quis aliquem læserit, imponens ei quod pacem non juraverit, non erit reus violatæ pacis: nisi ille probare possit duobus idoneis testibus, quod pacem juraverit.

XV. Nemo recipiet servum, qui sine domino est: quod si fecerit, reddet in duplo quicquid ille abstulerit.

XVI. Quicunque foveam invenerit, libere fruatur ea. Quod si ablata fuerit ei, non reddet malum pro malo, non ulciscetur injuriam suam, sed conqueretur Marscalco justitiam accepturus.

XVII. Sed si mercator Teutonicus civitatem intraverit, & emerit mercatum, & portaverit ad exercitum, & carius vendiderit in exercitu: Camerarius auferet ei omne forum suum, & verberabit eum, & tondebit, & comburet in maxilla.

XVIII. Nullus Teutonicus habeat socium Latinum, nisi sciat Teutonicum: sed si habuerit, auferetur ei quicquid habet.

XIX. Si miles militi convitia dixerit, negare potest juramento: si non negaverit, componat ei X. libras monetæ, quæ tunc erit in exercitu.

XX. Si quis invenerit vasa plena vini, vinum inde extrahat ita caute ne vasa confringat, vel ligamina incidat vasorum, ne ad damnum exercitus totum vinum effundatur.

XXI. Si castrum aliquod captum fuerit, bona quæ intus sunt auferantur: sed non incendatur, nisi forte hoc Marscalcus faciat.

XXII. Si quis venatus fuerit cum canibus venaticis, feram quam invenerit, & canibus agitaverit, sine alicujus impedimento habebit.

XXIII. Si quis per canes leporarios feram fugaverit, non erit necessario sua, sed erit occupantis.

XXIV. Si quis lancea vel gladio feram percusserit, & antequam manu levaverit, alter occupaverit, non (1) occupantis erit: sed qui occiderit eam sine contradictione obtinebit.

XXV. Si quis birsando feram balista vel arcu occiderit, ejus erit. (2)

## CONSTITUTIO AUXIMI LATA.

FEdericus (3) Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus cunctis Imperio nostro subjectis.

I. Hac edictali lege in perpetuum valitura decernimus, ut nullus Judex magnus, vel parvus, Archiepiscopus, seu Abbas, vel Marchio, vel Comes, vel Vicecomes, vel quilibet noster Nuntius, de sententia diffinitiva ultra XII. denarios de libra ab actore, vel a reo accipiat, secundum qualitatem in libello comprehensam; de sententia vero possessionis VI. denarios pro libra. Quæ judicatura sic percipienda est, ut ille qui major est Judex, vel Vicarius, habeat medietatem, Judices autem medietatem aliam. Hæc autem in civilibus caussis. Idem in peccun (4) criminalibus, si perventum fuerit ad pecuniæ extimationem.

II. De bonis autem dampnatorum, seu proscriptorum, secundum quod in nostris Constitutionibus cavetur, sic jubemus in ipsos observari.

III. De bonis vero decedentium sine liberis, vel sine testamento, secundum quod in legibus Romanorum Imperatorum statutum est, sic ratum esse statuimus.

IV. Si quis vero miserabili personæ fortuna naufragiorum aliquid abstulerit, pœnæ antiquæ legum subjaceat.

V. Si quis nuntiorum meorum contra hoc legum statutum venire præsumpserit, & ausus fuerit, XX. libras argenti pœnæ subjaceat, insuper mulctandus prout animi nostri motus suggesserit. Quod sic volumus intelligi, si sit Civitas, Dux, Marchio, seu Comes, vel Vicecomes, vel aliqua persona

(1) *Non.*) To *non* deest in Ms.

(2) Subdit Radevicus. *Hanc treugam Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, datis pro se dextris firmaverunt, & violatores pacis Pontificalis officii severitate coercendos promiserunt.*

(3) *Federicus &c.*) Hæc Friderici I. Constitutio Auximi lata legitur in Codice Dolleonio.

(4) *In peccun.*) Forte, in pecuniis criminalibus, idest in mulctis pecuniariis.

ſona magna, vel Caſtrum magnum. Si vero parva perſona ſit, pœnæ unius marchæ ſubjaceat, aut corporalem caſtigationem ſuſtineat.

VI. Præterea volumus, ut nullus Judex die peremptorii edicti ſententiam proferre audeat, quia iſta tota dies datur vocato ad juſtitiam; niſi immineat neceſſitas Judici abſentem vocare.

Actum eſt hoc Millo. C. LXXII. (1) die dominico IIII. die menſe Decembri, Indictione decima. Data aput Auximon ad perpetuam rei memoriam. Amen.

## INSTRUMENTUM PACIS CONSTANTIÆ. (2)

*Ex Manuſcripto.*

IN nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis. Federicus Divina gratia favente Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, & Henricus Sextus filius ejus Romanorum Rex & ſemper Auguſtus.

Imperialis clementiæ manſueta ſerenitas eam ſemper in ſubditis ſuis diſpenſationem favoris & gratiæ habere conſuevit, ut quamvis diſtricta ſeveritate exceſſuum delicta debeat & poſſit corrigere, tamen magis ſtudeat propitia tranquillitate pacis & piis affectibus miſericordiæ Romanum Imperium regere; & rebellium inſolentiam ad debitam fidem, & debitæ devotionis obſequium revocare.

Eapropter cognoſcat univerſitas fidelium Imperii tam præſentis ætatis, quam futuræ, ſeu ſucceſſuræ poſteritatis, quod nos ſolita benignitatis noſtræ gratia ad fidem & devotionem Lombardorum, qui aliquando nos, & Imperium noſtrum offenderant, viſcera innatæ pietatis nobis aperientes, eos, & ſocietatem eorum, ac fautores, in plenitudinem gratiæ noſtræ recepimus, offenſas omnes & culpas, quibus nos ad indignationem provocaverant, clementer eis remittentes, eoſque per fidelia devotionis ſuæ ſervitia, quæ nos ab eis credimus certiſſime recepturos, & (3) in numero noſtrorum Fidelium computandos cenſemus.

Pacem itaque noſtram, quam eis clementer indultam conceſſimus, præſenti pagina juſſimus ſubterſcribi, & auctoritatis noſtræ ſigillo communiri. Cujus hic eſt tenor, & ſeries.

I. Nos Romanorum Imperator Federicus, & filius noſter Henricus Romanorum Rex, concedimus vobis Civitatibus & perſonis ſocietates (4), regalia, & conſuetudines veſtras tam in Civitate, quam extra Civitatem, videlicet Veronæ & caſtris ejus, & ſuburgis, & aliis Civitatibus, locis & perſonis ſocietatis in perpetuum; videlicet ut in ipſa Civitate omnia habeatis, ſicut hactenus habuiſtis, vel habetis.

II. Extra vero, omnes conſuetudines ſine contradictione noſtra exerceatis, quas ab antiquo exercuiſtis, vel exercetis.

III. Similiter in fodro, & nemoribus, & paſcuis, & pontibus, & aquis, & molendinis, ſicut ab antiquo habere conſueviſtis, vel habetis, in exercitum, in munitionibus civitatum, in juriſdictione tam in criminalibus cauſis, quam in pecuniariis, intus & extra, & in ceteris, quæ ad comoditatem ſpectant Civitatum.

IV. Volumus, ut regalia quæ vobis conceſſa nunc (5) ſunt, in hunc modum cognoſcantur: Epiſcopus loci, & homines tam de Civitate, quam de Epiſcopatu eligantur, & (6) viri bonæ opinionis, & qui ad hoc boni & idonei eſſe credantur, tales, qui nec contra Civitatem, nec contra noſtram Majeſtatem privato vel ſpeciali odio teneantur; qui jurent, quod bona fide & ſine fraude perquirent, & inquiſita conſignabunt ea, quæ ſpecialiter ad noſtram ſpectant Excellentiam.

V. Si quis autem ſuper iis, quæ vobis conceſſimus, vel permiſimus, ſive in Civitate, ſive extra Civitatem, querimoniam apud noſtram Majeſtatem depoſuerit, ejus querimoniam non admittemus, & ſilentium ei imponemus.

VI. Hoc, quod nos, vel anteceſſor noſter Rex vel Imperator, Eccleſiis, Epiſcopis, vel Civitatibus, vel aliis quibuſcumque perſonis clericis vel laicis, ante tempus guerræ dedit, vel quolibet conceſſionis titulo conceſſit, firmum & ratum habemus, ſalvis ſuperioribus conceſſionibus, & pro eo ſolita ſervitia nobis exhibeantur, ſed cenſus non præſtetur.

VII. Commoditates, quas pro bono pacis Ci-

(1) *Millo. C. LXXII.*) Lege, *MCLXII.* quo currebat Indictio X. & Fridericus Mediolano deſtructa, & Lombardiæ Civitatibus ſubactis ad Romandiolæ & Pentapolis partes profectus eſt. Cæterum error ſubeſt, ni fallor, in menſe, vel in die menſis.

(2) *Inſtrumentum Pacis Conſtantiæ.*) Ex Codice memorato Dolleonio, ex quo hoc Inſtrumentum exſcripſi, plures, graveſque errores corriguntur in vulgatis editionibus occurrentes. Id jam egerat Muratorius Antiq. Ital. Differt. XLVIII. correctiora edens Acta Pacis Conſtantiæ, atque variantia ſubdens ad fidem aliquot exemplarium, quæ præ oculis habuit. Sed hoc, quod edo, ipſi præſto non fuit; cujus tamen ſubſidio nonnulla quoque ipſius Muratorianæ editionis ſphalmata emendari poſſunt: talem ſiquidem mereretur honorem præclariſſimum vetuſtæ libertatis Italicæ monumentum.

(3) *Et.*) Superfluum eſt.

(4) *Societates.*) Lege, *ſocietatis.*

(5) *Nunc.*) Lege, *non.*

(6) *Et.*) Superfluum eſt.

Civitatibus concessimus in Civitate vel extra, illorum regalium nomine non intelligimus, pro quibus census debet præstari.

VIII. Privilegia omnia, & data, & concessiones, quæ in præjudicium & damnum Civitatis, vel locorum, vel personarum societatis occasione guerræ in injuriam alicujus prædictorum a nobis, vel a Nunciis nostris indulta sunt, cassentur, & in irritum deducantur.

IX. In Civitate illa, in qua Episcopus per privilegium Imperatoris, vel Regis comitatum habet; si Consules per ipsum Episcopum consulatum recipere solent, ab ipso recipiant, sicut recipere consueverunt. Alioquin unaquæque Civitas a nobis consulatum recipiet. Consequenter prout in singulis Civitatibus Consules constituentur, a Nuncio nostro, qui sit in Civitate vel Episcopatu, investituram recipient; & hoc usque ad quinquennium. Finito quinquennio, unaquæque Civitas mittat ad nostram præsentiam Nuncium pro recipienda investitura; & sic in posterum; videlicet ut finitis singulis quinquenniis a nobis recipiant; & infra quinquennium a Nuncio nostro, sicut dictum est: nisi in Lombardia fuerimus; tunc enim a nobis recipient.

X. Eadem observentur in Successore nostro. Et omnes investituræ fiant gratis.

XI. Cum autem nos Imperator divina vocatione decesserimus, vel Regnum Filio nostro concesserimus, simili modo a Filio, vel ejus Successore investituram recipietis.

XII. In causis appellationum, si quantitas vigintiquinque librarum imperialium summam excedat, appellatio ad nos fiat; salvo jure & moribus Brixiensis Ecclesiæ in appellationibus: ita tamen ut non cogantur in Alamanniam ire: sed nos habebimus proprium Nuncium in Civitate, vel Episcopatu, qui de ipsa appellatione cognoscet; & juret, quod bona fide causas examinabit & diffiniet secundum mores & leges illius Civitatis infra duos menses a contestatione litis, vel a tempore appellationis receptæ; nisi justo impedimento, vel consensu utriusque partis remanserit.

XIII. Consules, qui in Civitatibus constituentur, tales sint, qui fidelitatem fecerint nobis, vel faciant, antequam consulatum recipiant.

XIV. Vassalli nostri a nobis investituram accipiant, & fidelitatem faciant, sicut vassalli; cæteri omnes, sicut cives; a quindecim annis usque ad septuaginta; nisi sint tales personæ, quibus debeat & possit sacramentum remitti sine fraude.

XV. Vassalli, qui pro tempore guerræ vel non postularunt ( *investituram* ), vel debita servitia nobis non exhibuerunt, hac occasione feudum non amittant.

XVI. Libellariæ, & precariæ in suo statu permaneant, secundum consuetudinem uniuscujusque Civitatis, non obstante lege nostra, quæ dicitur Imperatoris Frederici.

XVII. Damna omnia, & ablata, & injurias, quas nos per nos, & per nostros ab universitate societatis, vel ab aliquo de societate, vel coadjutoribus societatis sustinuimus, & per nos, & per nostram partem gratis remittimus, & plenitudinem nostræ gratiæ eis damus.

XVIII. Moram superfluam in Civitate, vel Episcopatu, pro damno Civitatis non faciemus.

XIX. Civitates murare, & extra munitiones eis facere liceat.

XX. Item societatem, quam nunc habent, tenere, & quoties voluerint, eis renovare liceat.

XXI. Pactationes timore nostro habitæ, vel impressione Nunciorum nostrorum, pro infectis habeantur, nec pro eis aliquid exigatur: puta Placentinorum, scilicet pactum pontis Padi, & fictum ejusdem pontis, & regalium, & datum, & pactum, quod Episcopus Ugo fecit de Castro Arquato, & si qua alia similia sunt facta ab ipso Episcopo vel Communi, vel ab aliis de societate, nobiscum, vel Nuncio nostro, ipso ponte remanente cum omnibus suis aliis utilitatibus Placentinis; ita tamen, quod teneantur semper solvere fictum Abbatissæ Sanctæ Juliæ de Brixia. Et si quæ aliæ sunt similes.

XXII. Sententiæ quoque, quæ jure, & secundum leges & consuetudines contra aliquem vel aliquos de societate latæ sunt, teneant; si tamen de jure contra eos tenerent, si gratiam nostram habuissent.

XXIII. Quæ vero contra aliquem vel aliquos de societate latæ sunt occasione guerræ, vel discordiæ ecce (1), in irritum deducantur.

XXIV. Possessiones, quas quisque de societate ante tempus guerræ juste tenebat, si per vim ablatæ sunt ab his, qui non sunt de societate, sine fructibus & damno restituantur: vel si aliquis recuperaverit, quiete possideat: nisi per electos arbitros ad cognitionem regalium nobis assignentur.

XXV. Opizoni Marchioni omnem offensam, quam nobis, vel alicui nostræ partis fecit, postquam in societate fuerit, per se vel per aliquam personam cum societate, vel defendendo aliquem de societate, Imperiali clementia per nos & nostram partem ei remisimus, & in plenitudinem nostræ gratiæ eum recipimus; nec per nos, nec per interpositam personam pro præteritis offensis sibi vel parti ejus aliquam inferemus læsionem, vel coactionem.

XXVI. Amplius eam jurisdictionem, quam



(1) *Ecce.* ) Ita in Codice breviatur verbum *Ecclesiæ*. Sed hoc loco plane superfluit.

quam Mediolanenses excercere consueverunt in Comitatibus Sepii, & Martianæ, & Burgariæ, & in aliis Comitatibus, exceptis locis quæ Pergamenses modo per Commune tenent inter Aduam, & Oluùm, & excepto Romano veteri, & Bariano; & eam quam modo exercent, libere & quiete habeant & possideant sine contradictione nostra, & Successorum nostrorum; salvis pactis, & datis, & concessionibus in suo robore durantibus, quæ per Commune Mediolanenses fecerunt & (1) Civitatibus Pergama, Novariæ, Laudi, nec propter hanc concessionem lædendis.

XXVII. Nec ullum præjudicium fiat juri aut consuetudini alicujus Civitatis societatis, nec aliquod jus acquiratur in detrimentum alicujus societatis Civitatis (2) propter concessiones prædictas.

XXVIII. Pacta inter Civitates quondam facta, nihilominus firma, & rata permaneant.

XXIX. Nec aliquid intelligitur acquisitum Mediolanensibus in Episcopatu Laudensi propter prædictas concessiones, salvo jure Mediolanensibus aquæ Labrensis, quod habent in pedargio.

XXX. Omnes de societate, qui fidelitatem nobis jurabunt, in sacramento adjicient fidelitatis, quod possessiones & jura, quæ nos in Lombardia habemus & possidemus extra Civitatem, jurabunt nos bona fide manutenere, si opus fuerit, & super hoc per nos, vel per nostrum Nuncium certum requisiti fuerint; & si amiserimus, recuperare: ita videlicet, quod finitimæ Civitates obnoxiæ sint principaliter ad hoc faciendum; & si opus fuerit, aliæ teneantur ad competens auxilium præstandum.

XXXI. Civitates de societate, quæ sunt extra Lombardiam, in suo confinio ita teneantur facere.

XXXII. Si qua vero Civitatum ea, quæ in conventione pacis ex parte nostra statuta sunt, non observaverit, cæteræ Civitates ad id observandum bona fide compellent; pace nihilominus in suo robore permanente.

XXXIII. Nobis intrantibus per Lombardiam fodrum consuetum, & regale, qui debent & solent, & qui solent & debent (3) præstabunt, & vias & pontes bona fide sine fraude & sufficienter reficient. In eundo & redeundo mercatum sufficiens nobis, & nostris euntibus & redeuntibus bona fide sine fraude præstabunt.

XXXIV. In omni decimo anno fidelitates renovabunt in his, qui nobis eas non fecerint, cum nos petiemus, vel per Nuncium nostrum.

XXXV. Si qui ex parte nostra de suis justis possessionibus expulsi sunt, restituantur sine fructibus & damno; nisi in causa principali, seu proprietatis, jure possit se tueri possessor; salvis prioribus concessionibus. Et omnes offensæ eis remittantur. Eodem jure servando in his, qui sunt ex parte nostra, circa restitutionem; nisi Civitas teneatur juramento ut non restituat; quo casu arbitrium boni viri volumus pro restitutione succedere.

XXXVI. Et si qua controversia de feudo orta fuerit inter nos, & alium qui sit de societate, per Pares illius Civitatis, vel Episcopatus, in quo discordia agitur, secundum consuetudinem illius Civitatis in eodem Episcopatu terminetur; nisi nos in Lombardia fuerimus: tunc enim in audientiam nostram, si hoc nobis placuerit, causa agitabitur.

XXXVII. Item volentibus venire contra pacta non per violentiam facta, & juramento firmata, inter Civitatem societatis, (4) vel Civitatem & alias personas, nos audientiam denegabimus.

XXXVIII. Item nos restituimus stratam Veronensibus. Et nominatim recipimus Azolinum in plenitudinem gratiæ nostræ, & omnem offensam ei remittimus.

Hanc igitur pacem secundum formam præscriptam, & sicut per mediatores pacis, videlicet Willielmum Astensem Episcopum, Henricum Marchionem Saonensem, & ejus (5) fratrem Theodoricum de Silva benedicta, & Rodulfum Camerarium nostrum, una cum eis bona fide intelleximus, & secundum tenorem, quo eandem pacem & concordiam intimari & jurari fecimus, & secundum quod Lombardi eam bona (*fide*) intellexerunt, perpetuo ratam haberi & confirmari statuimus. Ut firma permaneat & inconvulsa, præsentem paginam nostri impressione sigilli fecimus communiri.

Nomina vero Civitatum, quibus gratiam nostram reddimus, & præscriptam fecimus concessionem, seu permissionem, hæc sunt: Vercellæ, Novaria, Mediolanum, Lauda, Pergamum, Brixia, Mantua, Verona, Vicentia, Padua, Tarvisium, Bononia, Faventia, Mutina, Regium, Parma, Placentia. Istis autem Civitatibus, & locis pacem servare volumus, & gratiam nostram reddimus.

Præscriptam autem concessionem, & permissionem eis non facimus; videlicet Ymolæ, Castro Sancti Cassiani, Bobio, Plebi de Gravatona, Feltre, Bellunæ, Cenetæ, Fer-

(1) *Et.*) Et hoc superfluit.

(2) *Societatis Civitatis.*) Hoc est: *Civitatis societatis.*

(3) *Et qui solent & debent.*) Lege, *&. quando solent & debent*: vel potius, *& quod solent & debent.*

(4) *Inter Civitatem societatis.*) Lege, *inter Civitatem, & Civitatem societatis.*

(5) *Et ejus.*) Aliis spectatis exemplaribus hæc verba superflua sunt.

Ferrariæ autem gratiam nostram reddimus; & præscriptam concessionem eis facimus, seu permissionem, si infra duos menses post reditum Lombardorum a Curia nostra de pace præscripta cum eis concordes fuerint.

Hanc itaque pacem & concordiam, sicut supra scriptum est, tam nos, quam filius noster Henricus Romanorum Rex per Camararium nostrum Rodulphum in animam nostram jurari fecimus.

Hi sunt Principes & Nobiles Curiæ, qui præscriptam pacem per se firmam tenere juraverunt. Hermannus Moastus (1) Episcopus: Henricus Curiensis electus: Thyteynus Aquensis Abbas: Gothofredus Imperialis aulæ Canzellarius: Ortus Dux Augeriæ (2): Fredericus Dux Suaviæ filius noster: Bertoldus Dux Zarigenæ: Bertoldo Marchio Ystriæ: Hermannus Marchio Veronæ: Comes Henricus de Dierse: Comes Theopoldus de Leschemunde: Comes Lodoycus frater Canzellarii de Elfesten: Rodulphus Camararius: Venerius de Bombardia: Cheuno de Montebret: Conradus Pincerna.

Hi sunt Nuntii, qui ex parte Lombardorum pacem præscriptam & concordiam receperunt, & in præsentia nostra juramento confirmaverunt.

*De Mediolano*: Guido de Landriano: Pinamundus de Vicomercato: Adobatus Butrafus: Villielmus Birrus: Wertius de Buxolo: Adericus de Vonate: Rozevius Marzelinus: Lotherius Medicus.

*De Brixia*: Obtaldus de Marzelengo: Gezo de Turbiaco: Desiderius Judex: Rodulphus de Conzissio: Bochasius de Minerbio: Albericus de Capriano.

*De Placentia*: Gerardus de Arditione: Jacobus Strictus: Hermannus de Chario: Caupo Judex.

*De Pergamo*: Albertus de Mapello: Artus Fatianus: Johannes de Piterengo: Lanfrancus de Monacho: Albertus Artonus: Albertus Albertanus.

*De Verona*: Cozo Judex: Ubertinus de Carcere: Valerianus de Castello: Martinus de Castello: Thobaldus de Ramundo: Thobaldinus de Nasinguera.

*De Vicentia*: Pileus Judex: Ubertinus de Fontaniva: Kardenavarius Marcus de Pauliano.

*De Padua*: Gnansus: Ezelinus Judex: Henglescus de Fontenugluria.



*De Tarvisio*: Florius Judex: Gombertinus de Anardone.

*De Mantua*: Alexandrinus: Jacobus de Amica: Angnellus Judex: Henricus de Angnelo.

*De Faventia*: Bernardus Judex: Ugolinus de Azo.

*De Bononia*: Antonius Potestas: Rolandus Guarini: Matthæus Rodulfi.

*De Mutina*: Arlotus Judex: Raynerius de Pucabata.

*De Regio*: Albertus Cambiator: Rolandus de Caritate.

*De Parma*: Jacobus Patriavie: Malabetus Judex: Vetulus Judex: Conradus Buizonus.

*De Laude*: Viventius de Fusigam: Anselmus de Faparma.

*De Novaria*: Opizo de Brionia: Thedisius Caballatius: Wido de Bonprando.

*De Verzellis*: Meardus: Vizelinus.

Hæ sunt Civitates & loca, quæ pacem præscriptam sub juramento Lombardorum nobiscum receperunt, & eadem pro se juraverunt: Papia: Cremona: Cuma: Tardona: Asta: Cesaria: Janua: Alba: Et aliæ Civitates, & loca, & personæ, quæ sunt & fuerunt in parte nostra.

Hæc sunt nomina Nuntiorum, qui investituram Consulatus a nobis nomine Civitatum receperunt: Adobatus, de Mediolano: De Placentia, Girardus Arditionis: De Laude, Viventius: De Verona, Cozius: De Vicentia, Pileus: De Padua, Gnansus: De Tarvisio, Florius: De Mantua, Alexandrinus: De Faventia, Bernardus: De Bononia, Antonius: De Mutina, Arlotus: De Regio, Rolandus: De Parma, Jacobus de Patriave: De Novaria, Opizo: De Vercellis, Meardus: De Pergamo, Artus Fatianus.

Signum Domini Frederici Imperatoris Romanorum invictissimi.

Ego Gothofredus Imperialis aulæ Cancellarius vice Christiani Maguntinæ (3) Sedis Archiepiscopi, & Germaniæ Archicancellarii recognovi.

Facta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXIII. Indictione prima, regnante Domino Federico Romanorum Imperatore gloriosissimo, anno Regni ejus XXX. (4) Imperii vero XXIX.

Data apud Constantiam in solemni Curia VI. Kal. (5) Julii.



(1) *Moastus.*) Lege, *Monasteriensis*.

(2) *Augeriæ.*) Amanuensis scribere forte voluit, *Baugeriæ*: *Baviera*. Sed haud multum exactus fuit in describendis nominibus personarum atque locorum; alia namque nonnulla hujusce generis errata occurrunt in exemplari; quæ tamen Lector animadvertere facile poterit, atque corrigere collata Muratoriana editione. Credo tamen & in his Muratorium ipsum alicubi ex nostro esse corrigendum.

(3) *Ego Gothofredus &c.*) Paragraphum hunc trado in ipso textu correctum; etenim amanuensis, cum eum exscripsit, vel vino vel sopore captus fuisse videtur. En quam inepte scripsit: *Ego .... Vice Scrinarii Magnitudine sedis Archiepiscopi, & Jerman Archi Canzellarius recognovi.*

(4) *XXX.*) Lege, *XXXII.*

(5) *VI. Kal.*) Legendum videtur, *VII. Kal.* ut alia habent exemplaria.

In nomine Christi. Juro ego, quod amodo ero fidelis Domino Imperatori Federico, & ejus filio Regi Henrico: Nec ero in consilio, vel facto, quod ipsi perdant vitam, vel membrum, seu coronam Imperii, vel Regni: Et si sciero aliquem fecisse, vel facere volentem, per me vel per alium Domino Imperatori vel Regi; vel Nuncio eorum sine fraude manifestabo, & eum adjuvabo tenere, & si perdiderit, recuperare, bona fide in Episcopatu, & Comitatu adjuvabo. Insuper pacem Domini Federici Imperatoris, & filii ejus Regis Henrici, & suæ partis, factam cum societate Lombardorum, & ejus societatis, sicut scriptum est, & inde sine fraude, infra XV. dies post juratam bono intellectu, & sigillo Domini Imperatoris sigillatam, observabo bona fide & sine fraude: Et hoc jurare faciam omnes masculos mecum habitantes a sexdecim annis supra usque ad LXX. infra XV. dies, postquam juratum habuero, exceptis servis. Et qui per me jurare noluerint, infra tertium diem Imperatori vel Regi, vel suis Nunciis per breve manifestabo.

Data MCLXXXIII. Indict. I.

Ego juro omnibus Civitatibus Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, & locis, Domino Opizoni Marchioni Malaspinæ, & omnibus personis prædictæ societatis concessiones, & permissiones, sicut in scripto pacis inter Nuncios Domini Imperatoris, & Rectores & Nuncios Civitatis Societatum Lombardiæ facto continetur, firmas tenere: Nec ero in facto vel consilio, ut aliquid prædictorum minuatur alicui de societate. Et si qua persona, aut Civitas, vel locus alicui Civitati vel loco aut personæ prædictæ societatis, aut jam dicto Marchioni auferre vel diminuere voluerit, eos vel eas manutenere & defendere bona fide absque fraude contra omnes homines adjuvabo. Et omnia præcepta, quæ Rectores concorditer omnes, vel major pars mihi fecerint, sine fraude observabo. Et omnia supradicta attendam a Kalendis Madii usque ad XXX. annos. Et in capite uniuscujusque quinquennii, si per majorem partem Rectorum requisitus fuero, renovabo. Et hoc totum sine fraude jurare faciam omnes homines meæ Civitatis a XVIII. annis usque ad LXX. Et hæc omnia jurare faciam Consules vel Potestates meæ Civitatis, & Credentias usque ad illum terminum, qui mihi constitutus fuerit per Rectores Lombardiæ, & Marchiæ, & Romaniæ in hoc Colloquio.

Die Lunæ XI. exeunte Januario, in Placentia in Ecclesia Sanctæ Brigidæ in præsentia Villanelli, Wilielmi, Gironi Notarii; ibique in eorum præsentia Rectores Lombardiæ, Marchiæ, Romaniæ fecerunt prædictum sacramentum: Nomina quorum hæc sunt: De Brixia, Albricus: De Verona, Cozo Judex: De Bononia, Prendiparte Potestas: De Novaria, Rozerius Marzellinus Potestas: De Padua, Vazotus: De Tarvisio, Odoricus de Montello: De Mutina, Wilielmus de Azo: De Placentia, Bonizo Judex: De Pergamo, Albertus de Osa Potestas: De Plebe de Gravatona Petrusgallus Consul: De Faventia, Wilielmus Burinus Potestas: De Mediolano, Petrus Vicecomes.

Hæc sunt nomina illorum, qui juraverunt, ut supra legitur, & ut dicti Rectores juraverunt; excepto quod non sint districti facere jurare homines suæ Civitatis: De Brixia, Desiderius Judex, Martinus Petenalupus, Pax Confalonerius: De Padua, Gnansus a Calone: De Verona, Carlaxatus Crescentionum, & Vivianus Advocatorum: De Tarvisio, Trivisius de Walperto: De Pergamo, Lanfrancus de Monacha, Oprandus Judex, Johannes de Petengo: De Novaria, Federicus de Bono, Michael Capra: De Mutina, Rolandus Demian: D Bononia, Rolandus de Rodalpho, Deveni Vivollelus, Ospinellus de Carbonensibus De Plebe de Gravatona, Gregorius Consul: De Faventia, Aureus Judex; juraverunt ita ut suis Rectoribus.

Anno a Nativitate Domini MCLXXXV. Indictione III.

Et postea sequenti die Martis X. exeunte Januario, Armaninus de Parma Rector, idem sacramentum fecit, ut prædicti Rectores fecerunt; & Albertus de Thebaldo similiter.

AP-

# APPENDIX.

## Ex Codice Membranaceo in fol. Sæculi XIII. apud laudatum V. Cl. Lucium Dolleonium, in quo Consuetudines Feudales, & Acta Pacis Constantiensis continentur.

Post Constitutionem Friderici I. *de pace ponenda inter subjectos Romano Imperio*, hæc veteris Jurisconsulti adnotatio, sive monitum legitur.

*ET primo quidem singula instrumentorum editione annos oportet in primordio describere dominicos, & quoto Imperatoris anno, & qua die mensis, deinde qua Indictione scribatur instrumentum. Vendentium quoque & ementium personæ, atque postmodum res ipsa, quæ venit, & locus, & ipsius rei descriptio inscribenda est. Similiter conditio, si aliqua forte in contractu apposita fuerit, & rei defensio, ac pœnæ promissio, & in quo loco instrumentum conscribitur; ac deinde venditoris subscriptio singulis instrumentis perscribenda est; quæ quidem omnia seriatim ex subjectis apparebunt.*

*Sed cum ad cunctorum nomina pertractanda insinuandaque enucleato fullo feliciter proponimus ipsorum negotia, de quibus instrumenta conficiuntur, varietates, ac differentias nobis velut quendam murum obviare me inexpugnabilem vim facere concupiscamini. Aliquando enim contrahimus vendendo, emendo, aliquando donando, quandoque permutando, pignus in solutum accipiendo, quandoque testamentum faciendo, aliquando mutuum accipiendo, vel aliter, ut plerumque accidit, quamplurimis modis paciscendo, quæ quidem omnia in competentibus locis manifestanda duximus, & venditionis & emptionis instrumentum fieri cogatur; cujusmodi emptio fit. Similiter & jurisdictionis personam & causam ac tutius inspicienda mandamus; quia aliquando ipsa res est domini uni, & proprietas ejus unanimiter venit, & hæc est vera & legitima venditio, aliquando solum dominium, quandoque sola possessio; rursus possessio sola quandoque in jure emphyteotico; quandoque concessionis dumtaxat nomine emitur, & emphyteosis instrumentum a domino habente conficitur. Libellus quidem ad solam possessionem inducitur. Res quoque, quæ inducitur, intuenda est, veluti si sacra est & religiosa, aut violenter alicui exempta, aut quolibet modo injuste a venditore possessa sit. Persona & donantis & accipientis vel vendentis inspicienda est, veluti si sit minor XXV. annorum, aut furiosus, aut quælibet alia persona, certe propter ætatem aut aliam quamlibet causam probibeatur alienatio suarum rerum; veluti si nimis minor inopia videatur laborare aut alia probabilis causa intercedente, quæ minorem locum sacrum ad propriæ rei alienationem perducat. Hiis itaque omnibus singulatim præcognitis atque præscriptis facilius ac justius ad ipsorum instrumentorum eandem formam Deo annuente pervenire valebimus.*

*Post tractatum emphyteotici juris restat videre & tractare de precariis, qualiter scilicet contrahantur, & quæ personæ possunt dare, & quæ accipere. Omnes itaque possunt dare, exceptis minoribus, & servis; & omnes accipere præter ecclesiam & servos. Qualiter igitur fiant precaria dicendum est. Plerumque enim ecclesiæ, quia non possunt dominia suarum rerum in alium transferre certa pensione constituta solent aliis precarium concedere. Antiquitus enim cautum precibus dabantur; hodie pretio sine dampno eædem tantum in scriptis conceduntur, ita ut non transgrediantur terciam generationem. Sed tamen ex pacto renovari possunt, ut in libello. Neque hic necessaria est promissio meliorationis ut in emphyteotico jure. Quomodo in hoc contractu succeditur, videndum est. Plerumque enim solent hoc precarium concedere, ita ut masculi succedant, & non feminæ; prius tamen masculis quam feminis defertur. Et ideo quandoque masculi tantum succedunt, quandoque masculi & feminæ.*

*Restat ergo, ut de libello dicatur, qualiter continebatur, quæ personæ possunt dare, quæ accipere. Omnes possunt dare, præterquam minores & servi, & omnes accipere exceptis servis.*

*Nunc quomodo contrahitur videndum est. Solent enim personæ, quæ volunt dominium suarum rerum in alium transferre precarie acceptum usque ad justum pretium temporis scilicet XVIII. annorum expletis certa pensione constituta res soli sub specie vendicationis concedere, & si dictum fuerit renovant, & non de pretio statuet secundum qualitatem rei in libello datæ. Idem est in precario de renovatione. Quæ personæ succedere valeant, videndum est. Succedere omnes possunt scilicet descendentes, & ex latere venientes, quando fuit paternum, vendere autem infra dictum tempus præter dominorum voluntate aliis possunt.*

*FINIS.*

# VARIANTES LECTIONES,

## GLOSSÆ, FORMULÆ, MONITA

### AD LEGES LANGOBARDICAS

### *EX CODICE EUPHEMIANO.*

# ROTHARIS REX.

*Ad Legem I.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

A*Ut qualiter* (1) *Regi placuerit, componat.*

*Ad Legem II.*

FORMULA.

*Vide Volumen II. pag. 465.*

*Ad Legem IX.*

LEX GLOSSATA.

Si quis qualemcumque hominem ( *de cauſa Regis* ) ad Regem accuſaverit, quod animæ ſuæ pertineat ad periculum, liceat ei qui accuſatus *fuit*, cum ſacramento ſatisfacere, & ſe idoniare. Et ſi talis cauſa emerſerit, & *adeſt* homo in præſentia, *cui* ( *lege* qui ) crimen immittit, liceat ei per Camphionem crimen ipſum de ſuper ſe ejicere &c. *Infra*. Et ſi *ei* probare non potuerit, & cognoſcitur *quod* doloſe accuſaſſet, tunc ipſe qui accuſaverit, & probare non potuerit ( *tradatur* (2) *in manus ejus cum rebus ſuis, & ipſe faciat de eo quod voluerit* ) widrigildum ſuum componat, medietatem Regi, & medietatem, cui crimen *injectum eſt*.

MONITUM.

*Hoc primum ſapias, ſecundum quoſdam, quoniam in omnibus appellacionibus, quæ in Edicto ſunt, debet interrogari appellator, ſi poteſt probare, & ſi non potuerit probare, det wadia qui appellatus eſt, ſi ſe recordatus fuerit, quod emendet; ſin autem, juret. Exceptis appellacionibus unde leges infra ſe præcipiunt hominem jurare; per Edictum quidem. Sed per legem fit probacio & eſſe poteſt de omnibus, ubi teſtes per judicium producendi ſunt.*

FORMULÆ.

*Petre, hoc dicit Dominus noſter Imperator, aut Paulus Advocatus de parte Publica, quod tu conſiliatus es, aut cogitaſti contra animam ſuam, aut contra animam Regis. Aut auſus fuiſti fugere foras Provinciam. Aut inimicos Regis intra Provinciam invitaſti, vel introduxiſti. Aut ſpiam Regis intra Provinciam celaſti, aut annonam dediſti. Aut levaſti ſedictionem foris in exercitu contra tuum Ducem, aut contra eum, qui erat ad exercitum gubernandum ordinatus a Rege——Non feci——* Si accuſator non eſt in præſentia, per ſacramentum cum ſuis, ſecundum quoſdam, ſacramentalibus ſe purificet. Et ſi eſt in præſentia, per pugnam ſe defendat; ſic tamen dum jurat, ut Advocatus non juret antea, per uſum—— Sed ſecundum valentes ſolus juret.

*Ad Legem XI.*

MONITUM LEGI SUBNEXUM.

*Unuſquiſque qui homicida eſt, omnem ſubſtantiam ſuam amittat* (3). *Scamerarius fuit* (4). *Si . . . .*

*Ad*

(1) *Aut qualiter &c.*) Hæc proprie leguntur, ut a legislatore producta, infra Lege IX. Sed Gloſſator ea repetiit in calce Legum I. III. IV. V. VI. itemque ad Leges V. VI. VII. gloſſa addit: *& res ejus in fiſco ſocientur*: quæ profecto leguntur & in quibuſdam aliis Rotharis legibus de crimine Majeſtatis agentibus.

(2) *Tradatur &c.*) Gloſſa deprompta ex lege VI. Rachis, animadverſione digna, quod legem exaſperet, & juri privatæ vindictæ laxet habenas.

(3) *Amittat.*) Hoc eſt, ut aliæ in Codice gloſſæ habent: *Si liber liberum interfecerit*. Eadem pœna pluries repetitur in gloſſis, ei quoque infligenda, qui furtivo mortis genere homicidium perpetraſſet, ut per venenum &c. Colliges hinc, gloſſas ipſas deſcriptas fuiſſe, antequam huic delicto Henricus II. præter omnium facultatum mulctam pœnam quoque mortis inflixiſſet. Vide Henrici II. Legem II.

(4) *Scamerarius fuit.*) Nonnulli ex antiquis, & modernis ſcriptoribus *Scameras* interpretantur *exploratores*; hiſque aſſentitur ſupra relata formula ad Legem IX. quæ alludens ad Legem V. Edicti Rotharis, ubi *Scameræ* memorantur, hæc habet: *Spiam Regis intra provinciam celaſti*. Alii quibuſdam vete-

*Ad Legem XII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum* —— *De torto me appl.* —— Si manifestaverit se occidisse, det wadia de emendacione, aut per se, aut cum aliis.

*Petre te appellat Martinus quod tu occidisti patrem suum* —— *Feci, sed cum illo & illo. Volo me adunare, & simul co . . . . . . . . . adunabis, quod mibi composuerint, & tu te subtraxisti* —— Aut juret quod non subtraxerit, aut componat sicut alii —— Et si juraverit, det suam partem.

*Ad Legem XIV.*

GLOSSA.

*Vide Vol. II. pag.* 464.

*Ad Legem XIX.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu pro injuria tua vindicanda intrasti super se in vicum talem cum manu armata, aut cum exercitu, usque ad quatuor homines* (1).

*Petre te appellat Martinus, quod Donatus intravit super se in talem vicum pro sua injuria vindicanda, cum manu armata, aut cum exercitu usque ad quatuor homines; & tu fuisti cum ipso.*

*Ad Legem XXIII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si dux exercitalem suum molestaverit injuste, Gastaldius (2) ei *præbeat solacium*, usque &c.

*Ad Legem XXV.*

GLOSSA LEGI SUBNEXA.

*Idest: XX. solidi dividantur inter Regem, & actorem.*

FORMULA.

*Petre Dux, aut Petre Judex, te appellat Martinus, quod tu eras ordinatus a Rege ad gubernandum exercitum talem, & ipse erat in ipso exercitu, & habebat perditam talem rem in ipso exercitu, & venit ad te, ut faceres ei justiciam, & non fecisti* —— *De torto me appelli.*

*Ad Legem XXVI.*

GLOSSA LEGI SUBNEXA.

*Excepta divisione, componat in raptus.*

FORMULÆ.

Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti aliquam injuriam ad Mariam suam mundoaldam —— De torto —— Similiter fit de liberta, nisi . . . . . de ea aliter inveneris.

*Ad Legem XXXII.*

GLOSSA LEGI SUBNEXA.

*Ut similiter de servo intelligatur, ita præcipimus.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Carolus, quod tu occidisti suum patrem* —— *Ego inveni in curte mea illum tacito, & noluit mibi dare manus ad ligandum, & ita occidi illum* —— Et ita probet —— Sin autem; probet appellator, quod eum ita non interfecit —— Aut ipse, qui appellatus est, juret cum suis sacramentalibus, quod eum interfecisset —— Sed melius est ut dicat, *quod non occidi illum, quod per legem emendare debeam.*

*Petre te appellat Martinus, quod ipse invenit te in curte sua tacito* —— *De torto.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu eum ligasti de torto.*

Sed secundum valentes solus juret.

*Ad Legem XXXIII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti unum servum suum* —— Similiter omnimodo fiat, ut supra de libero.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse invenit in corte sua unum tuum servum* —— *De torto me appelli.*

*Ad Legem XXXV.*

LEX GLOSSATA.

Si quis scandalum in Ecclesia (*propria Longobardi*) perpetraverit (*non in servis suis, vel anciliis, vel aldiis, vel aldiabus, nec per se, nec per suos; si enim ita*

---

teribus monumentis innixi, malunt *Scameras* esse latrones, prædones. Hic autem *Scamerarius* (si truncæ lectioni fidendum,) dicitur homicida, qui neque explorator est, neque prædo. Assentiamur erudito Johanni Ihre, qui in Glossario vocem *Skamm* (epitheton cacodæmonis) generali verbo *maleficum* interpretatur: *Nec dubitandum est* (subdit), *quin eadem vox sit, quæ in Legibus Longobardicis, & Scriptoribus aliis medii ævi sæpius occurrit, ubi latrones audiunt Scamari, Scamaræ, Scamaratores.* Si res ita se habet, vox apta erit indicare latronem, exploratorem, homicidam, & quemcumque insignem malefactorem.

(1) *Usque ad quatuor homines.*) Quæ innuunt adhuc glossatoris, seu formulistæ ævo viguisse, ut quatuor tantum homines animo hostili conjuncti forensi Langobardico stylo dicerentur *exercitus*. Vide dicta in notis ad Legem Bajuvariorum Tit. III. cap. VIII. Vol. II. huius Collect.

(2) *Gastaldius.*) Glossa interl. *idest*, *Comes*. Par glossa occurrit ad Legem VI. lib. VI. Liutprandi, ut infra videbimus.

*ita fecerit, widrigild componere debet*), XL. sol. illi venerabili loco sit culpabilis, *excepto plagas*, aut *feritas*, quas cui fecerit, componat. Et prædicti XL. sol. *pro Sculdai* aut *Judice*, qui in loco ordinatus fuerit, exigantur, & in sacro altari, ubi injuria facta *est*, ponantur. *Si vero in Ecclesia de Episcopatu, vel Abbatiæ fuerit, DC. sol. componat.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod commisisti scandalum in tali Ecclesia, quæ est in proprietate Donati —— Non placeat Deo.*

*Ad Legem XXXVI.*

LEX GLOSSATA.

Si quis intra Palatium, ubi Rex præest, scandalum perpetrare præsumpserit, animæ suæ incurrat periculum, (*& res ejus in fisco socientur*) aut redimat &c.

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus de parte Publica, quod tu commisisti scandalum in Palacio, ubi Rex erat —— Non placet Deo.*

*Ad Legem XXXVII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu commisisti scandalum in eadem Civitate, ubi Rex erat, aut statim venire debebat; & plagas, aut feritas fecisti —— Non placeat Deo.*

*Ad Legem XLIII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tibi subito adveniente ira, fecisti ei III. feritas, quæ apparuerint lividæ, & inflatæ —— De torto me appelli.*

*Ad Legem XLVII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Si vero os tale non egredietur, emendabitur ut plagæ —— Secundum asinos.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod fecisti ei plagam unam in capite, unde exiverint tria ossa, ex quibus unum os, aut omnia talia inveniuntur, quæ ad pedes XII. per viam sonum in scuto facere possint —— De torto me appelli.*

*Ad Legem XLVIII.*

LEX GLOSSATA.

Si quis alii (*præsumptive, aut non,*) oculum excusserit, pro mortuo apprecietur, qualiter in *hanc gargathungi*, idest secundum qualitatem personæ &c.

*Ad Legem LXVII.*

VARIA LECTIO.

Si quintum digitum excusserit, componat sol. XVI.

*Ad Legem LXXIV.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Et si contigerit de ipsis plagis & feritis infra anni spatium mori hominem, qui plagatus est, tunc qui eum plagaverit (*se defendendo*) componat qualiter in *hac gargathungi*, idest secundum qualitatem personæ. (*Si vero super eum ambulaverit, omnem substantiam suam amittat. Excepto si servus se defendendo hominem liberum plagaverit. Nam ille, qui post plagatus est, & intra annum inde composicio facta est, si post annum mortuus fuerit, absque composicione alia jacebit.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti ad patrem suum unam plagam, & fuit mortuus non de ipsa plaga intra anni spacium —— Ipse fecit mihi finem de ipsa plaga —— De plaga potuit tibi facere finem, sed non de morte.*

*Ad Legem LXXV.*

LEX CORRECTIOR, ET GLOSSATA.

Si infans in utero matris suæ nolendo ab aliquo occisus fuerit, si ipsa mulier libera est, & evaserit, apprecietur ut libera secundum nobilitatem suam; *&* medietatem *precii*, *quod* ipsa valuerit, infans ipse componatur. Nam si ipsa mortua fuerit, componat ipsam secundum generositatem suam; excepto *quod* in utero ejus *mortuum* fuerit, ut supra, cessante faida, (*quod est inimicitia*), *eo quod* nolendo fecit. (*Similiter præcipitur de omnibus fæminis liberis, quæ nolendo occiduntur.*

*Ad Leges CXVI. CXVII. CXVIII.*

VARIA LECTIO.

Si tertium *digitum de manu excusserit, componat sol. II. —— Si quartum digitum de manu excusserit, componat sol. II.* —— Si quintum *digitum de manu excusserit, componat sol. IIII.* excepta opera & mercede medici.

*Ad Leges CXX. CXXI. CXXII. CXXIII. CXXIV.*

VARIA LECTIO.

Si quis *servo alieno rusticano* pollicem de pede excusserit, componat *sol. II.* ——

Si

Si secundum *digitum pedis excusserit*, componat *sol. I.* —— Si tertium *digitum pedis excusserit*, componat *sol. I.* —— Si quartum *digitum pedis excusserit*, componat *sol. I.* —— Si quintum, componat *sol. medietatem.*

*Ad Legem CXXVII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse appellavit te, quod tu fecisti plagam in capite de Marcoardo suo servo; & propter hoc, quod dubietas erat si evaderet, medietatem de composicione dedisti, & medietas in suspenso fuit. Modo sanus est; & vult, ut tu adimpleas aliam medietatem. Aut; modo mortuus est; & vult quod adimpleas composicionem mortui.*

*Ad Legem CXXVIII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu plagasti Donatum suum servum in capite, & noluisti quærere medicum; sed ipse quæsivit, & vult ut solvas ei mercedem, quantum per doctos homines arbitratur.* —— *De torto.*

*Ad Legem CXXIX.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti unum suum aldium. Aut unum suum servum ministerialem probatum. Aut de aliis ministerialibus. Aut unum servum massarium. Aut unum servum bobulcum de sala. Aut unum rusticanum. Aut unum porcarium magistrum. Aut de inferioribus porcariis. Aut pecorarium. Aut caprarium. Seu armentarium. Aut ex discipulis. Aut infantem parvulum de servo. Aut de massario.*

*Ad Legem CXXXVIII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Et si tres aut IIII. vel amplius fuerint, & omnes mortui fuerint, nisi unus, ipse unus de unoquisquis medietatis composicionem debet. Si tres fuerint, & unus mortuus fuerit, duo vivi duas partes widrigild componant. Similiter in ceteris.*

*Ad Legem CXXXIX.*

LEX GLOSSATA.

Si quis homo liber, aut mulier venenum temperaverit, & alii (*libero, vel liberto, vel liberæ*) (1) ad bibendum dare voluerit, componat sol. XX. sicut ille, qui *de* morte alterius consiliatus fuerit.

*Ad Legem CXLI.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Componat ipse qui dedit, si per pugnam convictus fuerit. Si vero aliter, omnem substantiam amittat. At si fœminæ liberæ dedit, mille CC. sol. componat.*

*Ad Legem CXLII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*De servo quidem sic sit aliquando, ut si ipse servus hoc malum fecit cum voluntate domini sui, & probatum fuerit, perdat ipse dominus omnem substantiam suam in eo ordine, ut dicturi sumus. Et si dominus negaverit, quod per suum consilium factum non fuisset, purificet se ad legem Dei, & componat ipsum sicut antea fuit consuetudo, & insuper ipsum servum tradat in manus de parentibus defuncti. De ancilla vero, ut dominus ejus ipsum homicidium in integrum componat, & ipsa in composicione, pro quanto appreciata fuerit, ad occidendum tradatur, & nulla sit redemptio, aut excusatio mortis ancillæ.*

*Ad Legem CXLIII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Omnem substantiam suam amittat, & insuper manum perdat, si liberum causa vendicandi liberum occiderit. Si vero servum vel aldium, causa vindicandi servum aut aldium, in duplum quod accepit pro composicione servi vel aldii domino reddat. De plagis vero aut feritis, qui post composicionem acceptam revendicare tentaverit, in duplum quod accepit restituat. Excepto si hominem occiderit, sit ut supra.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag. 465.*

ALIA FORMULA.

*Martine te appellat Petrus, quod ipse interfecit patrem tuum, & fecit tibi composicionem, & ei fecisti perdonacionem, & jurasti; & revendicandi causa interfecisti fratrem suum. Aut, pro plaga, quam fecit tibi in capite, unde tu fecisti finem ei, revindicandi causa fecisti plagam unam in suo capite.* —— *De torto.*

*Ad Legem CXLVI.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Qui appellatus est aut in triplum emendet, aut se purificet, secundum legem.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse ha-*

(1) *Vel liberæ.*) Glossa marg. *Nam si servo dare voluerit, vel si dederit, servus mortuus non fuerit, nihil inde fieri debet.*

*habet certam suspecionem, quod voluntarie incendisti unam suam casam, quæ valebat libras C. cum tanto mobili, quod valebat L.* —— *De torto.* —— *Vis ei adardire?* —— *Volo.* —— *Wadiate pugnam.* —— Et si dixerit: *incendi ego ipsam casam, sed non valebat tantum;* tunc veniant vicini & æstiment. —— Et si dixerit, quod mobilia non fuerint tanta incensa; si appellator facere pugnam vult, faciat. —— Et si dixerit: *non feci per meam voluntatem;* juret cum suis sacramentalibus, secundum quosdam. —— Nam solus secundum valentes jurare debet.

*Ad Legem CXLVII.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Si quis focum (*foras*) (1) super novem pedes a foculare portaverit &c.

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu portasti focum ultra novem pedes de foculari, & de ipso foco fuit incensa una sua casa, quæ valebat sol. X.* —— Si dixerit: *non portavi;* non faciat pugnam, sed juret. —— Si dixerit: *portavi, sed non fuit incensa tua casa;* faciat pugnam, si vult qui appellat.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse deposuit tibi tanta sua mobilia, quæ valebant sol. XX.* —— Si negaverit, fiat pugna. —— Si dixerit: *incensa est;* tunc ipse qui appellat, dicat: *Ego te appello, quod tu portasti focum ultra novem pedes de foculari tuo, & ex ipso foco fuit incensa.* —— Secundum quosdam ita sit hæc appellatio. —— Sed secundum valentes est exceptio. & re.

*Ad Legem CXLVIII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti focum foris in itinere, & laxasti per neglegentiam, & per ipsum focum fuit incensa tanta sua mobilia, quæ valebant sol. C.* —— Si dixerit: *focum feci ego, sed non dimisi per neglegentiam;* juret cum suis sacramentalibus, secundum quosdam; sed solus, secundum valentes. —— Si dixerit: *focum feci, & per neglegentiam dimisi, sed non fuerint incensa tua mobilia.* —— Si dixerit: *focum feci, & per neglegentiam laxavi, sed non fuerint incensa tua mobilia, antequam transirent XXIV. horæ, aut antequam transiret focus super publicam viam, aut rivum;* juret cum suis juratoribus, secundum quosdam; sed solus secundum valentes.

*Ad Legem CL.*

PARS LEGIS GLOSSATA, VEL AMPLIOR.

At si judicem interpellaverit, & judex dilataverit ipsam causam deliberare, aut licentiam dederit adversæ parti ipsum molinum evertendi, componat sol. XX. in Palatio Regis districtus ab stolozat (2), *idest ab infetore Regis, vel regali sede, & ei qui se reclamavit sol. XII. &c.*

FORMULA.

*Martine hoc te appellat Petrus, quod tu capellasti ei unum molinum, aut rupisti clausuram, sine auctoritate Judicis.* —— *De torto.* —— Vel: *Feci, sed cum auctoritate Judicis.* (3) —— Juret solus. Sed cum XII. secundum quosdam.

ALIA FORMULA.

*Vide Vol. II. pag. 466.*

*Ad Legem CLIII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Et eo ordine* (4) *Longobardorum nunc maneat successio, qualiter hic subter legitur.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram, quæ jacet in loco tali.* —— *Ipsa terra, de qua tu dicis, mea propria est de parte Dominicis parentis mei. Et tibi quid pertinet ad requirendum?* —— *De parte ipsius.* —— Tunc interroga ipsum qui tenet, quomodo fuit suus parens. —— *Marcoardus proavus suus fuit consobrinus de proavo meo, & fuerunt in tertio gradu. Avus meus, & avus illius, in quarto. Pater meus & pater*

(1) *Foras.*) Ita Glossa legi intermixta. Subnexa vero formula hanc perstrictionem non exhibet. Memorandum, hasce glossas & formulas non uno tempore, nec ab uno Jurisconsulto scriptas fuisse.

(2) *Ab stolozat.*) Vox nonnihil torquens Interpretes, & in variis codicibus variam ferens lectionem, a Grotio in Glossariolo (Vol. I. hujus Collect. pag. 295.) explicatur, *solii insessor, nomine Regis scilicet.* Cui optime consonat Glossa nostra legi subnexa: *idest ab infetore* (lege, *insessore*) *Regis, vel regali sede.*

(3) *Sed cum auctoritate Judicis.*) Glossa marginalis ad hanc legem: *Hic videri potest, quod homo non emendet malum, quod Judex præcipit ei facere alicui.* Monitum haud penitus inutile. Ex formula Vol. II. allegata conspicimus, ex injuria facta auctoritate judicis, seu Comitis, Comitem ipsum in judicio appellari. Vide quoque legem CCCLXXIX. Rotharis.

(4) *Et eo ordine &c.*) Ad hanc Legem CLIII. legitur glossa marg. *Non dixit ea: parentes succedent liberos: quia liberi familias successores habere non possunt.* Alia quoque additur marginalis obscura glossa de successionum jure Glossatoris ævo vigente. Sed quoniam Glossam alteram multo uberiorem, atque planiorem ad hanc ipsam legem habemus, quæ recitata fuit Vol. II. hujus Collect. pag. 466. ideo hanc visum est prætermittere.

*ter illius, in quinto. Ego & ille in sexto.* —— Interroga similiter illum qui pulsat. —— *Avus meus, & avus suus fuerunt fratres, & fuerunt secundo gradu. Pater meus, & mater sua in tertio. Ego, & ille in quinto* (1). —— Et cum fuerit nominata hæc parentela, interroga eum qui tenet, si potest probare quod plus proximus sit. Si non potest probare, probet ipse qui appellat. Et si ipse non potuerit, juret ipse qui appellatus est cum suis sacramentalibus, quod plus proximus sit, & habeat ipsam terram.

*Petre te appellat Martinus, quod pars Publica, unde tu es Advocatus, tenet sibi terram malo ordine in loco tali.* —— *Ipsa terra propria est de parte Publica, de parte Donati, qui fuit mortuus sine heredibus.* —— " Non fuit mortuus sine heredibus ,, *quia ego sum suus heres. Avus meus & avus suus fuerunt consobrini.* —— Juret cum suis sacramentalibus, quod ita sit.

Secundum asinos ita sit placitum. Sed ita esse debet ( conjectura stultitiæ ).

*Petre te appellat Martinus, quod terra, quam tenes & possides in tali loco, sua propria est.* —— *Quid tibi pertinet?* —— *Ex hereditate ex parte Johannis.* —— *Johannes quid tibi pertinuit?* —— *H. P. fuit suus avus & meus.* " Pater meus, & ,, *pater suus fuerunt fratres. Ego & ille fuimus fratres patrueles.* —— *Præbe sacramentum, ut ita sit parentela tua.*

*Petre te appellat Martinus, quod terra, quam tenes & possides in tali loco, sua propria est.* —— *Quid tibi pertinet?* —— *Ex hereditate ex parte Johannis.* —— *Johannes quid tibi pertinuit?* —— *Anselmus fuit suus atavus, & meus.* —— *Tamen non debes eum succedere. Nam Simon suus fuit avus & meus. Paulus fuit suus pater & meus. Et ipse fuit meus frater. Et ita sum proximior te.* —— *Præbe sacramentum, ut ita sit parentela tua.*

*Petre te appellat Johannes Advocatus ex parte Publica, quod terra, quam tenes in tali loco, est reipublicæ, cujus est Advocatus.* —— Quid pertinet ad partem illam Publicam? —— *Ex parte Jacobi, qui fuit mortuus sine heredibus.* —— *Non fuit mortuus sine heredibus, nam avus meus & avus suus fuerunt fratres. Pater meus & pater suus fuerunt fratres patrueles. Ego & ipse fuimus sobrini.* —— *Præbe sacramentum, ut ita sit parentela tua.*

*Petre Advocate reipublicæ te appellat Thomas, quod terra, quam pars Publica tenet in tali loco, sua est.* —— *Quid pertinet ei?* —— *Ex parte Pauli sui sobrini.* —— *Præbe sacramentum, ut ita sit parentela tua.*

Vel ita: quia nemo hereditatem (2), vel bonorum possessionem olim habebat. —— Et si intentio fuerit contra Cortem, tunc præbeat sacramentum, quod ita sit sua parentela.

### GLOSSA.

*Vide Vol. II. pag. 466.*

### *Ad Legem CLIV.*

### VARIA LECTIO.

Si quinque fuerint legitimi, habeant naturales *undecimam* partem &c.

### *Ad Legem CLV.*

### PARS LEGIS GLOSSATA.

Legitima autem ætas est, postquam duodecim annos *habuerit ipse filius Longobardi; si pater vivus fuerit, ut cum patre aliquid faciat.*

### FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tenes ei terram malo ordine in loco tali.* —— *Ecce carta, quam pater tuus & meus fecit me tibi similem te consentiente.*

### *Ad Legem CLVI.*

### FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu es servus suus.* —— *Liber sum; ecce carta, quam Donatus pater meus me emit de te, et dimisit me liberum.* —— *Falsa est.*

### *Ad Legem CLVII.*

### GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Is, qui* (3) *de filio liberto naturali generatus fuerit, qui filius est threus, heres patri fiat, etiamsi thingatum sibi non fuerit.*

### *Ad Legem CLXII.*

### GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Tota compositione, & facultas illius mortui tota, ad legitimos fratres revertatur.*

*Ad*

(1) *Ego, & ille in quinto.*) Lege, *in quarto*. Observa gradus parentelæ eo ordine relatos, prout in Jure Canonico; habito tamen discrimine, quod a Formulista nostro in scalam graduum referatur etiam truncus communis stipitis.

(2) *Quia nemo hereditatem &c.*) Certe, si de terra, rerumque immobilium possessione sermo sit, nulla veteribus Germanicæ originis populis erat proprietas, sed tantum jus annuum utendi fruendi, proprietate semper pertinente ad Rempublicam, ut alias haud semel dictum est. Egregia, ut mihi videor, inducta subinde ratio, qua deficientibus heredibus terræ proprietas ad Rempublicam redeat.

(3) *Is, qui &c.*) Glossa legi adversaria. Eandem glossam protulit & Muratorius ex Codice Estensi. *Threus*. Glossa interl. *idest libertus*.

### *Ad Legem CLXIV.*

PARS LEGIS GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Si quis ex parentibus, ideſt *barba*, qui eſt patruus, aut quicumque *ex proximis* (1) dixerit de nepote, aut conſobrino (*vel de aliis propinquis*) doloſo animo quod de adulterio natus ſit, nam non de certo patre, tunc ille cui crimen mittetur, quærat ſibi liberos ſacramentales (2) (*& qui crimen mittet* (3)) *nominet legitimos ſacramentales* (*& ille cui crimen mittitur*) *præbeat ſacramentum &c.*

FORMULA.

*Petre te appellat*] *Marcoardus barbanus, quod tu tenes ſibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipſa terra mea propria eſt de parte patris mei Anſelmi.* —— *Non debes eum ſuccedere, quia de adulterio natus es.* —— Juret cum ſuis ſacramentalibus, ſicut lex dicit.

### *Ad Legem CLXVI.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod habet ſuſpectionem, quod tu occidiſti Mariam ſuam filiam, & tuam mulierem inmerentem.* —— *De torto.* Vel: *Occidi, ſed non inmerentem.* —— Juret.

### *Ad Legem CLXVII.*

PARS LEGIS GLOSSATA, ET CORRECTIOR.

Si fratres poſt mortem patris in caſa communi remanſerint; & unus ex ipſis (*non in hoſte*) in obſequio Regis, aut cum Judice aliquas res adquiſiverit, habeat ſibi in antea abſque portione fratrum; *& qui* foris (4) in exercitu *aliquid* adquiſierit, *communicet* cum fratribus, quos in communi caſa dimiſerit &c.

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Et ita intelligitur de omni diſpendiis.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus tuus frater, quod ipſe remanſit tecum in caſa communi poſt mortem ſui patris, & tui; adquiſiſti in exercitu tanta mobilia, quæ valebant ſol. X.* —— *De torto me appellis.*

*Petre te appellat Martinus tuus frater, quod tu tenes ſibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipſam terram ego adquiſivi in ſervitio Regis, aut Judicis, aut mihi donata fuit.* —— Aut probet per ſcriptum, aut per teſtes, aut det partem ad ſuum fratrem.

*Petre te appellat Martinus tuus frater, quod ipſe remanſit tecum in caſa communi poſt mortem ſui patris & tui; & quando tu duxiſti uxorem, dediſti in meta de communibus C. ſol. Modo vult ſe a te dividere, & vult de communibus rebus tollere ſol. C.*

### *Ad Legem CLXVIII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes ſibi terram in tali loco malo ordine.* —— *Ipſa terra mea propria eſt; ecce carta, quam pater tuus mihi dedit.* —— Si manifeſtat de donatione, dicat: *Contra legem eſt ipſa carta, quod pater meus non potuit me debereditare.* —— *Sic potuit; quod tu inſidiatus es animæ ſuæ*; aut, *cogitaſti de anima ſua;* aut, *percuſſiſti patrem tuum voluntarie;* aut, *voluiſti peccare cum matrinia tua, & peccaſti.* —— Et probet ingratitudinem ille, qui habet cartam, aut taceat per Novellam (5).

### *Ad Legem CLXX.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes ſibi terram in tali loco malo ordine.* —— *Mea propria eſt ipſa terra; ecce carta, quam fecit mihi Marcoardus tuus filius.* —— *Contra legem eſt ipſa carta, quod non potuit tibi vendere eam, quia ipſe erat in mea poteſtate.* —— *Tu habes eum emancipatum* (6) *de tua poteſtate.* —— *Non eſt verum.* —— Probet ipſum, ſecundum quoſdam, qui habet cartam, quod ita ſit, aut perdat. —— Aut; *feciſti ei talem ingratitudinem.*

Ad

---

(1) *Ex proximis.*) Gloſſa interl. *ideſt, agnati.*

(2) *Quærat ſibi liberos ſacramentales.*) Eamdem lectionem habet & Ambroſianus, deeſtque vox *duodecim*, quæ legitur in vulgato. Codex Veronenſis ad verbum *ſacramentales* gloſſam habet interlinearem: *XII.* Suſpicio oritur, quod duodenarius hic numerus irrepſerit e gloſſis in textum. Sed utinam unus hic locus eſſet, in quo antiquarum Langobardicarum legum ſincera lectio depravata eſt e gloſſis, quæ in textum invectæ fuere.

(3) *Et qui crimen mittet &c.*) Gloſſa aliquid ſonans adverſus legem ipſam, qua tantum præſcribitur, ut ille, *cui crimen mittitur*, quærat ſacramentales.

(4) *Et qui foris.*) Lectio editæ adverſa confirmatur ex ſubjuncta formula, & ex ſuperiore gloſſa: *non in hoſte.* Lectionem noſtram fulcit & Mutinenſis. Ex quibus colligimus, quod bona quidem quaſi caſtrenſia in obſequio Regis vel Judicis adquiſita non dividerentur cum fratribus; e contra vero bona caſtrenſia dividerentur. Repete, quæ hac de re in Monito præfatus ſum.

(5) *Per Novellam.*) Indigitatur Novella Juſtiniani CXV. c. 3. quam Rotharis ipſe præ oculis habuiſſe videtur, condens hanc & duas ſequentes leges ex eadem Novella interpolatas, & dimidiatas.

(6) *Emancipatum.*) De emancipatione nihil

*Ad Legem CLXXI.*

F O R M U L A.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Pater tuus donavit mihi ipsam terram: ecce carta.* —— *Pater meus mihi disperavit se habere filios propter infirmitatem, vel propter senectutem, & post creavit me de legitimo conjugio.* —— *Vero procreavit te, sed non de legitimo conjugio.* —— Et ita approbet; si non potuerit, taceat. —— Si masculus est, qui appellat, rupta tota carta. Si femina est, qui appellat, in prædicta portione (1) fiat rupta, secundum quosdam. —— Sed tota similiter est vacua.

*Ad Legem CLXXII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter sint liberi omnes alii testes.*

F O R M U L A.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes ei terram malo ordine in tali loco.* —— " Ipsa terra mea propria est: „ *ecce carta, quam tu mihi fecisti.* —— *Contra legem est ipsa carta, quod non fuerint testes liberi.*

*Ad Legem CLXXIII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si quis res suas alii thingaverit, & dixerit in *ipsum* thinx, *quod est laib*, idest *quod* in die obitus sui reliquerit, non dispergat res ipsas postea doloso animo, nisi fruatur *eis* cum ratione &c.

*Ad Legem CLXXV.*

PARS LEGIS GLOSSATA, VEL CORRECTIOR.

Et *si ausi non fuerint* jurare, quod compositum sit, reddat ei *ferquido*, idest simile, quale in illa die fuit, quando donatum est ( *aut eadem res reddatur, si permanserit* ); & si juraverit, sit absolutus.

F O R M U L A.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse donavit tibi tantum de suo mobili, quod valebat sol. XX. & requirit tibi launechild.* —— *De torto.* —— Vel: *Donavit, sed lonechild ei feci.* —— Et ita juret.

*Ad Legem CLXXVIII.* (2)

F O R M U L A.

*Petre te appellat Martinus, quod tu sponsasti Aldam suam filiam, & misisti neglegentiam eam accipere ad uxorem per duos annos.* —— Si dixerit: *Non sponsavi:* Aut probet qui appellat, aut nihil sit. —— Si dixerit: *Sponsavi, sed non sunt transacti duo anni:* Probet qui appellat. —— Si dixerit: *Non misi neglegentiam:* Si potest probare qui appellat, probet. —— Si non potuerit, juret qui appellatus est. —— Si manifestaverit, quod fuisset infirmus; aut probet, aut emendet pœnam. —— Si dixerit, quod fuisset paratus infra duos annos ad accipiendum, probet. Et si probaverit, aut appellator probet, quod paratus fuisset ad dandum, aut componat pœnam. Et si nec unus nec alter potuerit probare, nullus ex eis componat pœnam. —— Et ita secundum quosdam est appellatio. Sed secundum valentes aliter est. Sit H. ad fidejussorem.

*Ad Legem CLXXIX.*

F O R M U L Æ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu sponsasti Aldam filiam suam, & vult, ut eam accipias ad conjugium.* —— *De torto.* —— Si dixerit: *Sponsavi, sed adulteravit se, postquam eam sponsavi:* tunc parentes purificent eam.

*Petre te appellat Martinus, postquam ipse sponsavit Mariam tuam mundoaldam, quod ipsa se adulteravit cum Marco.* —— *De torto.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu habes sponsatam Mariam suam mundoaldam, & dixisti, quod ipsa se adulterasset cum Paulo, & purificavit eam: accipe uxorem.* —— *De torto me appellis.*

*Ad Legem CLXXX.*

F O R M U L A.

*Petre te appellat Martinus; postquam ipse sponsavit Mariam tuam mundoaldam, ipsa apparivit leprosa;* aut, *dæmoniaca;* aut,



hil in Rotharis lege, uti nec de ingratitudine. In Novella Justiniani quidem ingratitudinis causæ enumerantur. Ut hinc quoque colligamus, etiam in Langobardicis foris Romanarum legum rationem habitam fuisse, ut in Monito dixi.

(1) *In prædicta portione.* ) Appellat ad glossam, quæ huic legi subnexa legitur: *Si autem filias legitimas unam, aut plures, post thinx factum habuerit, habeant ipsæ, si una fuerit, tertiam partem; si duo, aut plures, dimidiam: reliquum vero habeat, cui thingatum est.* Sed ab alio glossatore immediate subjungitur: *Totum similiter ut masculi.* Hæc sententiarum disparitas refertur ad varias leges de fœminarum successione, quæ tandem admissæ fuerunt ad omnem hæreditatem. Ideo & in fine formulæ additum est: *Sed tota similiter est vacua.*

(2) Ad hanc legem adest inscriptio. *Explicit liber I. Incipit II. De sponsalibus.* Moneo, plures in Codice legi inscriptiones legum, præsertim vero in margine scriptæ: ex. gr. *De ultimis voluntatibus: De ea, quæ sine voluntate Mundoaldi ad maritum ambulaverit: De fornicatione &c.* Sed hæc, ut & pleraque alia minus utilia exscribere supervacaneum visum est.

aut, *de ambobus oculis excæcata; & vult, ut res suas reddas.* —— *De torto.*

*Ad Legem CLXXXI.*

LEX GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Si pater (1) (*qui filios habuerit*) filiam suam, aut frater (*qui descendentes habuerit*) sororem suam legitimam alii ad maritum *cum aliquo* dederit, in hoc sibi contenta sit. De patris *vero*, vel fratris substantia, nisi quantum pater ei, aut frater in die *traditionis* nuptiarum dederit, amplius non requirat.

*Ad Legem CLXXXII.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag. 467.*

ALIÆ FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Dariam suam mundoaldam.* —— *Ipsa mea est mundoalda, & mulier mea, & tu denegasti voluntatem suam; & ecce noticia.* —— *Falsa est ipsa noticia.* —— Aut: *Missus vel epistola non venit ad me.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipsa terra mea propria est, de parte Dariæ meæ mulieris.* —— *Non debes tu eam succedere, quoniam mea mundoalda fuit, & non tibi eam dedi ad uxorem.* —— Aut ostendat noticiam; aut probet per testes, quomodo fuit sua mulier; aut perdat terram.

*Ad Legem CLXXXIII.* (2)

PARS LEGIS GLOSSATA.

Tunc (*quando ad maritum alium ambulat, aut ad Cortem Regis, aut ad parentes revertitur*) *heredes* mariti prioris *accipiant medietatem* de meta, sicut supra constitutum est, & ipsa per manum simili modo retradatur, (3) sicut priori marito tradita *fuit*. Nam aliter sine traditione, *nullam* rerum dicimus subsistere firmitatem.

*Ad Legem CLXXXIV.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Si quando pater filiam, aut frater sororem suam alii ad uxorem *dederit*, & aliquis ex amicis accepto *exenio* (4), ipsi mulieri aliquid dederit, in ipsius sit potestate, *qui* mundium de ea fecit, eo quod maritus, si launechild (5) requisitum fuerit, ipse *debebit* persolvere.

FORMULÆ.

*Vide Vol. II. pag. 467.*

*Ad Legem CLXXXVIII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu accepisti sine voluntate sua ad mulierem Mariam suam filiam.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi* " terram " *malo ordine in tali loco.* —— *Ipsa terra mea propria est de parte meæ mulieris.* —— *Non debes eam succedere, quia non fecisti mundium.* —— Aut probet quod mundium fecit, aut perdat terram, per hanc legem.

Hæc appellatio secundum amentes.

*Ad Legem CLXXXIX.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE, ET GLOSSA.

Et si forte *amborum* partibus steterit, (*antequam appellatio de adulterio fiat*) (6) ut ille, qui fornicatus fuerit, eam tollat uxorem, componat pro culpa, idest anagrip, sol. XX. —— *Et infra.* Et si parentes neglexerint (*infra unum annum*), aut noluerint in ipsam dare vindictam, tunc liceat Gastaldio ipsam ad manum Regis tollere, & judicare de ipsa, quod Regi placuerit.

*Ad*

---

(1) *Si pater &c.*) Glossa marg. *Hic videri potest mortuo Longobardo, superstite filio, filiaque, quod solus filius succedat.*

(2) Ad hujus legis initium, quod est: *Si quis pro libera muliere, aut puella mundium dederit &c.* glossa interlineatur: *idest, precium mundii.* Novimus, emptionem uxorum Germanis veteribus esse proprie loquendo emptionem *mundii*, seu potestatis tutelaris in ipsas, quæ praclaros & pretio æstimabiles pariebat effectus.

(3) *Retradatur.*) Glossa marginalis: *Quia nullus eorum poterit habere ejus rerum successionem, nisi ipsa retradatur. Quod videri potest, ut in sequenti lege: Et ideo perdat maritus.* Lex a glossatore allegata est lex CLXXXVIII.

(4) *Exenio.*) Glossa interl. *idest, servitio.* Significationem vocis roborat formula legi subnexa, quæ Volumine hujus Collectionis secundo edita fuit. Videtur, quod hic *servitium* idem valeat, ac tutelaris subjectio.

(5) *Si launechild.*) Glossa marg. *Hic videri potest, quod mundoaldus dat launechild pro mundoalda, & respondeat.*

*Nota.* Consule verba legis CLXXXVI. *Et mulier ipsa habeat licentiam &c.* ad quam in Codice Veronensi legitur hæc marginalis glossa; *idest, de potestate raptoris se tollere, & ad mundoaldum reverti, vel ad manum Regis, ita ordinatim, primum ad patrem; post si patrem non habeat, ad fratrem; & ita in cæteris.* Glossa perstringit licentiam, quæ mulieri dari videtur a lege, ut in casu a lege ipsa prænotato sibi seligat mundoaldum.

(6) *Antequam appellatio de adulterio fiat.*) Glossa marg. *Nam post appellationem, & causam manifestatam illicitum est conjugium; quod videri potest in has lege: Et si parentes.*

*Ad Legem CXCI.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Si vero cum voluntate mundoaldi hoc fecerit, de puella & si widrigild, tamen nihil de meta componat. De vidua nec unum, nec alterum. —— Duplam metam componat de utrisque.*

*Ad Legem CXCV.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Vult ad parentes reverti, vult ad Curtem Regis se commendare, qui mundium ejus debeat (1) *in potestatem* habere; & si vir ille hoc crimen dixisse negaverit, liceat ei se purificare (*cum XII.*) &c.

*Ad Legem CXCVI.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag. 467.*

ALIÆ FORMULÆ.

*Petre te appellat Maria cum Donato suo tutore, quod ipsa erat tua mundoalda, cum insidiatus es in suam animam, aut misisti ei crimen, quod esset adulterata.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Aldam suam mundoaldam. —— Mea mulier est.* —— Aut probet per noticiam, aut per testes, aut per judices, aut perdat feminam.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. —— Ipsa terra mea propria est, de parte Dariæ meæ mulieris.* —— Aut probet per testes, aut per noticiam, aut per judices, quomodo fuit sua mulier, aut perdat terram.

*Ad Legem CXCVIII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod clamasti Aldam suam mundoaldam fornicariam. —— De torto.* —— Si dixerit, quod dixerit per furorem, juret, sicut lex commendat. —— Si dixerit: *Fornicaria est:* faciat pugnam (2).

*Petre te appellat Martinus, quod tu clamasti strigam Aldam suam mundoaldam.* —— Si dixerit, quod dixerit per furorem, ut lex præcipit juret. —— Si dixerit: *Striga est:* fiat pugna; secundum valentes.

*Ad Legem CIC.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter sit in donatione ante nuptias, quam pater nurui pro filio dedit. Secundum quosdam.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus agens causam suam & Mariæ suæ mulieris, quod quando Donatus tuus socer & suus dedit Aldam tuam conjugem ad priorem maritum, dedit ei C. sol. in faderphium; & fuit mortuus ipse maritus; & dedit ei C. sol. liberando mundium, & ipsa regressa fuit in casa patris. Modo mortuus est pater. Vult, quod sua mulier tollat in antea tantum de communibus rebus, quantum pro mundio datum fuit; & faderphium mittat in commune sorori.*

*Ad Legem CC. CCI.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Quod si hæc femina tantum filios habuerit, & non alios parentes, substantia ejus filiis tribuatur, & compositio ad partem Publicam.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti immerentem Mariam tuam uxorem, & suam filiam.* —— Si negat, juret, sicut lex retro commendat. —— Sed potest dicere: *Non occidi, quod per legem emendare debeam.* —— Si dixerit, quod invenisset eam fornicantem; aut probet, secundum quosdam, aut emendet.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. —— Mea est per successionem Aldæ meæ uxoris. —— Non debes eam succedere, quod interfecisti eam immerentem.* —— "Non". —— Et ita probet secundum quosdam, sed jurabit secundum valentes. —— Nam jurabunt; quia non licet eam interficere ad suum libitum, sed racionabiliter.

*Ad Legem CCII.*

GLOSSA VERSUS FINEM LEGIS.

*Nam si invite, componat ut vivum de simili sanguine.*

*Ad Legem CCIII.*

FORMULA.

*Donne Comes hoc dicit Martinus, quod postquam ille sociavit Aldam sibi in conjugio, consiliata est de sua morte. —— Quid dicis tu Alda? —— Non sum sua mulier.* —— Aut dicat, qualiter sit sua mulier, aut nihil sit. —— Si manifestaverit esse,



(1) *Qui mundium ejus debeat &c.*). Glossa marginalis ad hanc legem: *Puella, quæ in mundio alicujus est, nunquam potest nec a Comite, nec aliqua potestate ad maritum dari absque eo mundioaldo, nisi ut hic legitur;* hoc est, ut legitur in hac & sequentibus legibus.

(2) *Fornicaria est: faciat pugnam.*) Glossa marginalis ad hanc legem: *Hic videri potest, quod mulier voluntate sua fornicata mori debet.* Consule legem ipsam.

esse, debet dicere Judex: *Femina dicis tu propter timorem, aut suasionem, de tuo marito?* —— Si dixerit: *Non feci*; fiat facta appellatio ad parentem ita: *Petre te appellat Martinus, quod ipse habet certamsuspectionem, quod postquam sociavit sibi in conjugio Aldam tuam filiam, consiliata est de sua morte.* —— Si dixerit: *Nescio*: inquirat eam usu. —— Si dixerit: *De torto me appellis*: sit prælium. —— Si dixerit: *Fecit*: fiat ut legitur in lege.

*Ad Legem CCV.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Nulli mulieri liberæ sub Regni nostri ditione, lege Longobardorum viventi, liceat in suæ potestatis arbitrio, idest *fumundia* vivere, nisi semper sub potestate *virorum* ( *saltem habentium octavum & decimum annum* ), aut *sub Corte* Regis debeat permanere.

F O R M U L A.

*Vide Vol. II. pag.* 468.

*Ad Legem CCIX.*

F O R M U L A.

*Petre te appellat Martinus, quod Marcoardus rapuit Dariam suam aldiam, aut ancillam suam, & adduxit eam in cortem tuam, & tu non permisisti eam vendicare, aut foras extrahere.*

*Ad Legem CCXI.*

F O R M U L A.

*Te appellat Petrus Martine Advocate de parte Publica, quod Marcoardus rapuit Mariam suam aldiam, aut ancillam,* ( 1 ) *& duxit eam in cortem Regis, & tu non permisisti eam vendicare, aut foras extrahere.*

*Ad Legem CCXIII.*

LEX GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Si quis cum uxore sua alium fornicantem ( 2 ) invenerit liberum, aut servum, potestatem habeat eos occidendi ambos; et si eos occiderit, non requiratur: ( *& res ejus in fisco socientur, si liber est.*

*Ad Legem CCXVI.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Excepta re illius puellæ sponsatæ, quæ patri & matri successit, & sorores reliquerit. Nam hæ ei succedant, non mundoaldus. Et excepta re matris sæpe. Nam filiæ succedunt, non mundoaldus, sæpe matrem.*

F O R M U L A.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse sponsavit Mariam tuam mundoaldam, & dedit ei in sponsalicio sol. C., & mortua est; & præcepit lex, quod ipse debet accipere, quod dedit.*

*Ad Legem CCXVII.*

F O R M U L Æ.

*Maria cum Donato tuo tutore te appellat Martinus, quod tu es sua aldia, & malo ordine subtrahis te de sua aldieritia.* —— *Libera femina sum nascendo; & tibi quid pertinet.* —— *Aldius meus sociavit te in conjugio, & fecit mundium de te.* —— Aut probet quod fecisset mundium, aut taceat.

*Petre te appellat Martinus, quod tu es suus aldius, & malo ordine te subtrahis de sua aldiaricia.* —— *Liber sum nascendo, & tibi quid pertinet?* —— *Aldius meus sociavit matrem tuam in conjugium, & fecit mundium.* —— Aut probet mundium, aut taceat.

Sed ita sit responsio: *Vere es libera nascendo, sed esse debes aldia, quia aldius meus &c.*

*Ad Legem CCXVIII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si aldia, *sive liberta*, (3) in casa aliena ad maritum intraverit, & servum tulerit, libertatem suam amittat. *Et si dominus ejus neglexerit eam replicare ad servicium* ( 4 ) *&c.*

F O R M U L A.

*Maria cum tuo tutore Petro te appellat Martinus, quod tu es sua ancilla, & malo ordine subtrahis te de suo servitio Libera sum per cartam, quam tu mibi feci-*

---

*Nota*. Consule verba legis CCVI. *violentiam fecerit*. Ad hæc glossa interlineata legitur: *idest rapuerit*.

( 1 ) *Aldiam, aut ancillam.* ) Glossator interlinearis ad hæc verba legit; *scilicet majorem: scilicet minorem aldiam*. Item ad superioris legis verba, *Si quis rapuerit ancillam alienam*, glossa legitur interlinearis: *Scilicet & minorem aldiam*. Certe aldiones ipsos *mancipia* quoque legimus appellatos. Vide infra notam ad legem XXXVII. Pippini. Verumtamen observa distinctionem inter majores, & minores aldias, quæ in corpore legis ancillarum nomine veniunt.

( 2 ) *Alium fornicantem.* ) Glossa interl p[illegible] ter dominam: legendum reor: *præter dominum*.

( 3 ) *Si aldia, sive liberta.* ) Vulgatus noster, cui & editio Heroldina consentit: *si aldia, aut libera*. Sed Veronensi Codici favere videtur glossa marginalis: *Ingratitudo libertæ*.

( 4 ) *Replicare ad servicium.* ) Glossa interlinearis: *scilicet, vivente servo*. Quam firmat tum lex ipsa, tum formula legi subnexa

*cisti*. —— *Tu debes perdere libertatem, quia intrasti in casam Marcoardi, & servum ejus tulisti ad maritum*. —— *Non feci*. —— Aut probet, aut taceat. —— Si dixerit: *Tu misisti neglegentiam replicare ad servicium me vivente ipso servo*: si potuerit, probet, quod misit neglegentiam. —— Si non potuerit; juret dominus, quod non misit neglegentiam, et fiat ancilla.

### *Ad Legem CCXIX.*

LEX GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Si aldius cujuscumque aldiam aut libertam uxorem tulerit et filios ex ipso coitu habuerit, patrem sequantur, et sint aldii, *qualiter* et pater. (*Sed de filiis aldii & aldiæ sit, ut diximus, si aldius aldiam mundiaverit; sin autem, matrem*.

### *Ad Legem CCXXII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Intra annum tantum. Concedimus*, (1) *ut post annum & diem in potestatem & servicium domini illius, cujus servus fuerit, ambo revertantur*.

FORMULÆ.

Maria insimul cum Donato tuo tutore Petrus te appellat, quod tu es sua ancilla, & malo ordine subtrahis te de suo servicio. —— Libera sum nascendo (2); & tibi quid pertinet? —— Tu te sociasti in conjugio cum Marcoardo meo servo, & est transitus annus. —— Si dixerit: *Non me sociavi*; aut, *non feci me sciente*; aut, *non est transitus annus*; aut probet qui appellat, aut taceat.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Mariam suam mundoaldam*. —— *Ipsa Maria mea ancilla est*. —— *Quid tibi pertinet?* —— *Sociavit se in conjugio Marcoardo servo meo*. —— *Non sociavit*; aut, *non fecit se sciente*; aut, *non est transitus annus*. —— Aut probet dominus servi, aut perdat feminam. —— Si dixerit parens feminæ, quod fuisset paratus infra annum dare vindictam, probet. Sed melius est, ut dicat, quod non misit neglegentiam, secundum quosdam. Sed juret.

### *Ad Legem CCXXIII.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Si quis ancillam suam propriam matrimoniare voluerit ad uxorem, sit ei licentia. Tamen *debet* eam liberam thingare, sic liberam, quod est *widerbora*, & legitimam *facere* per garathinx. Tunc intelligatur libera, & legitima uxor, & filii qui ex ea nati fuerint, legitimi heredes *patri* efficiantur.

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco*. —— *Ipsa terra mea propria est, per successionem de parte mei patris*. —— *Non debes eum succedere, quia habuit te de sua ancilla*. —— *Ipse fecit matrem meam liberam, & sibi legitimam uxorem per donationem*. —— Aut probet, aut fiat servus, & perdat hereditatem. —— Sed ita juret.

### *Ad Legem CCXXVII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu es suus servus, & malo ordine subtrahis te de suo servitio*. —— *Liber sum*. *Tu dedisti me in manum Donati & Donatus dedit me in manus Pauli, & Paulus in manum Anselmi, & Anselmus in manum Roberti, & Robertus dimisit me liberum in quadrivium*. —— Et probet per scriptum, aut per homines. —— Si dixerit: *Tu dedisti me in manum Regis, & Rex dimisit me liberum*; aut, *fecisti me fulfreal*, aut *aldium* (3): aut probet; alioquin juret; aut fiat servus.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes malo ordine terram in tali loco ad partem Publicam, unde ipse est Advocatus*. —— *Ipsa terra mea propria est de parte Donati mei liberti*. —— *Non debes eum succedere, quia fecisti eum extraneum a te, aut, dedisti in manum Regis*. —— Aut probet, aut taceat; alioquin juret.

MONITUM.

*Scito* (4) *si quis Longobardus servo communi libertatem dederit, quod pars adcrescit socio non danti: ut legitur in antiquo jure Romano*, quod *lex Longobarda sequitur*.



(1) *Concedimus &c.*) Est pars legis LXXII. Lotharii I. alibi quoque in glossis repetitæ; prout Codicis nostri glossatoribus maxime suetum fuit, sequiorum legum sensu glossare vetustiores. Nota, subnexas formulas non inniti superiori legi, sed illi quæ glossæ loco superaddita fuit.

(2) *Libera sum nascendo.*) Lex videlicet intellecta fuit de illis, quæ liberæ erant ex originis jure. Et sane ad prima legis verba, *si servus liberam mulierem*; glossa interlineatur: *scilicet nascendo*.

(3) *Aut aldium.*) Vides quatuor genera manumissionum antiquioribus Longobardis usitatarum; adeo ut manumissus fieret vel *amon*, vel per *impans*, vel *fulfreal*, vel *aldius*. Nihil hactenus de manumissione sequenti tempore maxime usitata *circa sacrum altare*. Præfatæ manumissiones varios pariebant effectus, quorum pars in hac ipsa, & in sequentibus legibus describitur.

(4) *Scito &c.*) Repete quæ dixi in Monito.

*Ad Legem CCXXVIII.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Et si aliquid in gasindio Ducis, aut privatorum hominum obsequio donum vel munus *conquisivit* ( *si lonecbild datum non fuerit* ) *ad donatores revertatur &c.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipsa terra mea propria est, & mihi vendidit Paulus, tuus qui fuit libertus, & tu obligasti ei ipsam terram in libertatem.* —— Aut probet, aut perdat terram.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse donavit Paulo, tuus qui fuit libertus, tanta mobilia, quæ valebant sol. C., & fuit mortuus sine heredibus, & non dedit ei lonechild.* —— *De torto.* —— Si dixerit: *ipse vel ego tibi feci widerdonem:* probet. —— Si dixerit: *ipsa mobilia non valebant ultra sol. L.* probet qui appellat, quod valebant sol. C. —— Si non potuerit, ipse juret.

*Ad Legem CCXXIX.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Idest, qualiter sint liberti; ut amon, ut inpans, ut fulfreal, ut aldius.* (1)

*Ad Legem CCXXX.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod terra, quæ in tali loco possides, & tenes, sua propria est.* —— *Non debet, nec vult tibi respondere, quia te præsente possedit per V. annos.* —— *Vere possedisti, sed malo ordine.* —— *Non possedi malo ordine, quia tu mihi vendidisti.* —— *Non vendidi, sed locavi, & præstiti.* —— *Ostende igitur libellum, ubi rogatus fuisti præstare.* —— *Nequeo.* —— *Jurabo igitur secundum qualitatem pecuniæ.*

Et hoc secundum valentes: ( secundum amentes; nihil valet. Sed ita. )

*Petre te appellat Martinus, quod terra, quæ in tali loco est, quam tu tenes, sua est.* —— *Non debes adversus me agere, quando mihi eam vendidisti.* —— *Non vendidi, sed præstiti, & locavi.* —— *Ostende libellum, ubi rogatus fuisti præstare.* —— Et si non potuerit, juret, ut lex præcipit, a V. annis; & infra V. annos, si non potuerit libellum ostendere, absque sacramento remanet suo loco possessio.

Et fiat ita ut dixi, si actio est in rem. Si vero locavit & præstitit, actio esse debet, ita fiat.

*Petre te appellat Martinus, quod locavit tibi talem terram, & præstitit; & finita locatione vult, ut eam relinquas.* —— *Non mihi præstitit, sed vendidit. Ostende igitur libellum, ubi rogatus a te fuit præstare.* —— Faciat. —— *Sin autem, ego jurabo, si voluerit, quod ipse mihi vendidit, ut lex præcipit.*

*Ad Legem CCXXXI.*

MONITUM.

*Rothbaris præcipit, ut si quis appellatus fuerit ab aliquo, quod teneret sibi aliquam rem, & possessor dixerit:* non tibi respondeo, quia possedi per quinque annos in facie tua: *& ipse:* vere possedisti, sed malo ordine: *& negaverit hoc ipse, & possessio ejus per quinque annos fuerit; tunc a quinque annis defendat se de malo ordine perpetue, aut per sacramentum, aut per pugnam. Sed Grimoaldus præcipit, ut a XXX. annis non fatigetur per pugnam, sed tantum per sacramentum se defendat. At Astulphus voluit, ut postquam possedit XXX. annis, de ipso malo ordine nec pugna, nec sacramentum sit, sed tantum approbet, si dubitatio fuerit, suam possessionem XXX. annorum esse; & possideat in antea. Et ante quinque annos dicat actor, quod sibi res pertineat, ut legitur in Romana lege.* (2)

*Et hoc secundum valentes.* ( *Secundum dementes: Hæc lex rupta est, nec placitum sit inde.* ) *Vel inde ita sit actio.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus* ( tamen prius reus inquisitus per editam actionem, si voluerit dicere titulum possessionis suæ: sin autem dixerit, se nolle, dic, ) *quod terra quæ in tali loco est, sua est, & tu eam possides malo ordine.* —— Et si reus negaverit, defendat se a quinque annis, aut per sacramentum, secundum qualitatem pecuniæ, aut per bellum, si potuerit; & hoc perpetue secundum hunc: & per alios Reges sit, ut superius diximus.

Si vero pro recuperanda, vel restituenda, seu adipiscenda possessione debet esse actio, ita fiat.

*Petre te appellat Joannes, quod tu malo ordine possides quandam terram, quæ in tali loco est, quam ipse possidere deberet.* —— Si vero negaverit tenere se, & jam possederit per V. annos, faciat, ut legitur in lege, si potuerit: & aliquando hoc, secundum titulum scilicet possessionis.

(1) *Ut aldius.*) Glossa marg. ad hanc legem, quam consule: *De servis libertis factis communibus inter Romanos & Longobardos non loquitur.*

(2) *In Romana lege.*) In foro Longobardo ratio habebatur & Romani juris. In subjectis formulis adhibitas deprehendimus ipsasmet legales voces in foris Romanis usitatas. Ordo judicialis videtur constitisse ex mixtura quadam disciplinæ Romanæ & Longobardæ. Quod & ex aliis locis perspicue deprehendimus.

nis. Nam si bonus est titulus, poterit sæpe ante V. annos similiter respondere, sæpe non. Si vero malus sit, antea & post, ut dixi superius, fiat. —— Sed, ut alii dicunt, aliter est, dum est litigium de nuda possessione; ut is qui tenet unicam possessionem, assertur quinquennium sibi esse præsidium, si possederit per V. annos in facie ejus, qui pulsat eum malo ordine possidere; si nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possidet; & si negat se malo ordine possidere, fretus eo præsidio neget per sacramentum, aut per pugnam, si potuerit, se defendat; idest, si morbus, aut infirmitas, vel conditio eum pugnare non prohibuerit. —— Dum vero fit actio in rem, sæpe ea excludatur pro possessione XXX. annorum.

*Ad Legem CCXXXIII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter sit de cæteris animalibus venditis.*

*Ad Legem CCXXXIV.*

GLOSSÆ LEGI INTERMIXTÆ.

*Et si ausus non fuerit jurare de colludio, in duplum precium componere debet.* Et si ancilla ipsa, *postquam empta fuerit*, filios fecerit &c.

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter sit de cæteris rebus.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Mariam suam ancillam.*

Ita sit appellatio (secundum asinos. Sed ita esse debet).

*Petre te appellat Joannes, quod hæc sua est ancilla, & tu eam sibi contendis:* facta prius actione ad exhibendum.) —— *Non debes adversus me placitare, quia ego comparavi ipsam ancillam de Marcoardo.* —— *Da vadia de auctore.* —— Nam si actio in rem fuerit, & possidens auctorem habuerit, non exercetur ea actio contra auctorem. Et secundum veteres sit hoc, quos hic sequitur; quia Longobardus semper dat auctorem, & nunquam stat loco auctoris: at Romanus semper stat loco auctoris, & nunquam dat auctorem. —— *Vendidisti tu mihi ipsam ancillam?* —— *Non feci.* —— Aut probet quod sibi vendidit, aut bellum adardiat de terciata, aut perdat ipsam ancillam. —— Si dixerit: *Ego tibi vendidi, & tibi volo stare in auctorem:* det vadia, quod stet in auctoritatem. —— *Quid tibi pertinet?* —— *Ipsa fuit nata de mea ancilla, & mater mihi pertinuit de parte mei patris. Et quid ego? quid meus pater? quid ista Maria? Quid matrem ejus? quid iste, cui vendidi? per XXX. annos habemus possessam.* —— Sed hæc responsio inutilis est; debet enim ita esse: *Nolo, nec debeo tibi respondere, quia inter me, & patrem meum, & hunc, cui vendidi, per XXX. annos possessam habemus:* tamen secundum quosdam. —— *Potes probare tuam possessionem?* —— *Non possum. Et tu potes probare, quod infra istos XXX. annos investitus fuisses?* —— *Non possum.* —— *Jura tuam possessionem.* —— Sed secundum valentes non sit probatio nec hinc, nec hinc; sed tenens, si dubitatio emerserit de possessione, juret solus. —— Si dixerit: *Non possum stare tibi in auctorem:* juret & faciat sicut lex commendat.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Mariam suam ancillam:* vel ita: *quod hæc sua est ancilla.* —— *Non debes mihi repetere, nec agere adversus me, quia ego comparavi de Johanne, qui est mortuus sine heredibus, & cujus facultas ad cortem Regis cecidit.* —— Et ita juret. —— Si dixerit: *Mea propria est per cartam:* fiat, sicut legitur in carta.

*Ad Legem CCXXXV.*

LEGIS INITIUM GLOSSATUM.

Si quis (*non in mercato*) caballum emerit &c.

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter de omnibus aliis rebus præcipimus.* —— *Ita enim addunt stulti, sed nihil addendum est, nam de solo caballo per excellentiam dictum est illud superius.*

MONITUM.

*Cum homo vult interciare caballum, veniat cum Misso Comitis, & cum tribus hominibus liberis.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse interciavit tibi unum suum caballum.* —— *De torto.* —— Si dixerit: *Interciasti, sed venditum habeo, aut donatum.* —— *Petre te appellat Martinus, quod tu te sciente vendidisti unum suum caballum, qui valebat sol. XX.* —— Aut si dixerit: *Res litigiosa fuit, non potuisti alienare:* reddat caput, ita ut legitur in Romana lege.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse interciavit tibi unum suum caballum.* —— *Interciasti mihi ipsum caballum, sed furatus est mihi.* —— Juret quod non suæ voluntatis, nec consentiens fuisset, quod furatus est. —— Si dixerit: *Interciasti mihi unum caballum; & ecce caballus. Quid tibi pertinet?* —— *De meo jumento natus fuit.* —— *Petre te appellat Martinus, quod ipse interciavit tibi unum suum caballum.* —— *Interciasti mihi ipsum caballum; & ecce caballus. Quid tibi perti-*

*tinet?* — *Ego comparavi ſimpliciter cum meo proprio pretio.* — Juret, ſicut lex commendat.

*Petre te appellat Martinus, quod tu interciaſti ſibi u.um ſuum caballum; & ipſe dixit, quod comparavit eum, & non cognoſcebat auctorem; & juravit, quod nec fur erat, nec collega furis, niſi ſimpliciter comparavit cum precio ſuo: & ſi tempore quoque auctorem invenerit, non negaret. Et tu tuliſti in tali ordine, ut ſi cognitum fuiſſet, quod malo ordine vendicaſſes, quod componeres ſibi nonum. Modo habet inventum auctorem, & vult ut ſtes ad rationem cum auctore ſuo, ut conveniſti.* — *Non fuit unquam iſtud placitum inter me, & te.* — Probet qui appellat, quod placitum fuit. — Si dixerit: *Placitum fuit, ſed caballus eſt mortuus:* juret, quod ſit mortuus. — Si dixerit: *Venditum, aut donatum, aut commutatum habeo ipſum caballum:* juret. — Si dixerit: *Ecce caballus; interroga auctorem, quid ſibi pertinebat, quando vendidit:* ſi dixerit, quod ſuus proprius erat, & de ſuo jumento natus fuit, juret cum ſuis ſacramentalibus; & ipſe ſibi nonum reddat.

*Petre te appellat Martinus, quod ipſe interclavit tibi unum ſuum caballum, qui valebat ſol. C.* — *Interciaſti tu mihi ipſum caballum: ecce caballus. Quid tibi pertinet?* — *Ego comparavi de Donato de tali loco.* — Juret, quod ad certum warentem eum conducat. — *Vendidiſti tu mihi ipſum caballum?* — *Non feci.* — *Vis ei ardire?* — *Volo.* — *Wadiate pugnam.* — Si dixerit: *Vendidi, & volo ſtare in loco auctoritatem;* det vadia, quod ſtet in auctoritatem. Et ipſe det vadia de contraditore; et reddat precium, et recipiat caballum. — *Quid tibi pertinuit iſte caballus ad vendendum?* — *Ego comparavi de Dominico.* — *Da vadia de auctore.* — *Et tibi quid pertinet?* — *Ego comparavi de Paulo.* — Non vadat ſuper tercium warentem. Aut juret, ſecundum uſum, quod nec fur fuit nec collega furonis; aut emendet ſibi nonum.

*Petre te appellat Martinus, quod ipſe interciavit tibi unum ſuum caballum, qui valebat libras V.* — *Ego comparavi ipſum caballum de Martino de Roma.* — Aut ducat warentem infra tercium comitatum, aut perdat caballum, et faciat ſupradictum ſacramentum.

Sed tota hæc altercatio pene nihil valet: debet enim eſſe, ut legitur in Romana lege.

*Ad Legem CCXXXVII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes ſibi malo ordine talem rem.* — *Ipſa res, quam tu dicis, mea propria eſt; ecce carta, quam fecit mihi Marcoardus.* — *Non potuit tibi facere, quod ipſe eſt meus ſervus.* — Probet.

*Ad Legem CCXXXVIII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes ſibi malo ordine unum bovem.* — *Ipſe bos meus eſt; nam emi a Marcoardo. Non potuit tibi vendere, quia meus ſervus eſt.* — *Ipſe dedit mihi propter utilitatem caſæ.*

*Ad Legem CCXXXIX.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu es ſuus ſervus, & malo ordine ſubtrahis te de ſuo ſervicio.* — *Liber ſum: ecce carta, qua libertavit me Marcoardus.* — *Contra legem eſt ipſa carta, quod ipſe erat meus aldius.*

*Ad Legem CCXLIX.*

MONITUM.

*Et ſi debitor* (1), *vel fidei juſſor ſub vadiis quis fuerit, non debet ita pignerare, niſi homines in teſtes* (2) *interfuerint.*

*Ad Legem CCL.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Excepto ſi debitor ſit pro vadiis.*

*Ad Legem CCLII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter de cæteris rebus per errorem pigneratis.*

*Ad Legem CCLIII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Si vero ſervi dominum non ſint ſecuti, pœnam ſubſtineant quamlibet.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tuliſti ſibi ſine juſſione Regis in nomine pigneris unum ſuum gregem de jumentis, aut de porcis.*

Pe-

(1) *Et ſi debitor &c.*) Lex cui hoc monitum ſubnexum legitur, intellecta fuit de debitore debitum confitente. Etenim ad prima legis verba: *Si quis debitorem habet:* gloſſa interlineatur: *ſcilicet, debitum confitentem.*

(2) *In teſtes.*) Gloſſa marg. ad legem: *id-eſt, vadat ad debitorem cum tribus teſtibus, vel mittens* III. *teſtes legatos debitorem admoneat, ut debitum reddat, & hoc faciat uſque ad* III. *dies, de die in diem; & hoc quidem per uſum.* — *Alias: Vel ita ut legitur in Salica lege.*

*Petre te appellat Martinus, quod Paulus tulit in nomine pigneris unum suum gregem de porcis, & tu fuisti cum ipso, aut Donatus tuus servus.*

*Ad Legem CCLV.*

*Nota.* Lex hæc in Codice Euphemiano legitur aptiore loco post legem CCCLXIV.

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia, quod tu dares illi sol. C. in Kal. Maji, & habuisti neglegentiam de liberare vadia, & remanserint apud eum per IIII. noctes.*

*Ad Legem CCLVI.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Si Sculdais dilataverit facere, sit culpabilis Regi sol. XII. ( *medietatem reclamanti, & medietatem suo judici* ). Et post justitiam factam pignus restituatur.

FORMULA.

*Petre Sculdasci Martinus te appellat, qui est Advocatus de parte Publica, quod unus homo reclamat se ad te de uno suo debitore, qui non habet nisi caballum domitum, & tu dilatasti tollere caballum debitoris, & mittere apud creditorem, usquedum ei justitiam faceret.*

*Ad Legem CCLVII.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Nam si infra *istos* XX. dies, *servus* aut *ancilla* mortui fuerint, aut peculium perierit, aut ( *pecus* ) homicidium, aut damnum *fecerit*, ipse qui pigneraverit ( *nisi dominus liberare neglexerit* ) in suum damnum reputet, & proprio domino satisfaciat. ( *Si vero servus vel ancilla infra istos XX. dies, vel post, damnum aliquid fecerint, debitor illorum dominus pro illo respondeat; si non liberare neglexerit* (1). *Si vero neglexerit, emendet creditor.* ) Et si supra centum *millia* inter se creditor & debitor habitaverint, tunc usque ad XL. dierum spatium pœna suprascripta custodiatur (2).

*Ad Legem CCLVIII.*

LEX GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Si *quis* liber homo furtum fecerit, & in ipso furto tentus fuerit, sit *fengangi*, & usque ad X. filaquas furtum ipsum sibi nonum reddat, & componat pro tali culpa LXXX. solidos, aut animæ suæ incurrat periculum. ( *Furtum ipsum sibi nonum reddat; & pro tali culpa probata aut oculum perdat; aut nasus curtetur; aut animæ suæ incurrat periculum, nihil componens. —— Et pro culpa sit ut supra; si non habet sol. octoginta.*

*Ad Legem CCLXI.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod Donatus tuus servus, dum erat in fuga, tulit sibi furtive unum suum caballum, qui valebat sol. C. aut fecit sibi damnum tale. —— Volo tibi medietatem emendare, quia fugit foras provinciam. —— Si dixerit qui appellat: Non recipiam nisi omne damnum quod mihi fecit, quod regressus est:* probet. —— Sin autem; juret qui appellatus est, quod regressus non sit, & emendet medietatem.

*Ad Legem CCLXV.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu invenisti talem suam rem in via, & super geniculum levasti, & non manifestasti, aut ad judicem non duxisti.*

Vel ita: *Quod habet certam suspectionem, quod tu es fur &c.*

*Ad Legem CCLXVI.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Johannes, quod ipse habet certam suspectionem, quod Marcus tuus servus abstulit sibi furto tantum.* —— Si dicit: *Fecit, sed cum ancilla, idest sua uxore:* adunet se per usum.

*Petre te appellat Martinus, quod Donatus servus Pauli habet Mariam tuam ancillam ad uxorem, & habebat filios ex ea: & habet certam suspectionem, quod ipsa & ipsi cum eo insimul fecerint sibi tantum furtum, quod valet sol. XX.*

*Ad Legem CCLXVIII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Moderata* (3) *impossibilitate a Judice. Et pro culpa sit, ut supra.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu furatus es sibi sua tanta mobilia, quæ valebant sol. X. —— Furatus sum, sed volo me*

(1) *Si non liberare neglexerit.*) Amanuensium error ( ni fallor ) sic corrigendus: *debitor illorum dominus pro illo respondeat, si liberare neglexerit: si vero non neglexerit, emendat creditor.*

(2) *Custodiatur.*) Glossa marg. *Iste terminus de XX. & XL. diebus non fuit positus propter pignera transactare; sed ideo utrum debitor, an creditor debeat componere damnum, quod peculium fecisset.*

(3) *Moderata &c.*) Notabilis mihi videtur hæc glossa in Langobardico foro.

*me adunare cum Paulo.*

*Ad Legem CCLXIX.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod Donatus suus servus volebat fugere foras provinciam, aut unus latro, qui habebat sibi furata tanta mobilia, quæ valebant sol. C. & tu eum prebendisti.* —— *De torto.* —— Si dixerit: *comprebendi ego illum, sed fugit:* juret, sicut lex dicit. —— Si discordia fuerit de rebus, quas secum portabat, de quanto manifestat, reddat; & juret, quod plus non fuerint.

*Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Donatum suum servum.* —— *Non occidi, quod per legem emendare debeam.*

*Ad Legem CCLXXVI.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu prolongasti ei reddere post terciam contestacionem Donatum suum servum, qui fugerat in cortem Regis, unde tu es Advocatus.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu recepisti in gratia Donatum tuum servum, qui fugerat in cortem Regis, unde est Advocatus, & postea dedisti in eum vindictam pro ipsa culpa.*

*Ad Legem CCLXXVII.*

FORMULÆ.

*Presbyter Petre cum Donato tuo Advocato, Martinus te appellat, quod tu prolongasti sibi reddere post tertiam ammonitionem Anselmum suum servum, qui fugerat in Ecclesiam Sanctæ Mariæ.*

*Martine te appellat Petrus, qui est Advocatus de parte Publica* (1), *quod tu recepisti in gratia Anselmum tuum servum, qui fugit in Ecclesia Sanctæ Mariæ, & postea dedisti in eum vindictam pro ipsa culpa.*

Et si actor istos XL. solidos retinuerit, poterit dominus Ecclesiæ eum inde appellare.

*Ad Legem CCLXXVIII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Johannes, quod Donatus suus servus vagabatur intra provinciam, & ipse eum invenit, & servus fugit in cortem tuam, & ipse eum apprehendit, & tu tulisti eum sibi de manu,* *Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti scandalum in corte sua.* —— *Apprehendi servum meum in corte tua; sed si aliud scandalum dicis me fecisse, injuste me appellis.*

*Ad Legem CCLXXXII.*

LEX GLOSSATA.

Si quis (*in domum*) in cortem alienam asto (2) ingressus fuerit, XX. sol. illi componat, cujus cortis fuerit (*sive sit propria, sive locata, sive gratis concessa; secundum quosdam.*

*Ad Legem CCLXXXIV.*

FORMULÆ.

*Vide Vol. II. pag.* 468.

*Ad Legem CCLXXXV.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod Villani de Ulibris se adunaverunt per concilium, & super eum venerunt in vicum talem, & tulerunt sibi unum mancipium de manu, aut bovem, quem volebat tollere* " de casa „ *sui servi; & tu fuisti in capite cum illis, aut cucurristi in ipsam seditionem ad malum faciendum.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Donatum suum servum.* —— *Non occidi, quod per legem emendare debeam.*

*Ad Legem CCCIV.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*In actogild. In his enim omnibus, ubi furtum committitur, pro culpa sit ut supra præcipimus.*

*Ad Legem CCCV.*

LEX GLOSSATA (3).

Si quis *robur*, aut cerrum, seu quercum, *quæ est modola bisclum*, quod est *ferba*, *infra* agrum alienum, aut *in cultura, seu clausura*, in cujus vicini inciderit, componat pro arbore tremisses duos. Nam si iterans homo propter utilitatem suam foris clausuram *capellaverit*, non sit *culpabilis*, (*Et ita componantur infructuose.*

*Ad Legem CCCVII.*

LEX GLOSSATA.

Si quis olivam *capellaverit*, *aut succide-*

(1) *Advocatus de parte Publica.*) Non uno hoc in loco innuitur ex Codice Veronensi per Advocatum fiscalem repetitas fuisse mulctas, quæ ad Ecclesiam pertinebant. Revera lex ipsa eas ab Actore Regis exigendas esse decernit.

(2) *Asto.*) Glossa interlin. *idest, inique animo.*

(3) Legem hanc, uti & sequentem hic relatam exscripsi propter glossas belle docentes, quomodo componerentur cæsiones arborum tum culpabiliter factæ, tum inculpabiliter.

*derit*, componat sol. III. ( *Et ita fructuose componantur*.

*Ad Legem CCCXII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Si vero homicidium cum illis armis fecerit, non sit collega.*

*Ad Legem CCCXX.*

VARIA LECTIO.

Si quis cervum domesticum, qui tempore suo rugire solet, *fragiaverit* (1) &c.

*Ad Legem CCCXXI.*

VARIA LECTIO.

Si quis cervum domesticum alienum, *quod* non *rugierit*, *intrigaverit* (2), &c.

*Ad Legem CCCXXXII.*

PARS LEGIS.

Si quis præstitum, aut conductum (3) habuerit caballum &c.

*Ad Legem CCCXXXVI.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter de aliis bestiis, vel animalibus.*

*Ad Legem CCCXLII.*

LEX GLOSSATA.

Si quis *alicui equo*, ( *vel alio animali* ), aurem, *aut* oculum excusserit, aut aliquam læsionem corporis fecerit ( *quæ nunquam sanari potest* ), recipiat ipsum, *quod læsum factum* est, & reddat ei *ferquido*, idest simile. ( *Similiter enim de omnibus animalibus irrationabilibus intelligitur*.

*Ad Legem CCCXLIV.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter de cæteris animalibus sit.* —— *Per intellectum stultorum* (4).

MONITUM.

*Si Longobardus Longobardum appellaverit, quod suum caballum plagaverit, & negaverit, non secundum precium caballi, sed secundum quod appreciata fuerit emendatio, purificare se debet.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod plagasti unum suum caballum.* —— Si dixerit, quod plagavit; recipiat ad sanandum. —— Si caballus sanus factus est, antequam appellatio fiat, nihil sit.

*Petre te appellat Martinus, quod tu plagasti unum suum caballum, & recepisti ad sanandum. Modo est mortuus pro ipsa plaga.*

*Petre te appellat Martinus, quod ipse plagavit unum tuum caballum, & recepit ad sanandum; & dedit tibi unum suum caballum, unde tu faceres tuam voluntatem. Modo est sanus tuus caballus; vult quod des sibi suum, & recipias tuum.* —— *Meum recipio, sed tuum non dabo, quia mortuus est.* —— Juret, quod per suam neglegentiam mortuus non sit.

*Ad Legem CCCXLVI.*

GLOSSA VERSUS FINEM LEGIS.

Furti pœna sit culpabilis, *idest* in actogild, ( *sibi nonum, & pœnæ feriatur ut latro. Et ita de omnibus animalibus, secundum quosdam*.

*Ad Legem CCCXLVII.*

PARS LEGIS GLOSSATA, ET CORRECTIOR.

*Non alia* causa eum *prehenderit*, sed *credidit* suum fuisse, & *sit exsolutus* a culpa furti, & reddat ipsum caballum proprio domino illæsum, ( *si dominus caballi voluerit jusjurandum accipere; sin aliter per pugnam decernatur*. ) Si autem *non* præsumpserit jurare, reddat eum in actogild. Quia *eum*, postquam *cognoverit* quod suus non *fuit*, mox debuit proprio domino innotescere. Nam si eum, postquam cognovit, quod suus non *fuit*, ascenderit, sit culpabilis sol. II. ut supra ( *aut in actogild*.

*Ad Legem CCCXLVIII.*

PARS LEGIS CORRECTIOR.

Nam si ista neglexerit, & *inventus* fuerit, sibi *nonum* reddat (5) &c.

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu invenisti unum suum caballum facientem damnum, & minasti ad clausuram.* —— *De tor-*

(1) *Fragiaverit.* ) Glossa interl. *idest, occiderit.*

(2) *Intrigaverit.* ) Glossa interl. *idest, occiderit.*

(3) *Præstitum.* ) Glossa interl. *scilicet, gratis.* —— *Aut conductum.* Glossa interl. *scilicet, precio.* Sed glossæ hujusmodi gratis habeantur, non pretio; cum omnes norint, equum conduci pretio, præstari gratis.

(4) *Per intellectum stultorum.* ) Vide glossam ad legem CCXXXV.

(5) *Sibi nonum reddat.* ) Paria leguntur apud Heroldum; atque huic lectioni subnexæ formulæ aptantur. Lindenbrogius habet: *sibi alterum similiter reddat*; quod vel errore amanuensium inductum est, vel ex Jurisprudentia serius invecta inter Langobardos. Advertere non desino, veteres Langobardorum leges nos non habere genuinas; immo plerasque corruptas videri, ut aptarentur institutis sequioribus ævis vigentibus.

*torto*. —— Si dixerit: *ecce caballus*: dicat. —— *Ego te appello quod tu non minasti ante Judicem, aut ante conventum*. —— Aut probet, quod minavit, aut emendet sibi nonum. —— Si dixerit: *non misi neglegentiam ad minare*: juret.

*Petre te appellat Martinus, quod tu invenisti unum suum caballum facientem damnum, & minasti ad clausuram*. —— Si dixerit: *ego minavi ipsum caballum ante Comitem, & mortuus est*; aut ostendat signum de corio; aut juret, quod non misit neglegentiam ad custodiendum; aut emendet sibi nonum. —— Si monstravit signum de corio, et qui appellavit dixerit: *Non est hoc signum de meo caballo*: juret, quod non alium caballum invenit, nisi ipsum, unde hoc signum est. —— Si dixerit, qui appellavit: *tu fecisti in ipsum caballum, plusquam in tuum proprium*: juret qui appellatus est, quod plus non fecit, quam in suum proprium.

*Ad Legem CCCLI.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse minabat tuum peculium* (1) *de suo danno ad clausuram, & antestetisti ei*.

*Petre te appellat Martinus, quod tu minasti suum peculium de tuo danno ad clausuram, & ipse voluit tibi dare pignus valens siliquas III. de emendare dannum, & noluisti accipere, sed tenuisti peculium apud te una nocte*.

*Petre te appellat Martinus, quod tu minasti suum peculium de tuo danno ad clausuram, & voluit tibi emendare dannum, & reddas sibi peculium*. —— *Tu dispexisti liberare, & mortuum est*. —— *Hoc ego dico, quod tu non dedisti ei aquam*. —— Juret, quod dedit ei aquam.

*Ad Legem CCCLII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, qud tu eras iterans, & unus suus caballus te fuit secutus, & tu misisti eum in ligamen*. —— *De torto*. —— Si dixerit: *ipse caballus tornavit se de via*: probet. —— Sed melius est ut dicat: *Nullus tuus caballus me secutus fuit, quod per legem emendare debeam*. —— Si dixerit: *Ecce caballus*: juret, quod non misit neglegentiam de minare ante Comitem, vel ante conventum.

*Petre te appellat Martinus, quod tu eras iterans, & unus caballus te secutus fuit, & misisti in ligamen, & tu eum vendidisti*.

*Ad Legem CCCLIII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu prebendisti unum suum caballum*. —— " Donatus perdidit unum suum caballum,, *& rogavit me ut quærerem, & dictavit signum; & ego sperabam fuisse ipsum*. —— Juret, sicut lex dicit.

*Petre te appellat Martinus, quod tu perdidisti unum tuum caballum, & rogasti Donatum, ut quæreret, & dixisti sibi signum: & ipse prebendit unum suum caballum per errorem, & dedit tibi, & tu misisti neglegentiam de minare ad Comitem*.

*Ad Legem CCCLIV.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu invenisti VIIII. suos porcos in silva tua, & tenuisti unum; modo vult tibi emendare dannum, & reddas sibi suum porcum*.

*Petre te appellat Martinus, quod tu invenisti VIIII. suos porcos in silva tua, & tenuisti unum; & vult componere siliquas tres, ut reddas sibi suum porcum*.

*Petre te appellat Martinus, quod tu invenisti V. suos porcos in silva tua, & occidisti unum*.

*Ad Legem CCCLVI.*

GLOSSA LEGI SUBNEXA.

*Si quis verrem alienum furatus fuerit, qui dicitur sonorpair, eum in actogild componat* (2). *Et si in danno ipse sonorpair occisus fuerit, aut similem aut meliorem ipse qui occiderit restituat, & dannum ei componatur; & si inde portaverit, componat in actogild. Et si alios verres, aut porcos furatus fuerit, in actogild reddantur*.

*Ad Legem CCCLXIII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter de quibusdam aliis animalibus.*

*Ad*

---

(1) *Tuum peculium*.) Glossa marg. ad legem: *idest, majores, & minores quadrupedes*.

(2) *In actogild componat*.) Glossa a lege aliquanto diversa, docet furtum, aut furti præsumptionem in octuplum compositam fuisse. Adverto quod & supra in lege CCLXXXVI. & sequentibus, ubi furta determinato pretio pensantur, pluries glossæ Codicis nostri eisdem legibus subnexæ *in actogild* pensari decernunt. Quod semel annotasse sufficiat.

*Nota*. Consule legem CCCLXIV. Ad ipsam autem hæc legitur glossa marginalis: *De illis causis, de quibus præcipitur, ut in legibus retropositis, ut homo se purificet, purificare se debet sine probatione appellatoris. De illis vero, de quibus non præcipitur, interrogetur appellator, si potest approbare. Si manifestaverit se non posse, purificet se appellatus, quia tunc dandum est sacramentum: secundum quosdam*. Eadem doctrina legitur in antiquiore Jurisconsulti monito supra relato ad legem IX., atque tertio repetitur infra ad legem CCCLXVIII. quam non exscripsi ne cocta recoquerem. At vero postrema glossæ verba, *secun-*

### *Ad Legem CCCLXV.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Et ipse qui appellatur, nisi aliter inquiri possit res, juret, quod parens ejus talem offensionem fecerit sibi.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum. —— De torto. —— Jura cum Donato tuo filio, & cum Paulo, & Anselmo, seu Ruperto, atque Bernardo, sive Petronio tuis fratribus.*

*Donne Comes hoc dicit Martinus, quod in Kal. Maji appellavit eum Bruno, qui occidisset patrem suum, & ipse dixit: De torto. Fuit interrogatus, si potuisset probare, & ipse dixit, quod non poterat; ideo & dedit vadia, si se recordatus esset, quod emendaret, aut juraret cum suis sacramentalibus. Modo est paratus de jurare. —— Dicis tu ita Martine? —— Sic dico. —— Et tu recepisti vadia ita? —— Sic feci. ——* Tunc jurent. —— *De hoc unde ego te appellavi, quod tu occidisti patrem meum, me sciente de torto non appellavi. Sic Deus. —— De hoc, unde tu me appellasti, quod occidissem patrem tuum, de torto me appellasti. Sic Deus. —— Quod ipse juravit, verum juravit. Sic Deus.*

### *Ad Legem CCCLXVI.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia, quod jurares cum tuis sacramentalibus, quod non haberes occisus Donatum suum patrem, unde te appellavit, & prolongasti voluntarie facere sacramentum per totum annum.* —— Si dixerit: *non est transactus annus*: probet qui appellat. —— Si dixerit: *ego infirmus sum*: probet. —— Sed melius, ut dicat, quod *non prolongavi voluntarie facere sacramentum.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia, quod jurares cum tuis sacramentalibus, quod haberes possessam per XXX. annos unam peciam de terra, quæ jacet in tali loco, & prolongasti voluntarie facere sacramentum per totum annum.* —— Si dixerit: *ego fui paratus infra annum ad faciendum sacramentum*: probet. —— Et si potuerit probare; aut probet qui appellat, quod paratus fuisset ad audiendum, aut causam refutet. —— Et si ambo potuerint probare, aut non potuerint, nullus habeat pœnam, sed vadat placitum in antea.

Et ita secundum quosdam fiunt appellationes. Sed si est actio in personam, ut mihi videtur, aliter esse debent. (Per conjecturam stultitiæ).

*Petre te appellat Johannes, quod tu consiliatus es de morte sua. —— De torto me appellis. —— Non debes mihi ita respondere, nec potes; quia altera vice te appellavi, & vadium & fidejussorem* (1) *de sacramento dedisti mihi, & voluntarie toto anno* (2) *dilatavisti, & sacramentum non dedisti.* —— Probet ita. —— Sin autem: ipse juret, quod non, vel rem amittat.

*Petre te appellat Johannes, quod tu consiliatus es de morte sua. —— Non tibi respondeo, quia altera vice me appellasti, & ego vadium & fidejussorem de sacramento dedi, & fui paratus ad illum dandum, & tu toto anno voluntarie audire dilatasti.*

Vel utantur aliis exceptionibus.

Quod quidem melius fit tantum in actione pro possessione juret, secundum valentes.

### *Ad Legem CCCLXVII.*

MONITUM.

*Sacramentum tunc intelligitur ruptum, quando præsentibus sacrosanctis Evangeliis, scilicet de lite plus aut infra XX. sol., & ipse qui pulsatur cum sacramentalibus suis se conjunxerit, & non ausus fuerit jurare, & aut ipse aut aliquis de sacramentalibus suis se subtraxerit. Tunc post solis occasum intelligitur ruptum sacramentum, & positis Evangeliis, scilicet de lite XX. sol. vel ultra, si pulsatus vel subrogatus post spacium tantum se subtraxerit, aut sacramentalis non nominatus.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod pater tuus dedit sibi vadia de jurare, quod non haberet factam injuriam in suam mundoaldam, & non juravit dum vixit. Modo vult, ut adimpleas quod ipse promisit, & unde vadia dedit.*

Hæc appellatio, secundum quosdam.

*Petre te appellat Martinus, quod pater tuus*



*cundum quosdam*, quæ etiam in calce præfatę glossę ad legem CCCLXVIII. occurrunt, indicant etiam in hac parte labentem disciplinam.

(1) *Vadium & fidejussorem.*) Glossa marg. ad legem CCCLXV. *Nam antiquum præceptum erat, ut homo daret vadia, & fidejussorem de sacramento.* Verba, *antiquum præceptum*, innuunt, Glossatoris ævo preceptum ipsum vel parcius observatum fuisse, vel antiquatum.

(2) *Toto anno.*) Consule legem, ad quam hæc legitur glossa marginalis: *Quicumque horum XII. noctes dare sacramentum, aut accipere dilataverit voluntarie, rem perdat, similiter ut de anno. Secundum asinos.* Jure an injuria hæc dicta sint, *secundum asinos*, nescio: scio, glossam ex relatis formulis minime fulciri.

*tuus dedit ſibi vadimonium de jurare, quod haberet poſſeſſam per XXX. annos peciam de terra, quæ jacet in tali loco; & dum jurare debuit, poſtquam ſol occiderit, & poſt ſpacium ad inquirendos ſacramentales, fuit ruptum ſacramentum ejus, vel ſacramentalis: & vult ut dimittas ei ipſam peciam de terra.*

*Ad Legem CCCLXIX.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod habet certam ſuſpectionem, quod pater tuus quando venit ad mortem, erat ſibi debitor ad dandum ſol. C.* Hoc a., ſecundum quoſdam.

*Ad Legem CCCLXX.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod dediſti ſibi vadiam dare ſol. C. in Kal. Maji. —— De L. ſol. dedi tibi vadia, non de plus,* —— Probet actor. —— Sin autem; appellatus juret.

*Nota. Poſt legem CCCLXX. legitur in codice Euphemiano lex:* Omnes varengaſt; *quæ apud Muratorium eſt numero CCCXC.*

*Ad Legem CCCLXXII.*

PARS LEGIS CORRECTIOR, EX GLOSSATA.

Omnes vero regales cauſæ (*retroſcriptæ*), quæ ad manum Regis pertinent, unde compoſitio expectatur, aut culpa quæritur, dupliciter ſecundum antiquam conſuetudinem componantur, excepto *injuriam* de *muliere* libera (1), aut morth, aut *alias*, quæ ſimiles ſunt, unde DCCCC. ſol. judicantur, quas in ſuo vigore ſimiliter conſtituimus permanere, &c.

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Exceptis regalibus cauſis retro duplicatis.*

*Ad Legem CCCLXXIII.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 468.

*Ad Legem CCCLXXIX.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si vero judex hoc *opus* malum perpetrare *juſſerit*, *ipſe* de ſuo proprio pœnam ſupraſcriptam componat.

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus; quod tu occidiſti Mariam ſuam aldiam, dicendo quod eſſe ſtricam.*

*Petre Comes te appellat Martinus, quod tu commendaſti occidi Mariam ſuam ancillam, aut aldiam, dicendo hoc, quod ipſa fuiſſet ſtrica.*

Aliter.

*Petre te appellat Martinus, quod tu occidiſti Mariam ſuam ancillam, aut aldiam, dicendo hoc, quod ipſa fuiſſet ſtricam.*

*Petre Comes te appellat Martinus, quod tu ad Marcoardum juſſiſti, ut Mariam ſuam ancillam miniſterialem, aut aldiam, aut ancillam ruſticanam occidiſſet.*

*Ad Legem CCCLXXXI.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Si mulier libera in ſcandalum (*ſimpliciter*) cucurrerit &c. Et infra: (*Si vero hoſtiliter iverit; nulla ei fiat juſtitia*). Nam *alia* culpa &c.

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod Alda ſua mundoalda ſimpliciter currebat in ſcandalum, & tu eam occidiſti.*

*Ad legem CCCLXXXII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod dum ipſe habebat intentionem tecum de pecia una de terra, eſtirpaſti unam ſuam caſinam, ubi homo non habitabat, quæ ſuper ipſam terram erat:* aut; *ubi habitabat.*

*Ad Legem CCCLXXXIV.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu clamaſti eum Argam. —— De torto me appellis.* —— Si dixerit: *Argam clamavi, ſed per furorem*; juret, ut lex eſt.

*Ad Legem CCCLXXXVIII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Omne debitum perſolvat filia, aut ſoror, quia heres omnium eſt* (2).

NOTA. *Poſt legem CCCLXXXVIII. reperitur in Codice Peroratio Regis Rothari:* Præſente vero diſpoſitione noſtri Edicti, &c. *quæ in Muratoriana editione habetur ultimo loco.*

In-

(1) *Excepto injuriam de muliere libera.*) Corrige editionis erratum, quod irrepſit quoque in Codices Ambroſianum, & Eſtenſem, atque in Heroldinam editionem. Lectio noſtra egregium ſenſum admittit, aliiſque legibus & formulis cohærens eſt.

(2) *Quia heres omnium eſt.*) Scilicet ob ſubſequentes leges, quibus fœminæ ad totam hereditatem admiſſæ ſunt. Cæterum gloſſa marginalis ad hanc legem advertit: *Hic videri poteſt, quod actio contra debitores ſit in heredes debitorum, & totum vel partem, prout ſunt heredes, perſolvant.*

*Inde occurrit Lex CCCLXXXIX.*

*Tandem legitur Epilogus:* Et hoc addimus atque decernimus &c. *prout in editis, quibusdam tantum leviter variantibus.*

*Et in fine:*

DEO GRATIA SEMPER.
EXEMPLAR EDICTI.

# GRIMOALDUS REX.

*Pars Prologi correctior.*

AD meliorem statum, & *clementius* remedium corrigere & revocare præcipimus.

*Ad Legem I.*

GLOSSA POST LEGEM.

*Præcipimus* (1) *ut nova conditio aldioni a patrono suo non imponatur; sed habeat res suas per XXX. annos possessas.*

*Ad Legem II.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Si nati* (2) *de duobus ingenuis fuerint, aut cartam libertatis ostenderint.*

*Ad Legem III.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Et si ipse servus (*facto malo voluntate domini, antequam inde appellatus fuerit*) fuga lapsus fuerit &c. Et infra: Nam LX. solidos componat pro culpa quam servus fecit. (*Et si hoc malum absque voluntate domini fecerit, & facto malo fugerit, ut inveniri non possit, juret dominus nihil componens, quod suæ voluntatis, nec conscientiæ fuisset, quod servus ejus tale facinus commisisset*). Et si spolia &c.

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tuus servus Paulus fecit injuriam ad Mariam suam mundoaldam.* —— *De torto.* —— Si dixerit: " fecit: „ juret, quod suæ non voluntatis, nec consenciens fuisset, quod servus ejus tale malum fecisset, & juret quod invenire non potuit, & nihil emendet (3).

*Petre te appellat Martinus, quod tuus servus rupit sepulturam Anselmi sui patris, & tulit tanta spolia de ipsa sepultura, quæ valebat sol. C.*

*Ad Legem IV.*

LEX CORRECTIOR, ET GLOSSATA.

Si quis per XXX. annos (4) possederit *casam, familiam, vel terras*, & cognitum fuerit, quod ejus possessio *fuit per XXX.* annorum curricula, pugnam non perveniat, nisi (*appellatus fuerit per investituram,*) ipse qui possedit secundum qualitatem pecuniæ cum sacramento suo se defendat: nam per pugnam (*nisi*), ut diximus, non fatigetur.

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram, quæ jacet in tali loco;* aut, *duos servos;* aut, *unam suam casam.* —— *Possessa habeo per XXX. annos.* —— Probet, si potuerit, suam possessionem. —— Si non potuerit; probet qui appellat, quod investitus fuisset infra istos XXX. " annos. „ —— Et si non potuerit; juret appellatus suam possessionem.

Hæc res secundum asinos est. Sed ita esse debet.

*Non est verum.* —— *Approbabo hoc.* —— *Non debes mibi approbare, quia jam tantum possedi, quod debeo me defendere.* —— *Defende ergo te per bellum.* —— *Non defendam me per bellum, sed per sacramentum, quia jam possedi per XXX. annos.* —— *Da ergo vadium te exdicere per sacramentum.* —— Quod hæc lex, secundum quosdam, voluit. —— Sed Aistulphus & bellum & sacramentum pro hoc delevit, & præcipit, si dubitacio fuerit, ut probet suam possessionem XXX. annorum, & possideat in antea.

Vel ita:

*Petre te appellat Johannes, quod terra, quæ in tali loco est, sua sit; & tu sibi eam detines.* —— *Non sibi respondeo, quia possedi per XXX. annos.* —— *Vere possedisti, sed malo ordine.* —— *Non.* —— *Hoc tibi adardio.* —— *Non debes mibi adar-*



(1) *Præcipimus &c.*) Hæc in Codice scripta videtur, quasi lex a superiore diversa; sed revera est breviarium partis legis ejusdem. In editis lex C. Lotharii iisdem ferme verbis legitur, sed dimidiata. At vero hæc inter Lotharianas abest ab Estensi Codice, atque etiam a Veronensi.

(2) *Si nati &c.*) Glossa perstringens legem ex lege subsequente, videlicet LVIII. Ludovici Pii, de qua suo loco sermo erit. Glossa vero marginalis hanc perstrictionem non patitur: *Probatio agentis in hominem stantem in possessione libertatis, pro statu ejus negantem se posse probare suam libertatem. Fit bellum ad tempus I. usque ad XXX. annos possessionis hominis manentis in libertatem. Et probacionibus his utriusque deficientibus, reus idoneet suam libertatem cum suis sacramentalibus legitimis.*

(3) *Et nihil emendet.*) Formula aptatur glossæ intermixta.

(4) *Si quis per XXX. annos &c.*) Observa deesse clausulam, *bona fide*; & vide dicta in Monito.

*adardire, quia lex præcipit, ut pugna non perveniat, postquam homo possederit per XXX. annos.* —— *Defende ergo te per sacramentum.*

Quod melius ita:

*Petre te appellat Martinus, quod tu malo ordine possides quandam suam terram, quæ est in tali loco.* —— *Non est verum.* —— *Hoc vult tibi adardire.* —— *Non debet, quia possedi per XXX. annos.* —— *Exdic te ergo per sacramentum.* —— Quod Aistulphus noluit. Sed ita: —— *Non tibi respondeo, quia possedi per XXX. annos.*

*Ad Legem V.*

LEGIS INITIUM.

Si quis habuerit filios legitimos unum, (1) aut plures &c.

*Ad Legem VII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod postquam adjunxit sibi in conjugio Mariam tuam filiam, quod ipsa adulteravit se.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu non fuisti ausus jurare, quod non asto animo, nec dolose crimen ingereres Aldæ suæ sorori de adulterio, postquam ipse eam mundavit de isto crimine.*

*Ad Legem VIII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod ad Mariam tuam mundoaldam erat cognitum, quod Donatus habet ad uxorem Aldam suam sororem, & introivit super eam, & tulit maritum, quod non erat suum.*

# LIUTPRANDUS REX.

*Ex Libro I.*

NOTA. *Prologus in Codice Veronensi legitur, ut apud Heroldum, paucis variantibus.*

*Ad Legem VII. Lib. I.*

NOTA. *Abest hæc Lex a Codice Euphemiano, in quo in libros non dividuntur Liutprandi Leges, ut monuit jam Cl. Dolleonius.*

*Ex Libro II.*

*Ad Legem I.*

FORMULA.

*Maria cum Donato tuo tutore Petrus te appellat, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipsa terra mea propria est per cartam; & ecce carta.* —— Si carta dicit: *Tibi Mariæ conjugi meæ*: fiat vacua. —— Si dixerit: *Tibi Mariæ amicæ meæ*: aut probet qui appellat, quod pater suus habuisset ipsam feminam acceptam ad conjugium, quando fecit ipsa carta; aut emendet pœnam. —— Si carta manifestat, quod maritus fuisset Romanus; probet qui appellat, quod fuisset Longobardus. —— Si femina ostendit morgincap; ipse qui appellat dicat falsum, aut taceat. —— Et hoc tamen, secundum aliquos.

*Ad Legem II.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu conventasti sibi dare in Kal. Maji sol. C.* —— *Non feci.* —— Probet qui appellat.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Tu mihi vendidisti, aut refutasti ipsam terram.* —— Aut probet, aut perdat.

*Ad Legem III.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu es suus servus, & malo ordine subtrahis te de suo servicio.* —— *Hoc dico ego, quod Imperator dimisit me liberum per manum Sacerdotis circa sacrum altare; & tu dedisti me in manum Imperatoris.* —— Aut probet, aut fiat servus.

*Ad Legem IV.*

LEGIS INITIUM.

Si quis servum suum, aut ancillam *suam* liberum vel liberam (2) dimiserit &c.

*Ad Legem V.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod Donatus tuus*

---

(1) *Unum.*) Varia lectio interlinearis, *aliter duos*, quæ sensui legis consonat aptius.

*Nota.* Consule legem VIII. Ad hanc ita scribit glossator marginalis: *Hanc pœnam* (ipsa lege statutam) *sustineat mulier, sive hic maritus vivit, sive non, quando appellatio fit. Et si maritus dimissa uxore aliam duxerit, etiamsi ambæ mortuæ sint, tamen D. sol. componere debet.*

(2) *Liberum vel liberam.*) Glossa interl. *scilicet, ut aldium.*

*tuus servus, dum erat in fuga, tulit sibi ad furtum tanta mobilia, quæ valebant sol. C.* —— *Ego volo emendare medietatem, quia fugit foras provinciam.* —— Probet qui appellat, quod prolonget se intra provinciam. —— Et si non potuerit; ipse qui appellatus est juret cum suis sacramentalibus, quod ipse fugit foras provinciam. —— Et si dixerit: *nescio si habet factum*: vadat eum quærere.

*Ad Legem VI.*

Pars legis correctior, et glossata.

Si quis puellam *intra* XII. annos sponsaverit, aut tulerit, tunc ille qui eam tulerit, aut sponsaverit, componat sicut Edictum de *rapto* continet, hoc est DCCCC. sol., *medietatem* Regi, & *medietatem* eidem infantulæ. Et ipsa revertatur in casam & in *pecunias suas*, & sit quieta usque ad *supra scriptum* tempus. Postea autem eligat virum sibi *ipsa*, & nubat cui voluerit. ( *Nec tamen aliqua ante XII., vel aliqui conjungi possunt ante quatuordecim annos masculi*. (1) )

Formulæ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu sponsasti Aldam suam mundoaldam ante XII. annos, aut tulisti ad conjugium.* —— *De torto.*

*Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu consensisti Paulo Mariam tuam mundoaldam tollere ad conjugium ante XII. annos.*

*Ad Legem VII.*

Pars Legis.

Et si propinqui (2) *parentes* non fuerint &c.

Formula.

*Vide Vol. II. pag.* 468.

Aliæ Formulæ.

*Petre te appellat Maria cum Donato suo mundoaldo, quod tu occidisti Paulum suum patrem.* —— *Non respondebo tibi, quia habet parentes.* —— Aut probet quia habet parentes, aut respondeat.

*Petre te appellat Maria cum Donato suo tutore, quod tu occidisti Paulum patrem suum.* —— *Ego occidi patrem suum, sed non faciam tibi composicionem, quia Longobardus fuit.* —— Aut probet, quod fuisset Longobardus, aut faciat composicionem ad filiam.

*Ad Legem VIII.*

Pars legis glossata (versus finem.)

Si autem contigerit illam mori, quæ jam nuptui tradita est, tunc ille succedat ( *si sine illius, suisque filiis perierit* ) qui eam per mundium suam fecit. ( *Sed tamen* (3) *si contigerit eam mori sine filiis eorum amborum, quamvis mundiata non sit, tamen vir suus ei succedat, secundum quosdam*.

*Ad Legem IX.*

Nota. *Lex abest a Codice.*

*Ex Libro III.*

*Ad Legem I.*

Formulæ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum malo ordine in tantum de suo mobili, quod valebat sol. C.* —— Si dixerit: *Tu dedisti mihi vadia dare sol. C. in Kal. Maji, & non mihi dedisti, propter hoc te pigneravi.* —— *Non dedi tibi ipsa vadia.* —— Aut probet qui pigneravit, aut reddat sibi nonum. —— Si dixerit qui appellat: *Non debuisti me pignerare propter ipsa vadia, quia homines non fuerint illic*: tunc ille qui pigneravit probet, quod homines fuerint.

*Petre te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia, quod dares sibi sol. L. in Kal. Maji.* —— *De quadraginta dedi vadia, non de pluribus.*

*Ad Legem III.*

Formulæ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Anselmum suum fratrem, & tuum.* —— *De torto.*

*Petre te appellat Martinus, quod Johannes occidit Paulum suum patrem, & suum fratrem, & tuum, & tu habes substantiam suam; vult quod tu des sibi composicionem sui patris.*

*Ad Legem IV.*

Formulæ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipsa terra mea propria est per cartam; & ecce carta, quam mihi filius tuus fecit.* —— *Contra legem est, quia nihil po-*



(1) *Ante quatuordecim annos masculi.*) Vide, quæ infra perpenduntur ad legem LXXVI. Libri VI. Liutprandi. Obiter adverto, ultimum hujusce legis paragraphum ita in Veronensi Codice exordiri: *Quoniam istam licentiam ideo dedimus, eo quod credimus, quod pater filiam &c.* prout legitur in Codicibus Mutinensibus, & Ambrosiano, atque in Heroldina editione; ut tuto corrigendum sit sphalma, utcumque leve, nostræ editionis.

(2) *Propinqui.*) Glossa interl. *idest, agnati.*

(3) *Sed tamen &c.*) Verba deprompta, atque intergiossata ex lege I. Henrici I. quo dignoscimus novissimum Codicis Veronensis concinnatorem post præfatam legem scripsisse.

*potuit alienare me vivente.* — *Tu ambulasti foras de provincia propter negocium, & per III. annos distulisti mandare.* — Si dixerit: *Non ambulavi:* probet ipse qui habet cartam: & si non potuerit, juret ipse quod non distulit ad mandandum.

*Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod pater tuus ambulavit intra provinciam propter negocium, & per tres annos se distulit tibi mandare, & postea eum recepisti sine jussione Regis.*

*Ex Libro IV.*

*Ad Legem I.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* — " Ipsa terra mea propria est per cartam; „ *& ecce carta, quam tu mihi fecisti, quando tu eras infra ætatem.* — Si carta manifestat debitum patris, & omnia, sicut lex ista dicit; aut dicat falsam, aut det pœnam de carta. — Si carta non manifestat debitum, sed manifestat quod habeat legitimam ætatem; aut appellator dicat falsam, aut det pœnam de carta. — Si carta dicit: *sicut alia carta, quam fecit homo, qui habet legitimam ætatem:* & Judices possint prævidere, quia infra ætatem erat, fiat talliata. — Si non potuerint prævidere, aut appellator probet, quod infra ætatem erat, aut det pœnam de carta.

ALIA FORMULA.

*Vide Vol. II. pag. 468.*

*Ad Legem II.*

PARS LEGIS.

Et persona ejus tradatur ad propinquos defuncti (1).

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu ambulasti super Donatum patrem suum, & occidisti illum.* — *De torto.* — Si dixerit, quod occidisset se defendendo, probet; aut cum suis sacramentalibus juret, quod se defendendo occidit.

*Ad Legem III.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter fit de servo multorum dominorum. Si vero alter voluerit, alter noluerit, utique sua pœna feriantur.*

*Ad Legem IV.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag. 468.*

*Ad Legem VI.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Si mulier libera ( *aut puella* ) servum tulerint, & parentes ejus *intra* anni spacium in eam vindictam dare neglexerint, sicut in anteriore Edicto continetur, tunc quandocumque post *transacti* anni spacium inventa fuerit, sit ancilla palatii, & ipse servus similiter ad *Publicum* replicetur, & filii qui ex eis nati fuerint, *corti Regis* omnimodo serviant, ( *illius, cujus servus est.* (2) &c.

FORMULA.

*Maria cum Petro tuo tutore appellat te Martinus, quod tu es sua ancilla, & malo ordine subtrahis te de suo servicio. Tu quid dicis?* — *Libera sum nascendo; & tibi quid pertinet ad requirendum?* — *Tu conjunxisti Marcoardo meo servo.* — *Tamen non debeo propter hoc esse ancilla, quia non feci me sciente;* & *mei parentes non habuerunt neglegentiam in me dare vindictam;* aut; *non transivit adhuc anni spacium.* — Si dixerit appellator: *Fecit:* approbet. — Si autem non potuerit probare, rea idoneet se cum suis sacramentalibus.

*Ad Legem VIII.*

FORMULA.

*Sculdasci Petre te appellat Martinus, quod ipse venit cum Misso aut epistola de suo Sculdascio ad te, quod tu faceres sibi justiciam de Donato, qui est in tua Sculdascia (3), & tu non fecisti sibi justiciam infra quatuor dies.*

*Ad Legem IX.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag. 469.*

*Ad Legem X.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Nam de causa, quæ per arbitrium judicata fuerit, & ipse sibi non crediderit legem judicasse, & ad Regem *reclamaverit*, non sit culpabilis. ( *In custodia recludatur* (4), *donec unum de duobus fiat, aut consenciat, aut blasphemat judicium.* ) &c.

*Ad*

---

(1) *Tradatur ad propinquos defuncti.*) Glossa interlin. *ad serviendum.*

(2) *Illius, cujus servus est.*) Repete dicta ad legem CCXXII. Rotharis, quæ subrexam quoque formulam aliquantulum illustrant.

(3) *In tua Sculdascia.*) In districtu scilicet, cui præerat ipse Sculdais; qua de re egimus in Monito ad Leges in Anglia conditas Vol. IV. hujus collectionis.

(4) *In custodia recludatur &c.*) Hæc deprompsit Glossator ex lege LXIV. Lotharii I., ubi hæc appellatur *antiqua consuetudo.*

### *Ad Legem XI.*

NOTA. *Lex ista deest in Codice.*

### *Ex Libro V.*

### *Ad Legem I. quæ in Codice Veronensi legitur post illam, quæ in edito est secunda.*

PARS LEGIS GLOSSATA (1).

De persona *autem* ejusdem feminæ, quæ tale malum *consenserit* ( *si mœcha fuerit, sit in potestate sui Episcopi: de aliis vero sit secundum legem Romanam* ), judicet Rex, qui pro tempore fuerit, qualiter illi placuerit, aut in monasterio mittendo, aut qualiter secundum Deum melius *præviderit*. Simili modo & de *vita*, vel vestimento *ejus* ipse Princeps ordinet, qualiter *ei* placuerit. Si autem ille, in cujus mundio talis femina est, consenciens fuerit in *isto* malo, & probatum fuerit, componat widrigild suum; & ille, qui eam tollere præsumpserit ( *judicetur secundum legem Romanam, ut decet* ), componat sol. in Palacio DC. Si autem Mundoaldus in ipso malo consenciens non fuerit, *medietatem* de ipsis DC. sol. accipiat ipse, & *medietatem* Rex. Qui autem talem feminam rapuerit ( *feriatur Romana lege* ) componat sol. mille, *ut* præcedat causa Dei sol. C., quia de raptu secularis feminæ compositio DCCCC. sol. in Edicto legitur. &c.

FORMULÆ.

*Maria cum Donato tuo tutore te appellat Petrus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu duxisti maritum, postquam tu fuisti mutata de veste religiosa.*

*Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu rapuisti Aldam, postquam fuit mutata de veste religiosa.*

### *Ad Legem II.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu rapuisti unam suam mundoaldam, Mariam.* —— *De torto me appellat.* —— Det vadiam; si recordatus fuerit, ut emendet: sin autem non; idoneet se cum suis sacramentalibus.

Hæc appellatio secundum hanc legem.

### *Ad Legem IV.*

PARS LEGIS.

Si quis autem hoc quod illicitum est, amodo facere præsumpserit, amittat (2) substantiam suam &c.

### *Ad Legem V.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag. 469.*

### *Ad Legem VI.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu levasti sedicionem contra tuum* Comitem; *aut, cum ipsa seditione occidisti unum suum caballum; aut, voluisti eum tollere de Comitatu sine jussione Regis, & fuisti in capite.*

ALIÆ FORMULÆ.

*Vide Vol. II. pag. 469.*

### *Ad Legem VII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia de XX. sol. & habuisti neglegentiam eam recipere per IIII. aut per V. vel VI. noctes.* —— *De torto.*

*Petre te appellat Martinus, quod dedit tibi vadia de XX. sol. & tu habuisti neglegentiam reddere ea per IIII. aut V. noctes.*

### *Ad Legem XI.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Si quis alii homini vadiam dederit, & fidejussorem posuerit, & ipse fidejussor eum pignoraverit (3), & pignora ipsa, ( *quæ nunquam quievit transactari* ) ad creditorem ejus dederit, &c.

FOR-

(1) In Codice Veronensi in margine legis inscribitur titulus: *De Sanctimonialibus*. Legis partem glossatam huc inserere placuit, ut colligamus, in iis præcipue quæ Ecclesiam respiciebant, excelluisse adeo Romanam legem, ut præcelleret quoque sanctionibus, quæ a Langobardorum Regibus eadem de re constitutæ fuerant. Idem deprehendimus ad leges VII. & IX. Aistulphi. Sed hæ leges ipsæ commonstrant, aliud quid obtinuisse regnantibus Langobardis, qui hisce de rebus proprias tulerant leges; quamquam ex lege C. libri VI. Liutprandi colligamus, Langobardos clericali militiæ addictos lege vixisse Romana. Inde vero facile deprehendimus, in iis quæ ad Ecclesiasticos spectabant, viguisse quidem Jus Romanum, salvis tamen iis, quæ pro Ecclesiasticis ipsis Langobardi Principes sanxerant; at vero subinde Romanam themidem adeo invaluisse, ut Langobardicis quoque sanctionibus prævaleret.

(2) *Amittat.*) Glossa interl. *scilicet, statim.*

(3) *Pignoraverit.*) Glossa marg. ad superiorem legem X. hæc habet: *Hic videri potest, quod debitor fidejussoris est debitor; quod & fidejussor debitorem pignorare potest; idest, adversus eum actionem mandati exercere potest.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu dedisti vadia, quod dares sibi C. sol. in Kal. Maji, & posuisti Donatum fidejussorem; & ipse te pigneravit in tanto mobili, quod valebat sol. C., & dedit sibi ipsa pignora, & tu postea sibi per virtutem tulisti ipsa pignora.*

*Ad Legem XII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod dedit tibi vadia de XX. sol. dare in Kal. Maji, & tu pignorasti eum, antequam constitutum esset.* —— Aut probet, si potest. —— Si non; ille alter se idoneet, vel componat in actagil.

*Ad Legem XIV.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag. 469.*

*Ad Legem XV.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag. 469.*

*Ad Legem XVI.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu capellasti unam suam stallariam;* aut *quod tu fecisti fossatum in terra sua;* aut *sepem in terra sua.* —— Approbet appellatus, quod sua fit. —— Si non potuerit; emendet, sicut lex est.

*Ad Legem XIX.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu vendidisti eum foras provinciam.* —— Approbet. —— Sin autem; appellatus exdicat se.

*Ad Legem XX.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu vendidisti unum suum servum foris provinciam.* —— Approbet appellator. —— Si non potest; exdicat se appellatus.

*Ad Legem XXIII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu es suus servus, & malo ordine subtrahis te de suo servicio. —— Liber sum per cartam, quam mibi fecit Donatus. —— Vis dare auctorem? aut stare in loco auctoris? —— Auctorem volo dare. —— Da vadia de auctore. —— Donate dimisisti tu me liberum? —— Sic feci. —— Quid tibi pertinuit ad liberandum? —— De mea ancilla natus fuit, & mater mibi pertinuit per successionem mei patris. Et quid ego? quid pater meus? quid istum Petrum? quid matrem ejus? quid iste cui ego vendidi? per XXX. annos habemus possessum.*

Et hæc placita deposicio est, (secundum amentes.)

*Ad Legem XXIV.*

FORMULA.

*Petre Presbyter cum tuo advocatore, hoc appellat te Martinus, quod tu clericasti Johannem suum servum sine voluntate sua.*

*Ex Libro VI.*

*Ad Legem I.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. —— Ipsa terra ego habeo possessam per XXX. annos. Et tibi quid pertinet? —— Per cartam donationis, & ecce carta. —— Quare tacuisti per tantos annos? —— Ego habui perditam istam cartam.* —— Juret ipse, qui tenet, suam possessionem. —— Si ipse, qui tenet, non habuerit possessam terram per XXX. annos, dicat cum sua carta quid voluerit ipse qui appellat.

Et hoc responsum secundum segnes est. Sed ita.

*Petre te appellat Martinus, quod terra, quæ in tali loco est, quam tu possides, sua est, & tu eam sibi contendis. —— Quid ad eum pertinet? —— Per scriptum, quod pater Johannæ socer tuus fecit sibi. —— Illud scriptum nihil ei nocet, quia per XXX. annos possedit eo tacente. —— Vere tacuit per XXX. annos, quia scriptum suum absentatum erat.* —— Tamen nihil ei nocere potest, quia per triginta annos possedit, præcipiente lege de hac possessione.

*Ad Legem III.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu appellasti eum, quod habebat tibi furata tanta tua mobilia, quæ valebant sol. L., & vicisti eum per pugnam, & fecit tibi compositionem. Et modo habes ipsum furtum inventum apud alium hominem, & vult ut reddas compositionem.*

*Ad Legem IV.*

MONITUM IN FINE LEGIS.

*Nam si filii Longobardi non facientis debitum insanabile nequeunt se abstinere ab hereditate, quia sui & necessarii heredes sint; quare solvunt paternum debitum, etiamsi*

*etiamsi pene nihil ex paternis bonis habuerint.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse habeat certam suspectionem, quod quando Donatus tuus pater venit ad mortem, erat sibi debitor sol. C.* —— *De torto.* —— Si dixerit: *non respondeo tibi, quia non sum suus heres:* juret, sicut lex dicit. —— Si dixerit: *non jurabo de rebus matris meæ, quia non fuit mortua in suo mundio* (1): probet appellator, quod fuisset mortua in mundio patris ejus.

MONITUM.

*Per istam legem debemus intelligere, quod homo qui habet filios, potest vendere omnes res suas.*

ALIA FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse appellavit, quod pater tuus Donatus, quando venit ad mortem, erat sibi debitor L. sol., & tu jurasti, quod de rebus patris tui nihil apud te habebas, nec alicui commendatas, aut absconditas. Et modo apud te habet inventum unum caballum, quod fuit de patre tuo.*

*Ad Legem V.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipsa terra mea propria est per cartam, quam tu mihi fecisti; & ecce carta.* —— *Contra legem est ipsa carta, quia ego eram infra ætatem, quando feci ipsa carta.* —— Aut probet, aut emendet pœnam de carta.

*Ad Legem VI.*

LEGIS INITIUM GLOSSATUM.

Si quis Gastaldius (2), vel Actor, *qui Cortem Regis habet* ad gubernandum, *de* ipsa *Corte* alicui sine (*scripto vel cum scripto*) jussione Regis &c.

FORMULÆ.

*Vide Vol. II. pag. 469.*

ALIA FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes malo ordine terram in tali loco ad partem Publicam, unde ipse est Advocatus.* —— *Ipsa terra mea propria est per præceptum.*

Secundum quosdam, ita est.

*Ad Legem VIII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Et si non habuerit, unde componat, in servicium illius, qui eum conduxit, tradatur; & ab eo, pro quanto appreciatus fuerit, in servicio appellatoris persolvatur. Et si ipse ad compositionem non sufficerit, tradatur etiam conductor sacramentum tale in compositione ipsa. Et si est talis causa, unde mori debeat appellatus, non est intelligendum ut statim moriatur sacramentalis; sed debet cogi ad sacramentum faciendum.* —— *Hoc secundum amentes; sed vadat tantum per dannum.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti suum patrem.* —— *De torto.* —— *Da vadia, si te recordatus fueris, quod emendes; si non, jures sicut lex est.* —— Et cum venerit ad terminum, juret appellator, quod se sciente eum de torto non appellavit. Et appellatus juret, quod se de torto appellavit. Sacramentales jurent, quod appellatus juravit, verum juravit. Si quis aliquis de sacramentalibus dixerit: *non juramus tecum, quia pavorem habemus, ne tecum perjuremus;* aut, *quia tu fecisti hoc malum:* tunc juret appellatus, quod si secum juraverint, munditer..., —— Et si dixerit: *nihil jurabimus tecum:* manifestet veritatem, quare non audent esse sacramentales; aut præbeant sacramentum, quod nullum colludium habeant factum cum homine illo, qui audire debet sacramentum, nisi pro animæ suæ . . . . præsumant esse sacramentales. —— Tunc ille, qui jurare debet, habeat spacium secundum legem. —— Et si ausus non fuerit jurare, perdat appellatus causam suam, & sacramentales dannum restaurent.

*Petre te appellat Martinus, quod Paulus appellavit eum de una plaga, & tu debuisti esse sacramentalis, & per colludium te subtraxisti, aut non potuisti manifestare certam veritatem; & . . . . causam, & habuit dampnum XX. sol.*

*Ad Legem X.*

LEX GLOSSATA.

Si quis testimonium falsum contra quemcum-

---

(1) *Non fuit mortua in suo mundio.*) Glossator marginalis ad hanc legem perpendit: *Hic videri potest, quod filius Longobardi est legitimus, & succedat patri, etsi mater non sit mortua in mundio patris, sed aliorum.*

(2) *Si quis Gastaldius.*) Glossa interl. *idest, Comes;* eadem scilicet, quæ ad legem XXIII. Rotharis. Glossæ congruit formula ad hanc legem, quæ Volumine secundo edita fuit, dum, qui in lege dicitur Gastaldius aut Actor curtem regiam habens ad gubernandum, in formula *Comes* nuncupatur. Quod non penitus inutile erit perpendere iis, qui medii ævi antiquitatibus operam impendunt.

cumque reddiderit, aut in carta falsa *se sciente* manum posuerit, & ipsa fraus *manifestata* fuerit (*non per bellum unius contra appositorum testium*) componat widrigild suum, medium Regi, & medium ei, cujus causa fuerit. Et si talis persona fuerit, quæ non habeat unde componat, tunc Publicus debeat eum dare pro servo in manu ejus, cui culpam fecit; & ipse eidem serviat, sicut servus: (*Ita tamen, quod si pene totum dederit, aut remanserit aliquid infra XX. sol., non dabitur pro servo, sed serviet ad terminum.*) Et *ille*, qui *alios* rogat testimonium falsum dicere, aut pro causa sua manum in carta falsa ponere, sic componat, sicut testes ipsos falsos jussimus componere; pro eo, quod ipsum malum per ipsum fuit inchoatum. (*Et res amittat, & widrigild suum componat. Si cartam falsam* ostenderit.

FORMULÆ.

*Vide Vol. II. pag. 469.*

NOTA. *Post hanc Legem in Codice Euphemiano legitur Lex, quæ in editione Muratoriana est centesima prima Libri hujus.*

*Ad Legem XI.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Quia qui thinx facit, & postea *ei* filia nascitur, in tertiam partem ipsum thinx *rumpet* secundum anterius Edictum (*quia secundum meum non est ita; succedunt enim in totum.*) Et si duæ aut *plus*, in medietatem. &c.

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus agens una suam causam, & Mariæ suæ mulieris, quod tu tenes malo ordine ad Mariam suam mulierem terram in tali loco. —— Ipsa terra mea propria est per cartam donacionis, quam mihi fecit pater suus. —— Contra legem est ipsa carta, quia mea mulier erat in capillo, cum fecit ipsam cartam.* —— Aut probet, quod fuisset in capillo, aut taceat.

*Ad Legem XII.*

PARS LEGIS CORRECTIOR.

Quia in dubium venit causa ipsa, cujus *filius* aut *filia sit, quando ambo* vivunt dominus, & servus, & qui *antea* habuit, & postea tulit.

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 470.

*Ad Legem XIII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. —— Ipsa terra mea propria est per cartam, quam mihi fecit Donatus; & ecce carta. Et tibi quid pertinet? —— Ecce carta, quam mihi obligavit ipse, quod si in pasca Domini non dedisset mihi sol. C., quod haberem licenciam apprehendere suas res, ubicumque potuissem convenire.* —— Ipse, qui habet priorem cartam, aut dicat falsam posteriorem, aut taceat.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. —— Ipsa terra mea propria est per cartam, quam mihi fecit Marcoardus. —— Contra legem est ipsa carta, quia habebat mihi obligatam nominative ipsam terram.* —— Et ipse, qui appellatus est, aut dicat falsam ipsam obligacionem; aut fiat vacua ipsa carta.

Vel ita.

*Petre te appellat Martinus, quod terra, quæ in tali loco est, quam tu possides, sua est. —— Quid ad eum pertinet? —— Ecce carta, per quam mihi obligavit, si in tali tempore non dedisset mihi XX. sol., quod ego haberem licentiam vendicare suas res, ubicumque potuissem invenire. —— Illa carta nihil mihi nocet, quia præcipit lex: si quis* " non „ *obligaverit nominative alicui res suas, sed dixerit, in quibuscumque rebus ejus posset invenire, ubi haberet licentiam ingredi, & post vendiderit inde aliquid nominative; ut ipse haberet, cui vendiderit. Et ecce carta vendicionis. —— Illa carta falsa est.*

*Ad Legem XV.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu habuisti Donatum suum aldium super VIIII. noctes in casa tua, se nesciente; & perdidit tantas operas, quæ valuerunt sol. XX.*

*Ad Legem XVI.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Aliæ vero res, quæ divisæ fuerint inter fratres, *aut* nepotes, (*vel alios parentes,*) vel ubi mensura tracta est *forte stante* adæquentur &c.

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus tuus frater, quod tenes sibi malo ordine terram in tali loco. —— Ipsa terra mea propria est. —— Quid tibi pertinet? —— Tu mihi donasti;* aut, *commutasti;* aut, *vendidisti;* aut, *per extimacionem dedisti; & ego per XL. annos habeo possessam.*

*Petre te appellat Martinus tuus frater, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. —— Ipsa terra mea propria est. —— Quid tibi pertinet? —— Noster pater mihi vendidit; & ego per XL. annos ha-*

*habeo possessam.* —— Juret suam possessionem. —— Si dixerit: *Pater noster mihi donavit; & ego per XL. annos habeo possessam:* similiter juret suam possessionem. —— Si vult dicere ipse qui appellat: *Tu non servisti me melius:* aut probet ipse qui tenet, quod melius servisset, aut perdat terram.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco.* —— *Tu dividisti mecum ipsam terram; & ecce brevem.* —— "Aut dicat falsum brevem,, aut det pœnam, quæ legitur in brevi.

*Petre te appellat Martinus tuus frater, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipsa terra mea propria est.* —— *Quid tibi pertinet?* —— *Possessam habeo per XXX. annos.* —— Dic possessionem per XL. annos.

*Petre te appellat Martinus tuus patruus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipsa terra mea propria est per successionem patris mei Marcoardi fratris tui.* —— *Quid sibi pertinet?* —— *Tu donasti ei ipsam terram;* aut, *vendidisti;* aut, *commutasti;* aut, *per estimacionem dedisti. Et quid ego? Quid pater meus? Per XL. annos habemus possessam.*

*Petre te appellat Martinus tuus nepos, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipsa terra mea propria est.* —— *Quid tibi pertinet?* —— *Pater tuus donavit mihi;* aut, *vendidit; & ego per XL. annos habeo possessam.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Ipsa terra mea propria est.* —— *Quid tibi pertinet?* —— *Donatus tuus frater vendidit;* aut, *donavit: & ecce carta.* —— *Et quid pertinuit ad fratrem meum?* —— *Tu eum donasti;* aut, *per estimacionem dedisti. Et quid ego? Quid frater tuus? Per XL. annos habemus possessam.* —— Juret suam possessionem.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram in tali loco malo ordine.* —— *Ipsa terra mea propria est.* —— *Quid tibi pertinet?* —— *Per cartam. Et tibi quid pertinet?* —— *Per cartam.* —— Data vadia ad invicem, unus de ostendere cartam de uno fratre, & alius de alio. —— Et si nullus ex fratribus venerit in auctoritatem, dicat ipse, qui tenet, possessionem de XXX. annos.

Et hoc est responsum secundum asinos. Sed ita sit.

*Petre te appellat Martinus tuus frater, quod terra, quæ in tali loco est, quam tu tenes, sua media est.* —— *Nolo ei respondere. Nec ille debet adversus me agere, quia per XL. annos possedi.* —— *Vere possedisti, sed malo ordine.* —— *Non malo ordine possedi, quia tu mihi donavisti;* vel, *vendidisti;* aut, *commutuavisti;* aut, *in estimacione dedisti.* —— Et ita juret.

Similiter respondeatur in ceteris actionibus quantum ad hanc legem. Vel ita.

M o n i t u m.

Hæc lex modo nihil pene est, quia præteriit, & de possessione præterita loquitur, non de ventura. Ideo aliud vis dedit possidenti ad ostendendam rem esse suam, idest sacramentum; sed tamen voluit de ventura, ut sola possessio sufficeret; quod videri potest in K. I. *Si quis res.*

*Ad Legem XVII.*

Pars legis glossata.

Si quis alium *hominem* asto compellaverit de pugna, quæ fieri solet per pravas personas, præbeat sacramentum ipse qui compellat, solus, & dicat juratus, quia non asto animo eum per pugnam fatigare quærat, nisi quod certam habeat suspicionem, sive de furto fuerit, sive de incendio (*excepto silvali*), aut unde compellatio agitur. (*Et in omnibus præteritis jusjurandum istud est; in futuris vero in re una de homine veneno occiso.*) Et si hoc juraverit &c.

*Ad Legem XVIII.*

F o r m u l a.

*Petre te appellat Martinus, quod tu dedisti consilium ad Donatum de incendere unam suam casam, quæ valebat sol. CCC., & ipse incendit.* —— *Petre te appellat Martinus, quod tu dedisti consilium ad Stephanum, quod se perjuraret de tali terra.* —— Aut; *dedisti consilium, ut incenderet unam suam casam;* aut, *raperet unam suam mundoaldam;* vel *tolleret.* —— *Non est verum.* —— Approbet, si potest. —— Si non; ille se exdicat. —— Et si non potuerit se exdicere; si malefactor debuerit componere sol. DCCCC., ipse consiliator componat sol. C.; si CCC., ille L.; & si minus de trecentis, ipse consiliator XL.; minus non.

*Ad Legem XIX.*

F o r m u l æ.

*Vide Vol. II. pag.* 470.

*Ad Legem XX.*

F o r m u l a.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* —— *Illa terra dico esse mea, quia quando tu eras infra ætatem, voluisti dividere mecum, & Comes divisit ipsam terram, aut per se, aut per Missum suum, & tui parentes fuerunt.* —— Aut probet, quod sic fuisset facta divisio; aut perdat.

*Ad*

*Ad Legem XXI.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.* — *Non tibi respondeo, quia ecce noticia, per quam tu fecisti mibi finem de ipsa terra, quando tu eras infra ætatem.*

*Petre te appellat Martinus, quod quando ipse erat infra ætatem, volebat dividere cum suis fratribus, & Comes terræ misit te ad ipsam divisionem, & per tuam fraudem fuit damnatus sol. C.*

*Ad Legem XXIII.*

LEX GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Si duo fratres, aut si pater & filius thingati fuerint ( *idest in quartas manus traditi, & amonbt facti* ) si unus ex ipsis sine filiis vel filiabus mortuus fuerit, Cortis Regia ei succedat. Ideo autem hoc scripsimus, quia etsi affixum in Edicto *proprio* non *fuit*, tamen omnes judices & fideles nostri sic dixerunt, quod *cadarfia* antiqua *usque nunc* sic fuisset.

*Ad Legem XXIV.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 470.

ALIÆ FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes terram malo ordine in tali loco ad partem Publicam, unde ipse est Advocatus.* — *Ipsa terra mea propria est.* — *Quid tibi pertinet?* — *Donatus mibi vendidit.* — *Da vadia de auctore.* — *Vendidisti mibi ipsam terram?* — *Sic feci.* — Tunc dicat Advocatus: *Non potuisti vendere, quia tu es servus de parte Publica.* — *Liber sum nascendo.* — Si ipse potuerit probare suam libertatem, habeat ipse terram. — Et si non potuerit, sit servus; & ipse perdat terram. — Si dixerit: *In loco auctoris volo stare;* & ostenderit cartam: tunc dicat Advocatus: *Non potuit tibi vendere, quia erat servus de parte Publica.* — Probet ipse qui habet cartam, quod erat liber, quando fecit cartam. — Et si non potuerit; Advocatus probet, quod erat servus. — Et si non potuerit; ipse qui habet cartam, juret cum suis sacramentalibus, quod erat liber, quando fecit cartam.

Sed ita.

*Petre te appellat Martinus, quod terra, quæ in tali loco est, quam tu tenes, est reipublicæ, cujus est Advocatus.* — *Non debeo inde respondere, quia possedi per XL. annos.* — *Illa possessio parum tibi valuit, quia pars Publica interrupit tibi illam possessionem, & non quiete possedisti:* aut; *possedisti, sed injuste, & malo ordine, quia eam invasisti.* — *Non injuste, nec malo ordine, quia Rex ille fecit mibi præceptum.* — Aut: *Non sunt completi LX. anni* (1).

*Ad Legem XXVI.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

De *furibus; ut* unusquisque Judex in civitate sua faciat carcerem sub terra, & cum inventus fuerit *fur*, ipsum furtum *componere faciat, &* comprehendat eum, & mittat *ipsum* in carcere ad annos duos, vel tres, & postea dimittat eum sanum &c.

*Ad Legem XXVII.*

FORMULA.

*Petre Comes, hoc te appellat Martinus, quod unus caballus erat sibi adstractus furtive, & ille tibi dixit, quomodo illi evenerat; & tu habuisti neglegentiam inquirere ipsum caballum;* aut, *aliam rem.* — Tunc Comes faciat sacramentum, quod non fecit neglegentiam. — Et " si „ ausus non fuerit jurare, reddat pro furto.

*Ad Legem XXXI.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Quia *dum* justum est, ut in *nostra* causa neglectum ponere non *præsumat*, nec nobis celare eos, qui contra nos agunt, aut consiliantur, quanto magis non debent neglectum in causa *Dei* ponere, quæ amplius est *adinquirenda?*

*Ad Legem XXXII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu invenisti unum suum caballum in tuo damno, & minasti ad clausuram, & habuisti neglegentiam eum ducere ad Judicem, vel ad conventum.* — *De torto.* — Si dixerit: *ecce caballus:* dic: *Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti* " in „ *ipsum caballum plusquam in tuum proprium.* — *Non.* — Approbet. — Aut, se idoneet.

*Ad Legem XXXIII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si quis cum servo, aut aldione, vel cum per-

(1) *Non sunt completi LX. anni.* ) Glossa marginalis ad legem: *idest, injuste possedit, & non sint completi anni LX.; aut invasit, & non sint completi LX.; quia si injuste possedit, vel invasit, tamen si sunt completi anni LX. habebit. Nam si præceptum habuerit, etiamsi completi anni LX. non fuerint, tamen habebit. Et secundum quosdam ita, secundum alios aliter.* Vide dicta superius in Monito.

pertinente alieno, de qualicumque re convenerit, sine notitia domini sui, quod in anteriori edicto *non* continetur, & probatum fuerit, quod res domini sui naufragasset; &c.

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu comparasti decem modios de frumento de Marcoardo suo servo.* —— *De torto.* —— Si dixerit: *V. modia comparavi:* quod plus non comparavit, juret, & reddat ipsum, quod habet. —— Si dixerit: *ego feci per tuam jussionem:* probet.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine unum suum bovem.* —— *Donatus tuus servus ministerialis vendidit mihi ipsum bovem, per utilitatem tuæ casæ.* —— Approbet, aut perdat, secundum quosdam. Sed juret secundum valentes.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse deposuit ad tuam uxorem tanta mobilia, quæ valebant sol. C.* —— *Tu non fecisti per meam jussionem.* —— Probet ipse, qui appellat, quod fecit per suam jussionem; A, aut I, tuum filium; secundum quosdam.

*Ad Legem XXXV.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si quis conjugi suæ metam dare voluerit, ita nobis justum esse comparuit, ut ille, qui est judex, dare debeat, si voluerit, sol. CCCC., amplius non, minus vero quomodo *comoverit*, ( lege *convenerit* ) &c.

FORMULA.

*Maria insimul cum Petro tuo tutore te appellat Johannes, quod tu ei malo ordine tenes terram tali in loco positam.* —— *Terra, quam dicit, esse suam propriam cartam, quam vir ejus fecit sibi.* —— Si manifestat cartam, ut dicit lex; dicat falsam, aut taceat. —— Si plus, refutet plus. —— Si tantum; & dicit: *contra legem est, quia plus valebat, quando tibi dedit.* —— *Non est verum.* —— Approbet, & refutet, quod plus valebat. Secundum quosdam.

*Ad Legem XXXVI.*

LEX GLOSSATA.

Si quis res alienas, casas, aut terras, vel pecunias, aut familias, ( *se sciente* ) (1) malo ordine possederit, & per legem (2) & justitiam, & per judicium, exinde convictus, & expulsus fuerit, aliud exinde non componat, nisi de retro tempore reddat fruges & labores (*in actogild in quantum damnum habuit* ) sub sacramento, ab illo die, quo exinde compellatio facta, & manifestata est.

*Ad Legem XXXVII.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 470.

*Ad Legem XXXIX.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu misisti unam suam mundoaldam* (3) *in sacramentum.* —— Aut exdicat aut componat sol. L. Regi, & L. mundoaldo.

*Ad Legem XL.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Nam si *forte ille* homo liber est, qui ipsam fream de casia, ubi est, tulerit, & sibi uxorem duxerit, sic componat ( *idest pro anagrip sol. XX., & propter fraidam sol. XX.* ) sicut gloriosissimus Rex Rotharis instituit in anteriori edicto.

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu movisti Mariam suam mundoaldam de casa, ubi habitabat, & minasti ad aliam partem sine sua voluntate, & fuisti in capite.*

*Petre te appellat Martinus, quod Donatus movit Mariam suam mundoaldam de casa, ubi habitabat, & minavit in aliam partem, & tu fuisti cum ipso.* —— Et si dixerit movens: *Volo tollere eam ad uxorem:* tollat, & nil sit de sequacibus.

*Ad Legem XLII.*

PARS LEGIS CORRECTIOR.

Nam si post mortem ejus *filios*, aut *heredes* pulsaverit &c. —— *Infra:* Nam si suam reclamationem ostendere non potuerit, & anni spatium præterierit, etiamsi pulsasset, non habeat faecundiam *ad filios*, aut heredes repetendi &c. —— *Et infra:* de sacramento *dando &c.*



FOR-

(1) *Se sciente.* ) Glossa marginalis: *quia non possessor mali ordinis diceretur, non sciens esse, secundum aliquos.*

(2) *Per legem &c.* ) Ad hæc verba glossæ marginales ita describuntur: Per legem, *idest per bellum:* —— per justitiam, *idest, sacramenta; dum jura tenentis sunt obscura:* —— per judicium; *dum jus tenentis malo ordine est clarum; idest sententia Judicis feritur.* —— *Vel ita: ut* per legem & per justitiam, *ut sint ambo eadem, conjuncantur; &* per judicium *expellatur de rebus: quod est melius.*

(3) *Unam suam mundoaldam.* ) Glossator marginalis monet, suo tempore fœminas plerumque mundoaldo subjectas non fuisse; sed ( si ipsi fides ) antiquitus mundoaldo non carebant illæ quoque, quæ Romana lege vivebant: scribit enim, quod fœmina *caret mundoaldo sæpe nunc; sed olim unaquæque mulier non habebat proprium sensum, etiam Romana.*

FORMULÆ.

*Petre Comes te appellat Martinus, quod ipse dedit tibi C. sol. per diffinire unam suam intencionem, & non diffinisti.*

*Petre te appellat Martinus, quod ipse dedit patri tuo C. sol. pro diffinire unam suam intencionem, & non diffinivit.* — *De torto.* — Si dixerit: *Pater meus diffinivit:* probet. — Si dixerit: *Tu non appellasti patrem meum:* probet ipse qui appellat, quia appellavit patrem suum, aut sibi mandavit. Si dixerit: *unus annus est transitus, quia pater meus mortuus est:* aut probet, aut faciat justiciam.

*Ad Legem XLIII.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 470.

*Ad Legem XLIV.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod unus suus servus habebat Mariam tuam ancillam ad mulierem; & tu libertasti eam;* vel *tu vendidisti eam propter fraudem, quod voluisti illud separare conjugium.* — Et si appellatus se exdicere ausus non fuerit, sit ancilla Regis, & componat aliam talem in cortem Regis, aut precium quod valuerit, ideo quia colludium fecit (1).

*Petre te appellat Martinus, quod Marcoardus tuus servus habebat ancillam Pauli ad uxorem, & tu comparasti eam, & libertasti pro fraude, quod voluisti separare illud conjugium.* — Approbet appellator. — Si non potuerit; exdicat se appellatus; vel emendet sicut lex est.

*Ad Legem XLV.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 470.

*Ad Legem XLVI.*

PARS LEGIS GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Nulli licentia sit quamlibet mulierem mundium ejus habenti in *potestatem* post mortem mariti sui ante anni spacium (*XXX. dies*) (2) *eam* velare, aut *monachico* habitu induere. Et si ipsa sua voluntate ante anni spacium (*XXX. dies*) hoc facere disposuerit, veniat ipsa ad Palatium Regis, & dicat clementiæ ejus voluntatem suam, & interrogata vel inquisita diligenter a Rege, *& per ejus missum* accipiat religionis velamen &c.

*Ad Legem XLVII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Hinc mundoaldus mundoaldæ succedat. Si mulier mundoaldum habens mortua fuerit, præcipimus, ut mundoaldus mundoaldæ succedat.*

*Ad Legem XLVIII.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 470.

*Ad Legem L.*

FORMULA.

*Petre te appellat Johannes, quod Marcoardus tuus servus habet legitimam uxorem Mariam ancillam Marci, & duxit Susannam suam ancillam super eam in casam suam tui.* — *Non est verum.* — Approbet. — Aut, se idoneet.

*Ad Legem LII.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 470.

*Ad Legem LIV.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 471.

*Ad Legem LV.*

LEX GLOSSATA.

Si quis fidejussorem, aut debitorem suum pigneraverit, & ipsum pignus recolligere neglexerit, & *id* per XII. dies dimiserit, tunc ille qui *ipsum* pignus habuit, si servus aut ancilla est, custodiat *ei*, ut *eum* fugam non faciat (*quia nequeunt libertari, & videtur quia si fugit, aut servum debet reddere vel ejus precium restituere*) & faciat eum sibi operas facere, sicut proprium suum servum, aut ancillam. (*Nam si servus, aut ancilla perierit, aut fugerit ante XII. dies, nihil fieri debeat, sed de operis infra XII. dies respondeat.*) Et insuper habeat licentiam repignerare usque in secundam vicem (*similiter per duodenas noctes*) ut sint ipsa pignera in triplum, quantum debitum est; (*ita ut unumquodque istorum trium pignerum sit majoris precii quam debitum est, tunc pignerator reddat illud in actogild.*) Et si per XXX. dies pignera ipsa aut debitor, aut fidejussor recolligere neglexerit, si in *Neustria*,

(1) *Quia colludium fecit.*) Glossator marginalis ad legem inter cætera habet: *Quia per hoc colludium volebat dividere conjugium; quia inter servos & liberas non erat secundum quosdam.*

(2) *XXX. dies.*) Glossa corrigit legem ex lege subsequenti. Vide legem CXXV. Caroli Magni, & quæ ibi adnotavit Muratorius.

*ſtria*, aut in Auſtria fuerit, amittat ipſa pignera, & non habeat facundiam requirendi, ( *ita ut unaquæque pignera ſint tranſacta ad dies XXX.*, *numerandos ab illa die; qua unaquæque pignera abſtracta ſint.* ) Si vero in partibus Tuſciæ fuerit, habeat ſpacium *per dies* LX. Nam ſi ſuper LX. *dies fuerint*, ſimiliter amittat pignera *ſua*, & inſuper poteſtatem habeat, qui pigneravit, cauſam *ſuam in antea* per legem agere, & procurare.

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum malo ordine in uno ſuo ſervo miniſteriali.* —— *Propter hoc te pigneravi, quia tu es mihi debitor C. ſol.* —— Tunc ipſe qui pigneravit, probet. —— Quod " ſi non potuerit „ ipſe, qui pigneratus eſt, juret. —— Et ipſe emendet pignus ſibi nonum. —— Si dixerit: *propter hoc te pigneravi, quia tu fuiſti meus fideijuſſor de uno vadio, quod mihi dedit Marcoardus.* —— *Non fui tuus fideijuſſor.* —— Probet ipſe qui pigneravit. —— Et ſi non potuerit; juret quod *non* fuit fideijuſſor ſuus.

*Petre te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in unum ſuum ſervum miniſterialem L. ſol.* —— *Propter hoc te pigneravi, quod tu debes mihi dare XIIII. ſol.* —— Statim reddat pignus ſibi nonum.

*Petre te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum malo ordine in unam ſuam ancillam miniſterialem.* —— *Propter hoc te pigneravi, quod tu debes mihi dare L. ſol.* —— *Tene tuos denarios, & redde mihi meam ancillam.* —— *Denarios accipio, ſed ancillam non reddam, quia fugit.* —— Non debet eſſe aliud, niſi ancillam, aut precium reddat. —— Si dixerit: *propter hoc pigneravi, quia debes mihi dare L. ſol.* —— *Petre te appellat Martinus, quod tu feciſti facere operis Mariam ſuam ancillam infra XII. noctes.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum malo ordine* " in „ *unum ſuum ſervum bobulcum.* —— *Propter hoc te pigneravi, quia tu es mihi debitor C. ſol.* —— *Non debuiſti me pignerare, quia alia vice pignerasti me in unum ſervum bobulcum* " propter „ *ipſum debitum.* —— *Tu miſiſti neglegentiam recolligere primum pignus per XII. noctes.* —— Tunc probet ipſe quod miſit neglegentiam. —— Et ſi probare non potuerit, ipſe alter juret, quod " non „ miſit neglegentiam. —— Et ipſe, qui pigneravit, emendet pignus ſibi nonum.

*Petre te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in unum ſuum ſervum miniſterialem.* —— *Propter hoc te pigneravi, quod tu debes mihi dare ſol. L.* —— *Accipe tuos denarios, & redde mihi meum ſervum.* —— *Denarios accipiam, ſed ſervum non reddam, quia tranſacti ſunt LX. dies*, aut, XXX. —— *Non ſunt tranſacti XXX. dies.* —— Aut probet ipſe, qui pigneravit, quod ſint tranſacti XXX. dies, aut reddat pignus. —— Si dixerit ipſe qui pigneratus eſt, quod non miſit neglegenciam recolligere pignus: probet ipſe qui pigneravit, quod ipſe miſit neglegenciam. Et ſi non potuerit, juret ipſe qui fuit pigneratus, quod non miſit neglegenciam. —— Similiter fiat de LX. diebus.

*Ad Legem LVI.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Similiter intelligi poteſt de grege equorum, aut porcorum, quia refragari poteſt ſuæ prærogativæ quiſque. Et grex vocatur uſu a tribus in antea* (1), *ſecundum quoſdam.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum malo ordine in unum ſuum caballum domitum, qui valebat ſol. L.* —— *De torto.* —— Si dixerit: *Propter hoc te pigneravi, quod tu debes mihi dare C. ſol.* —— *Tamen non debuiſti pignerare me in caballo domito.* —— *Debui, quia tu mihi conceſſiſti.* —— Probet ipſe, qui pigneravit, quod ipſe conceſſit ſibi. —— Si non potuerit; juret ipſe, quia non conceſſit. —— Si dixerit: *Imperator mihi commendavit*: aut probet, aut reddat pignus ſibi nonum.

*Petre te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in uno ſuo bove domito, qui valebat ſol. X.* —— *Tene tuum bovem, & da mihi debitum.* —— *Ego te appellavi, quod tu feciſti eum operas infra XII. noctes.*

*Petre te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in uno ſuo caballo domito, qui valebat ſol. C.* —— *Propter hoc te pigneravi, quod tu debes mihi dare ſol. C.* —— *Tene tuos denarios, & redde mihi meum caballum.* —— *Denarios accipiam, ſed caballum non reddam, quia mortuus eſt.* —— *Hoc te appello, quod tu irato animo auſiſti eum, pluſquam tuum animal.* —— *Non.* —— Satisfaciat, ut hic dicit. —— Et ſi dixerit: *Non reddam, quia tranſacti ſunt XXX. dies, aut LX., & habuiſti neglegenciam in ipſis diſpignerandi.* —— *Unquam non ſunt peracti.* —— Sed approbet. —— Et ſi dicit: *Non habui negle-*



(1) *A tribus in antea.*) Veteres Langobardi e paucis numeris turmam confecerant. Ex *tribus* capitibus conſtabat grex, ut ex *quatuor* hominibus cenſebatur exercitus. Advertit tamen Cl. Dolleonius, gloſſam legi marginalem ad legem CCLIII. Rotharis: *Grex dicitur decem capita, & a decem in antea.* Sed hæc ſerius ſcripta innuit, veterem modum & in hoc immutatum fuiſſe.

*glegenciam dispignerandi.* —— *Habuisti.* —— *Non.* —— Approbet. —— Aut, se idoneet.

*Ad Legem LVIII.*

Pars legis correctior.

Et si furtum non *quæsierit*, nisi *tacito* (1) in curte sua comprehensum dixerit, componat sol. XL. si ipsum colludium apparuerit.

Formula.

*Petre te appellat Martinus, quod prebendisti Donatum suum servum per colludium, dicendo quod tu prebendisses eum super tuum furtum, quod valebat sol. C., aut tacite invenisses noctis tempore in corte tua.*

*Ad Legem LX.*

Formula.

*Vide Vol. II. pag.* 471.

*Ad Legem LXII.*

Formula.

*Vide Vol. II. pag.* 471.

Secundum quosdam ita agitur. Alii vero ita.

Alia Formula correctior.

*Petre te appellat Martinus, quod terra quæ in tali loco est sit sua. Tu sibi eam detines.* —— *Non ei respondeo, quia possedi per XXX. annos.* —— *Vere possedisti, sed per cartam falsam, quam dixisti patrem meum fecisse tibi.* —— *Non est verum.* —— *Ita approbabo.*

Vel ita:

*Vere possedisti, sed malo ordine, & malo titulo.* —— *Non malo ordine, quia patruelis tuus mihi eam vendidit per cartam.* —— *Illa carta falsa est:*

*Ad Legem LXIII.*

Formula correctior.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco.* —— *Ipsa terra mea est propria.* —— *Quid tibi pertinet?* —— *Donatus commutavit ea mecum.* —— *Da vadiam de auctore.* —— Si auctor venerit, & negaverit; ipse qui fuit appellatus, probet. —— Si dixerit: *ego tecum commutavi.* —— *Quid tibi pertinebat?* —— *Per successionem mei patris. Et quid ego? Quid meus pater? & quid iste? per XXX. annos babemus possessam.* —— Si dixerit: *Non possum defendere:* restituat ei damnum, & res, quas recepit. —— Similiter fiat de comparatione.

Et hæc placita secundum quosdam. Sed ita:

*Petre te appellat Martinus, quod terra, quæ in tali loco est, quam tu tenes, sua est.* —— *Non debes mecum placitare quia auctorem babeo.* —— *Eamus igitur ad auctorem.*

*Ad Legem LXIV.*

Pars legis glossata.

Si infans ante XVIII. annos, quos nos instituimus, ut sit legitima ætas, sponsalia facere voluerit, aut sibi mulierem copulaverit, habeat potestatem (*post XIIII. annos*) metam facere, & *morgincap* dare, juxta Edicti tenorem; & obligationem facere, & fidejussorem ponere, & cartam, si voluerit, pro *causa* ista scribere. Et qui fidejussor extiterit, aut scriba, qui pro causa ista cartam scripserit, nullam exinde habeat damnietatem &c.

Glossa in fine legis.

*Ita ut conjugium non sit ante XII. annos.*

*Ad Legem LXV.*

Pars legis ex varia lectione.

Sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum legem *ipsam* vetare non possumus.

Formula.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu occidisti per venenum Donatum suum patrem.* —— *De torto.* —— *Vis ei adardire?* —— *Volo.* —— *Vadiate pugnam.* —— Si aliter fuerit manifestum, perdat omnem substanciam suam.

*Ad Legem LXVI.*

Formula.

*Vide Vol. II. pag.* 471.

*Ad Legem LXVIII.*

Pars legis glossata.

Si quidem forsitan talis fuerit ipse liber homo, ut non habeat, unde composicionem facere possit (*remanentibus saltim XX. sol., aut plus*), tunc Publicus debet eum dare in manus mariti *ejus*, & ipse in eum faciat vindictam in disciplina, vel venditione, nam non in occisione, aut semacione. (*Si vero fecerit, ut contemptor legis vadat in præsencia Regis. Nam si subter XX. sol. remanserit, non absolute dabitur, sed serviet ad terminum.*) Si autem aldius, vel servus alienus hoc malum in libera muliere facere præsumpserit, tunc patronus ejus componat ad maritum ipsius mulieris sol. LX., & ipsam personam det in

(1) *Tacito.*) Editio nostra, *tantum*; uti & Heroldina. Sed Codicis Veronensis lectionem confirmant Mutinenses, nec non subnexa formula.

in manus *mariti* ejus: ( *& ipse in eum faciat vindictam in disciplina, & vendicione, nam non in occisione, aut semacione.*) Si vero servus, aut aldius *alienus* per voluntatem &c.

FORMULA CORRECTIOR.

*Petre te appellat Martinus, quod habet suspectionem, quod tu conversasti turpiter cum Alda sua uxore. —— De torto. —— Vis ei adardire? —— Volo. —— Vadiate pugnam.*

### *Ad Legem LXIX.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod spopondisti Mariam suam mulierem.* —— Approbet, si potuerit. —— Si non; appellatus exdicat se; aut componat widrigild suum ad maritum mulieris.

### *Ad Legem LXXI.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu baptisti Marcoardum suum aldium;* aut, *Mariam suam aldiam;* aut, *Marcum suum servum;* aut, *Aldam suam ancillam; & per illam baptituram fuit ponderosus*, vel, *ponderosa.* —— Approbet, secundum quosdam, si potuerit. —— Si non; purificet se appellatus; aut componat domino vel patrono medietatem precii, tanquam si eum occidisset, excepto composiciones plagarum, aut feritarum.

### *Ad Legem LXXII.*

FORMULA.

*Petre hoc te appellat Martinus, quod Maria sua mundoalda stabat per suam necessitatem, aut erat nuda in aliquo loco, & tu per superbiam, & per malum percussisti eam, aut pupugisti;* aut, *Marcoardus tuus servus;* aut, *Marcus tuus aldius fecit.* —— Probet, si potest. —— Si non; idoneet se appellatus; aut emendet; sicut lex est.

### *Ad Legem LXXIII.*

FORMULA.

*Petre hoc te appellat Martinus, quod tu tenes sibi Marcoardum suum aldium. —— Meus proprius est. —— Quomodo est tuus proprius? —— Unus meus aldius apprehendit Mariam tuam aldiam, & fecit mundium de ea; post ex ea fuit natus ille.* —— Approbet appellatus sic esse, aut perdat.

### *Ad Legem LXXVI.*

PARS LEGIS.

Nam si puer post mortem patris, aut avi infra ætatem remanserit, & ei se qualiscumque femina, antequam ipse puer XIV. annum (1) compleat, *se sibi* copulare præsumpserit &c.

FORMULA.

Vide Vol. II. pag. 471., ubi per errorem posita est ad legem LXXII.

### *Ad Legem LXXVII.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 471.

### *Ad Legem LXXIX.*

MONITUM IN FINE LEGIS.

*Intellectu hujus legis datur in duplum omne, quod aufertur fraude.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tulisti Mariam suam ancillam, aut aldiam per fraudem, dicendo quod Marcoardus tuus aldius, aut servus, tulisset eam ad uxorem; & perdidit tantam operam, quæ valuit V. sol.* —— Approbet, secundum quosdam, appellator, si potest. —— Si non; idoneet se appellatus. —— Si vero non potuerit, reddat ipsam, & componat aliam talem simul cum operis, quamdiu apud se habuit.



(1) *XIV. annum.*) Ita editio nostra. Egregium, ut mihi videor, exemplum Codicum depravatorum, non ex exscriptorum sphalmate, sed ex variatis institutis. Codex Cathedralis Mutinensis legit: *Antequam puer tertiodecimo compleverit anno.* Heroldina editio: *Antequam ipse puer XII. annos compleverit.* Heroldo adamussim consonat formula Codicis Veronensis ad hanc legem allata Vol. II. hujus Collect. *Antequam veniret in tertium decimum annum;* hoc est, antequam complesset annum duodecimum. Consonat & glossa subnexa legi LXIV. hujus Libri Liutprandi, quæ certe de masculis infantibus agit: *ita ut conjugium non fit ante XII. annos*; quam glossam habet & Codex Estensis. Occurrit profecto in Codice nostro glossa altera præfatæ legi LXIV. intermixta, quæ quartumdecimum memorat annum; & clarius adhuc glossa ad legem VI. Libri II. Liutprandi: *Nec tamen aliqua ante XII. vel aliqui conjungi possunt ante XIV. annos masculi.* Sed hæ discrepantiæ in glossis, & hæ variantes lectiones in ipso textu legis innuunt depravatam legem ex ætatis infantum legitimæ ad matrimonium celebrandum sententia, quam depravator sequebatur, seu potius quæ depravatoris ævo illustrius vigebat; & una docent, glossas seu intermixtas seu subnexas legibus non uno tempore, nec ab uno Interprete scriptas fuisse; quod jam alibi adnotavimus, & ex centenis Codicis nostri locis liquido adparet. Cæterum, quod quidam rati sunt, generaliter verum non est; scilicet, sera fuisse matrimonia inter gentes Germanicæ originis, etiam postquam in regionibus nostris stabilem fixerant sedem.

*Ad Legem LXXXIII.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod pater suus stabat sub toleno de puteo Donati, & tu venisti trahere aquam de ipso puteo, & incaute dimisisti tolenum, & venit super patrem suum, & mortuus fuit per ipsum tolenum.*

*Ad Legem LXXXIX.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE,

Si quis homo sciens, aldium, aut aldiam, servum, aut ancillam suam in casa cujuscumque esse aut copulatos, aut aliter, & non eum *recolligerit*, aut per judicem, aut per Publicum &c.

*Ad Legem XC.*

LEX GLOSSATA.

Si cujuscumque servus, aut ancilla, aldius, vel aldia, in Ecclesia Dei confugium fecerit, & dominus vel patronus eorum aut per se, aut per *Missos suos* exinde violenter traxerit, componat in suprascriptam Basilicam widrigild suum (*si est in proprietate alicujus: si dominus quidem, vel patronus, tantum widrigild. Si vero per suum missum liberum, vel alienum servum, dominus widrigild, misso vero CXL. sol. Si vero per missum servum, vel aldium, dominus widrigild tantum. Si vero de Ecclesia de Episcopatu, vel Abaciæ, dominus si fecerit, vel patronus, DC. sol. componat. Si vero per missum liberum, liber componat DC. sol., mittens non nihil* (forte legendum: *mittens vero nihil*). *Si vero per servum missum vel aldium, dominus, vel patronus, DC. sol. componat.*) Si servus vel aldius (*illius domini*) sine voluntate domini sui hoc malum fecerit (*idest si eos de propria Ecclesia Longobardi per vim traxerit, dominus utrorumque*) det ipsum servum vel *aldium* pro ipso malo in manum *de custode* ipsius Ecclesiæ, & ipse dominus, vel patronus, satisfaciat, quod per ipsius voluntatem hoc factum non fuisset, & ipse widrigild non componat.

*Ad Legem XCIII.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod ipse invenit Mariam tuam mundoaldam ambulare per campum suum seminatum, & facientem viam* (1).

*Petre te appellat Martinus, quod tu invenisti Mariam suam mundoaldam ambulantem per campum tuum seminatum, & tu minasti eam ad casam tuam ligatam.*

*Ad Legem XCIV.*

FORMULA.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi Marcoardum suum servum, aut Marcum suum aldium. — Ille servus, quem tu dicis, aut aldius, meus est. — Quid tibi pertinet? Ego comprehendi eum super tantas meas res, quas mihi furtive tollebat, quæ valebant sol. X.* — Si negaverit, quod non furatus est; sit bellum. — Si dixerit: *vere tulit, & reddo tibi res tuas, sicut lex est, & redde mihi servum meum:* — Si appellatus dixerit: *recolligo res meas, sed non reddam tibi servum tuum, aut aldium tuum, quia XX.* (2) *dies transierunt, & tu habuisti neglegenciam recolligere:* approbet. — Si non potuerit; idoneet se appellator, quod non habuit neglegenciam. — Si autem non potuerit se idoniare, res emendet, sicut lex est, & servum perdat.

*Ad Legem XCV.*

FORMULA.

*Vide Vol. II. pag.* 471.

*Ad Legem XCIX.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

Et vadat *quo* voluerit (*absolutus: excepto eo, qui est in hoste. Pro debito quoque præcipimus, ut tradatur: secundum asinos.*

*Ad Legem C.*

LEX GLOSSATA.

Si *quis* Longobardus uxorem habens, filios aut filias procreaverit, & postea inspiracione Dei compulsus, clericus effectus fuerit (*ea uxore mortua*); tunc filii, aut filiæ, qui ante ejus *conversacionem* nati fuerint, ipsa lege vivant, qua ille vivebat, quando eos genuit, & causam suam per ipsam legem finire *debent*.

NOTA. *In Codice Euphemiano Lex CII. desideratur. Lex vero CI. habetur inter decimam & decimam primam hujus Libri VI. Regis Liutprandi; ut in supradicto loco adnotavi.*

---

(1) *Facientem viam.*) In lege scriptum est: *viam indicantem*. Formula legem explanat, & Muratorii conjecturam confirmat, qui ratus est, *viam indicare* idem esse, ac quod Itali dicunt: *fare un sentiero*.

(2) *XX.*) Lege, *XXX.*

# RACHIS REX.

PARS PROLOGI CORRECTIOR.

CHristi *Domini*, Domini nostri & Salvatoris assidue nos convenit præcepta complere. Cujus providencia ad regiminis culmen pervenimus, ipsius auxiliante misericordia, quæ genti nobis commissæ conveniunt, *&* genti Catholicæ & dilectæ Deo Longobardorum, *statuenda* prævidimus. Quoniam gloriosissimus ac *præcelsus* Rotharis Rex Longobardorum gentis Princeps sibi Deo inspirante leges inseruit, atque innovavit, ut omnes intenciones, ac *disceptiones* malorum regali studio resecaret. &c.

*Infra.*

Et post hunc vero gloriosissimus, & orthodoxæ fidei cultor, atque hujus gentis Gubernator, & noster per misericordiam Dei omnipotentis nutritor Luiprandus, eximius, & præexcelsus, *ac sapientissimus* Princeps, &c.

*Infra.*

Idcirco per Redemptoris nostri providentia ego divino auxilio Rachis Rex præexcellentissimus & eximius Princeps anno regni mei secundo, *secundo* die Kalendarum Martiarum Indictione XIIII., dum cum gentis nostræ, &c.

*Infra.*

Quia dum pravi homines ea quæ *ad Deum* pertinent non considerant, magis hujus sæculi lucrum, quam animarum suarum remedium intendunt, & per humanam adstuciam debiles, vel egenos, opprimere non desistunt. &c.

*Ad Legem I.*

PARS LEGIS GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Sicut *ipse*, qui *vadia* suscepit, quærit, si *fuerint* inter homines *liberi*, quorum fides admittitur (*& ambæ partes consenserint*) non habeat licentiam jurare, quod in tali tenore *vadia* non dedisset; nisi qualiter judex, qui judicavit, *se* memoraverit, vel homines, qui interfuerint, quando *ipsa vadia dedit*, testificati fuerint, & ita *compleat*, & in eorum testimonio credatur. Quia si *stantia* (1), quam ante liberos homines tres aliquis fecerit, stare debet, quanto magis *causam*, *quam per vadia firmavit* & homines liberi intersunt, negare nihilominus convenit? &c.

*Ad Legem III.*

FORMULÆ.

*Petre te appellat Martinus, quod tu volebas facere tuum servum, vel aldium, & ipse fuit ad Regem reclamando, ut tu faceres finem ei* (2), *aut venires in præsenciam Regis, aut Judicis, cum ipso placitum habendo, & tu habuisti neglegenciam eundi, & baptisti eum recepta ira.* —— Et ita approbet. —— Si non; idoneet se appellatus. —— Si vero non potuerit, componat widrigild in palacio Regis; & si servus est, vel aldius, perdat eum cum rebus suis, & vadat liber cum filiis suis, quo voluerit; & si liber est, widrigild suum in palacio Regis componat qui eum baptiderit, & sibi sicut ad liberum hominem.

*Petre te appellat Martinus, quod tu volebas Anselmum suum patrem facere tuum servum, aut aldium, & ille ivit ad Regem reclamando, & ille præceptum Regis commendatum apportavit tibi, ut faceres ei finem, vel venires in præsenciam Regis vel Judicis ad placitum secum habendo, & tu occidisti eum.* —— *De torto me appellis.* —— Approbet appellator, si potest. —— Si non potuerit, purificet se appellatus, vel componat, sicut lex est.

Et hæ probaciones fiunt, secundum quosdam.

*Ad Legem V.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Si quis Judex, aut quicumque homo, missum suum dirigere præsumpserit, Romam, Ravennam, Spoletum, Beneventum, *vel ad* Franciam, *Bajoeriam*, Alamanniam, *Greciam, aut Navariam* (3), sine Regis jussione, animæ suæ incurrat periculum, & res ejus *in fisco socientur*.

*Ad Legem VI.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Cognovimus enim, quod per singulas civitates mali homines *zavvas* (4), & adunaciones contra Judicem suum *faciant*, &c.

ASTUL-

(1) *Stantia.*) Melius quam *sententia*, ut in edito legimus. Heroldus quoque habet *stantia*. Consule annotata a Muratorio.

(2) *Ut tu faceres finem ei.*) Formula plane explicat, quid sibi velint legis verba: *Ut aut ipse judicet*. Idipsum explicat & glossa interlinearis, quæ ad præfatum verbum, *judicet*, legitur: *idest, finem faciat*.

(3) *Greciam, aut Navariam.*) Correctiones hujusce lectionis lege apud Muratorium in notis.

(4) *Zavvas.*) Glossa interlinearis: *idest, firmamentum ad bellum*. Editio nostra scribit, *zanas*. Alias lectiones suppeditat Muratorius; cui

# ASTULPHUS REX.

Pars Prologi correctior.

IDcirco ego Dei omnipotentis auxilio Astulfus præcelsus Catholicæ gentis Longobardorum Rex præcessorum nostrorum omnia instituta *perpendens*, quoniam *quædam ibi reperimus non adnexa*, *de quibus maximus error* nostros Judices ad danda judicia *involvebat*, &c.

*Ad Legem V.*

Pars legis correctior.

Si quidem nupserit postea, *aut* mortua fuerit (1), ususfructus in integrum ad heredes revertatur &c.

G L O S S A.

*Ususfructus datur uxoribus a maritis:*

*De omnibus suorum maritorum rebus, si voluerint. —— Si maritus decedens filios vel filias non reliquerit ullos. —— Si maritus decedens alios liberos non reliquerit ullos; secundum quosdam.*

*Usufructus datur uxoribus a maritis:*

*Non de omnibus suorum maritorum rebus, etiamsi voluerit ipsi mariti, cui reliquid. —— Ut de medietate rerum suarum, si filios habet tantum de hac. —— Ut de tercia, si unum, aut duos; de quarta, si tres; de quinta, si quatuor; & tam deinceps, si filios habuerit de alia uxore, etiamsi habuerit filios de . . . . —— Ut de tercia, & ut dixi, etiamsi tantum habuerit filios de priore.*

*Usufructus aliter datur Romanis; aliter Longobardis mulieribus.*

Romanis: *Usque dum nupserint. —— Usque dum vivunt, etiamsi postea nupserint. —— Usque dum vivunt, si absque copula vixerint.*

Longobardis: *Usque dum nupserint. —— Usque dum vivunt, si absque copula vixerint.*

*Ad Legem VII.*

Pars legis glossata.

Si quis Longobardus cum Pontificibus, Abbatibus, vel Custodibus Ecclesiarum, seu Senodochiorum Præpositis, de quibuscumque rebus convenientiam fecerit (*non ut alienetur res Ecclesiæ nisi secundum legem Romanam*); & pœnam inter se *par* parti obligaverit, & heredes vel successores suos *colligaverit*, & idonei homines *interfuerint*, non possit postea ab eorum successoribus removeri (*nisi sit contra legem Romanorum*) sicut nec removetur ab eodem Longobardo; excepto si pœnam obligatam componere voluerint. &c.

*Ad Legem IX.*

Pars legis glossata.

Similiter & venerabilia loca faciant de rebus *quæ* ipsa *possideant* (*si decennium* (2) *inter præsentes immobilia; vicennium inter absentes, possederint; si triennium mobilia; vel* XXX. *annis*) si a Longobardis fuerint pulsata &c.

Formula correctior.

*Petre te appellat Martinus, quod tu tenes terram malo ordine in tali loco ad partem Monasterii Sancti Silvestri, unde ipse est Advocatus. —— Possessam habeo per XXX. annos.*

*Ad Legem X. & XI.*

Nota. *In Codice Veronensi Lex XI. continuatur cum præcedenti, ut unica lex exhibeatur, etiam in exprimendi modo: sic enim legitur:* Si quidem cum alio Custode vel Præposito de locis venerabilibus causam habuerit, ipse Custos vel Præpositus sacramentum deducant.

Ad

---

cui & ego addo Heroldinam: *tanas*, *idest*, *adunationes*; ut idem significet exoticum illud verbum, ac Latina vox, videlicet, *adunationes*. Confirmatur hinc Wachteri sententia in Glossario V. *Sen*, quæ interpretatur *cœtus*, *multitudo congregata*, ubi allata hac Langobarda lege subdit vir maxime eruditus: *Unde manifestum, quod* zanam *facere sit congregari, &* zana, *multitudo congregata . . . . Teneamus ergo vocem* zana, *tanquam genuinam & probam, nec ab illa dimoveamur, etiamsi quidam codices* zava *legant*. Tanto glossographo ego nihil reponere valeo; nisi quod tum Codex Veronensis, tum ambo Mutinenses (monumenta non contemnenda) uniformi lectione habent *zavas*, *zavvas*.

*Nota*. In Codice Veronensi occurrit articulus, quem Muratorius edidit numero VIII. legum Rachis: *Si quis inquirit secretum Regis &c.*, qui tamen haberi non debet ut lex a subsequente diversa, sed tantum ut ejusdem legis breviarium; prout & alia hujus generis nonnulla occurrunt in Codice nostro. Quod monuisse videtur etiam glossa, quæ in margine legitur: *p. sequentis rusticitate*.

(1) *Si quidem nupserit postea, aut mortua fuerit &c.*) Vide quæ dicta sunt in Monito. Glossis subnexis adde & marginalem, ad verba: *Si quidem nupserit &c. Non enim dari potest, nisi sub ea condicione; non enim datur, quoad vixerit, nisi caste vivat.*

(2) *Si decennium &c.*) Glossa Romana. Ideo ad subsequentia legis verba: *Ipse se secundum legem defendat*; glossator marginalis scripsit: *Romanam*. Et ad verba postrema: *Ideo justum diximus, ut qui per annos XXX. possederit, possideat & in antea*: glossa in margine advertit: *rupta per se*. Notari tamen meretur glossa intermixta: *vel XXX. annis*; uti & verba in margine legis tertio repetita: *secundum quosdam*: hæc enim indicant, ipso Glossatorum tempore neque quoad rem ecclesiasticam, adeo in omnibus praxi receptum fuisse Jus Romanum, ut Langobardum prorsus obruisset.

*Ad Legem XII.*

LEX CORRECTIOR.

Si quis (1) *cum Corte* Regis causam habuerit, et evenerit, ut *pars Cortis Regiæ* sacramentum deducere debeat, si *major* causa fuerit, per sacramentum *ab scarione* (2) cum actoribus finiatur. Si vero *minor* fuerit causa, (*idest infra XX. sol.*) actor de loco cum actoribus, secundum qualitatem causæ, sacramentum persolvat.

# CAROLUS MAGNUS. (3)

## INCIPIT KAPITULARE DOMINI KAROLI REGIS.

*Ad Legem XI.*

LEX EX ALIA LECTIONE.

De truste (4) faciendam. Nemo præsumat ad nos venienti *hiberno tempore* mansionem vetare, et quæ necessaria sunt, sicut vicino suo ei vendat.

*Ad Legem XVI.*

LEX GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Ut nemo præsumat hominem aliquem vendere aut comparare, nisi in præsentia Comitum aut Missorum *illorum*, (*aut Episcopi, aut Archidiaconi, vel Centenarii, aut Vicedomini, aut Judicis, ante bene nota testimonia. Et foras marcham nemo mancipium vendat.*)

*Ad Legem XVIII.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Si Comes in suo ministerio justitiam non fecerit, Missus noster de hac causa *sop̄ juvare* faciat, usque dum justitiæ ibidem factæ fuerint. Et si Vassus noster justitiam non fecerit, tunc Comes et Missus noster in ipsa *casa* sedeant, et de suo vivant, quousque justitiam faciant.

*Ad Legem XXII.*

PARS FORMULÆ CORRECTIOR.

*Dicis ita* Episcope? —— *Dico.* —— *Domne Comes, præcipite fieri notitiam.*

*Ad Legem XXIV.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Ut testis* (5) *quilibet recipiendus sit, nisi crimen ei oppositum fuerit, & probatum.*

*Ad Legem XXV.*

LEX.

Ut *nec* colonus, nec fiscalinus (6) possit *alicubi* foras *mistos* traditionem facere.

Ad

(1) *Si quis &c.*) Hanc legem in edito corruptissimam, uti & corruptam apud Heroldum, correctam exhibet Codex Veronensis, cui quoque consonant Mutinenses.

(2) *Ab scarione.*) Non *obscarionum*, ut in edito legimus. Vox varias passa fuit eruditorum interpretationes. Sed omnium optima videtur esse, quam exhibet glossa interlinearis Codicis nostri: *idest*, *Canavario*. Canavarius autem est, qui perceptioni, & custodiæ redituum præfectus est. Inde, ut mihi videor, sensus legis est, quod in causis ad Curtem Regiam spectantibus, in quibus pars Curtis Regiæ sacramentum præbere debeat, si causa est, ut nos vulgo dicimus, *de majori*, idest de valore XX. solidorum & supra, per sacramentum Canavarii Regis, quasi Actoris generalis, finiatur. Si vero causa sit *de minori*, finiatur per sacramentum subalterni Actoris, qui eo in loco constitutus est, in quo adversarius, seu res controversa esse contigerit.

(3) *Carolus Magnus.*) In exhibendo Veronensi Codice subinde parcus ero; etenim a Carolo Magno & deinceps hic cum Estensi Codice concordat in legibus, formulis, glossis, variantibus lectionibus, expressionum forma, atque, ut ita dicam, in ipsis amanuensium sphalmatibus, ut alter ab altero, vel uterque ab unico fonte ex integro pene deductus esse videatur. Consulat ergo Lector, quæ ex Estensi Muratorius exhibuit. Ego si quæ aliunde notatu digna ex Veronensi occurrant, perpendere non desinam.

(4) *De truste.*) Glossa interlinearis peculiarem voci exhibet significationem: *idest*, *oste*. Verba quæ sequuntur in Codice, *biberno tempore*, reor non esse legitime scripta, sed vocem contracte scriptam amanuenses fefellisse, & proinde legendum: *beribanni tempore*. Quo posito lex hæc optime cohæret cum lege XVI. Pippini Regis, prout legitur in Heroldina editione: *Et quando beribanni tempus fuerit, nullus audeat mansionem vetare ad ipsos iterantes &c.* Haud semel mihi visum est, a scriptoribus sumptam fuisse vocem *bibernum* pro *beribannum*. Glossa interlinearis supra relata optime consonat; ut scilicet nemo mansionem vetet, cum *beribanno* seu castrensi edicto populus cogeretur *in hostem*.

(5) *Ut testis &c.*) Muratorius eadem protulit ad fidem Codicis Estensis; quæ si recte perpendantur, non referunt nisi glossam, seu breviarium legis XXIV. cui subnexa leguntur, sensu nonnihil diverso, aptato facile legali mori, qui ævo Glossatoris vigebat. Alias jam vidimus in Codice nostro, ejusmodi breviaria, seu glossas insuetas non esse.

(6) *Ut nec colonus.*) Glossa interl. *scilicet, servus Ecclesiæ.* —— *Nec fiscalinus:* Glossa interl. *scilicet, servus Regis.*

*Ad Legem XXXIII.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

*Sic quisque*. Quælibet persona *in eadem* (1) de hoc *quod* interpellata fuerit, aut præsentialiter emendet, aut sacramentum reddat solus, quod nec ipse fecerit, nec vere qui fecisset, sciat. *Interpellator* (2) autem *primum* juret, quod non eum injuste se sciente *interpellaverit*.

*Ad Legem XXXVI.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Ut omnis controversia coram eo* (3) *finiatur, præter redemtionem terræ, & mancipiorum.*

*Ad Legem XL.*

LEX, UT VIDETUR, GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Ut infantulæ *puerilis* ætatis non velentur, antequam *illæ* eligere sciant, *quæ* velint, salva canonica *ætate* (4): ( *idest ante XXV. annos, excepto metu mortis, aut raptus.*

*Ad Legem XLIV.*

LEX EX ALIA LECTIONE.

De latronibus (5) ita præcipimus observandum, ut *quis* pro prima culpa non moriatur, sed oculum perdat. De secunda nasus *ipsius capelletur*. De tertia vero, si se non emendaverit, moriatur.

*Ad Legem XLVI.*

PARS FORMULÆ CORRECTIOR.

*Potes tu probare, quod tu postquam Imperator tibi dedit infra hoc* quod *tu fuisti judicatus ad mortem*, & quod tu antequam tu fuisses judicatus ad mortem, *& quod pater tuus per XXX. annos possessam habeatis?*

*Post Legem XLVI.*

LEX GLOSSATA.

De latrone (6) forbannito, si liber homo susceperit, XV. sol. componat: & si servus, CXX. ictuum percussionibus vapulet. ( *Nisi ei hospitium dederit.*

NOTA. *Leges XLIX. & L. in Codice Euphemiano, non duplicem, sed unicam legem constituere videntur. Sed forte ex exscriptoris incuria.*

NOTA. *Leges LXV. & LXVI. una junguntur, ut unicam constituant legem; & hoc videtur jure merito factum.*

*Ad Legem LXXI.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Idest, ut centum X. ictus accipiat servus.*

*Ad Legem LXXII.*

PARS LEGIS CORRECTIOR.

De mancipiis quæ venduntur, ut in præsentia Episcopi vel Comitis sint vendita, aut Archidiaconi & Centenarii, aut Vicedomini, aut *Judicis* vel Vicecomitis, aut ante *bene* nota testimonia. Et foras *Marcham* nemo mancipium vendat &c.

*Ad Legem LXXXI.*

LEX EX ALIA LECTIONE.

Si quis adeo contumax, aut superbus extiterit, ut dimisso exercitu absque jussu, *vel* licentia Regis domum revertatur, &, quod nos Theudisca lingua dicimus, *eriz* fecerit, ipse *ut* reus Majestatis vitæ periculum incurrat, & res ejus fisco nostro socientur.

*Ad Legem LXXXII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si ambo, *integritatis* perfectam emendationem *cogatur* componere.

*Ad Legem LXXXIV.*

PARS LEGIS CORRECTIOR.

De vindicta, et judicio, *facta* in latronibus, testimonio Episcoporum absque peccato Comites facere possunt etc.

*Ad Legem LXXXV. LXXXVI.*

NOTA. *In Codice Euphemiano unica lex ex hisce duabus conficitur, & secunda in-*

(1) *In eadem.*) Hoc est, in eadem expeditione; etenim Capitula hæc de exercitalibus agunt. Vide Murator. in notis.

(2) *Interpellator &c.*) Glossa marg. *Per hoc exemplum accusator juret antea, & per usum tractum a Romanis.*

(3) *Coram eo.*) Hoc est: *coram Centenario*. Nota in Codice Euphemiano glossam hanc ipsa lege XXXVI. comprehendi, & legem, quæ in edito est XXXVII., hoc in loco desiderari, positamque esse post legem, quæ in edito est XCIV. Profecto glossa, de qua agimus, exhibere potest legalem quandam disciplinam deductam ex hac ipsa lege XXXVI.

(4) *Salva canonica ætate.*) Edita, quæ ego vidi, huic lectioni non congruunt, cum omnia referant: *salva canonica auctoritate*. Verumtamen subsequens glossa: *idest, ante XXV. annos*; aptius congruit lectioni nostræ.

(5) *De latronibus.*) Glossa interl. *scilicet, Longobardis*. Advertere est, in Codice Veronensi, Langobardorum legibus, quæ de furibus, aut latronibus agunt, pluries hanc Caroli Magni legem insertam occurrere pro glossa.

(6) *De latrone &c.*) Deest lex hæc in editione, cujus ordinem ego sequutus sum, omissione manifesta, ut jam perpendi in notis Vol. I. pag. 169.

*incipit:* Et de his duobus furtis etc. *ut in Codice Estensi*.

### *Ad Legem XCIV.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Qui filium non habuerit, et alium quemlibet heredem facere voluerit, coram Rege vel coram Comite, et Scabino, vel Misso Dominico, qui tunc ad justitiam faciendam in provincia fuerint ordinati, traditionem *faciant*.

### *Post Legem XCIV.*

*Omnis controversia* (1) *coram Centenario diffiniri posset, excepto redditionem terræ & mancipiorum, quæ nonnisi coram Comite diffiniri potest*.

### *Ad Legem XCVI.*

L E X.

Ut nullus Presbyter cartam scribat, neque conductor (2) existat suis Senioribus.

### *Ad Legem XCVIII.*

L E X.

Ut illi, qui heribannum solvere debent, conjectum (3) faciant ad *heribannatorem*.

### *Ad Legem XCIX.*

PARS LEGIS GLOSSATA.

Volumus primo, neque Abbates, *aut* Presbyteri, neque Diaconi, *aut* Subdiaconi, neque *cuilibet* clero *præter* (p) *Episcopos, Abbates, Abbatissas*) de personis suis ad publica, vel ad sæcularia judicia trahantur, vel distringantur, sed a suis Episcopis judicati justitiam faciant. etc.

### *Ad Legem CI.*

NOTA. *Pars hujus legis, quæ incipit:* De Episcopis et Sacerdotibus occisis: *usque in finem legem refert in Codice Euphemiano a superiore diversam, & alio loco positam, hoc est, post legem CXLV.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Verumtamen de Presbyteris, videtur nobis, ut si liber est natus Presbyter, per triplam compositionem secundum legem suam *fiat* compositus. Et si plagatus fuerit, secundum qualitatem, *vel æstimationem* plagarum, vel disciplinæ per triplam compositionem emendetur ab eo, qui hoc *perpetravit*. Si *aliter* Presbyter servus natus fuerit, secundum illius nativitatem *tripla compositio* solvatur in plagis, et *in* disciplinis. *Et* de Diaconibus similiter fiat.

### *Ad Legem CII.*

FORMULA AMPLIOR.

*Petre te appellat Martinus Comes, quod* Johannes *latro fugerat infra emunitatem* (4) *Sancti Syri, unde tu es Advocatus, & mandavit tibi ut redderes ei eum; & reddere noluisti*, & contradixisti semel, aut bis.

### *Ad Legem CVI.*

PARS LEGIS EX ALIA LECTIONE.

*Qui* res suas pro anima sua ad Casam Dei tradere voluerit, *domui* (5) traditionem faciat etc.

### *Ad Legem CIX.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Homo Regis, *vel* Ecclesiasticus, *vel* Lidus, *aut* Fiscalinus interfectus, C. sol. componatur.

*Ad*

(1) *Omnis controversia &c.*) In libro a nobis edito, ut supra dictum est, hæc est lex Caroli M. XXXVII.

(2) *Conductor.*) Glossa interl. *idest, masnerius*. Atque eundem esse reor, qui *Mansarius* apud Cangium, quem vide in hanc vocem.

(3) *Conjectum.*) Glossa interl. *idest, gaforium*. Obscurum per obscurius. Quid sit *conjectum*, dixit Muratorius in nota ad hanc legem, & fusius Cangius in Glossario. *Gaforium* idem esse mihi videtur, ac Anglosaxonibus (dialecto utentibus Langobardicæ multum affini) *gafol, gaful*; quæ vox a Wachtero interpretatur, *tributum & quævis exactio summæ potestatis, quæ cum antiquitus minutatim fere pendebatur, dicta est* Gabel, *a* gabe, *donum, quasi parvum munusculum*. Vide ejus Glossarium V. *Gabe*, ubi voces *gabel, gafol, gaful* interpretatur. Manet apud nos strictiori quodam sensu vocabulum, *gabella*.

(4) *Infra emunitatem.*) Nota marginalis ad legem, cui hæc subnectitur formula, legis ejusdem sensum apta est ex parte illustrare. Sicut enim homicida aggressor liberi hominis totius substantiæ suæ amissione ex Langobardica lege mulctabatur, ita & ipsius homicidæ receptor, qui ad tertiam contestationem illum reddere renuisset, mulctam ab homicida debitam exsolvere cogebatur; non quidem omnem substantiam suam amittendo, sed eam tantum portionem, quæ integram homicidæ substantiam coæquaret. Ad glossam: *Si aliquis homicida aggressor hominis liberi infra eam* (emunitatem) *fugerit, & hic eum tenuerint, & post tertiam contestationem reddere dilataverint, non omnem substantiam suam perdere debent, sed tantam quantam homicida habuit: secundum quosdam.* Animadvertere nondum desinam, toties repetita verba, *secundum quosdam*, mirifice satis ostendere, quam labilibus, & lubricis quondam viverent juribus populi Italici regni.

(5) *Domui.*) Glossa interl. *idest, majori Ecclesiæ*; quam Italice dicimus *il Duomo*. Sed valde dubito, num genuina sit lectio, atque adoptanda glossatoris interpretatio; cum aptiorem legi sensum referat, quæ in edito habetur, *domi*.

*Ad Legem CXXVII.*

LEX EX ALIA LECTIONE.

Hoc quoque jubemus, ut Judices supra nominati, sive Fiscalini de qualibet causa fredam non exigant, priusquam facinus componatur. Si quis autem per cupiditatem ista transgressus fuerit, legibus componat. *Fredum* autem non ille Judici *tribuat*, qui culpam commisit, sed *ille* qui solutionem recepit, *tertiam partem* coram testibus *legitimis* fisco *tribuat*, ut pax perpetua stabilis permaneat.

*Ad Legem CXXVIII.*

PARS LEGIS CORRECTIOR.

Ut non per aliquam occasionem, nec pro *wata*, nec *pro scara*, nec de warda, nec pro heribergare, nec pro alio banno, heribannum Comes exactare præsumat, etc.

*Ad Legem CXXIX.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Ubi vero mancipia, non unius domini, sed diversæ potestatis, juncta fuerint, nisi convenientibus utrisque dominis, hujusmodi copulatio rata* non erit; *vel si negligendo sentitur, & virtute, qua potuerint, non emendetur. Nam hujusmodi copulæ* actor *erit, qui hoc neglegendo consentit. Plura sunt, quæ ad incesti crimen scribi poterant, sicuti in matre, & filia, & noverca, & pene innumerata, quæ menti ad scribendum non occurrunt. Hujusmodi tamen, & his similibus personis, copula maritalis in sempiternum subtrahitur.*

*Ad Legem CXXXVI.*

LEX.

Ut si Clerici aliquod negotium *inter se* habuerint, a suo Episcopo judicentur, non a sæcularibus.

NOTA. *Reliqua pars hujus legis in Cod. Veronensi diversam legem constituit positam post legem CXXXVII. cui jungitur veluti unica lex, quæ in edito est sub n. CXXXVIII.*

Ut nec Monachus, nec Clericus in sæcularia negotia transeant. Et ut servum alterius etc.

*Ad Legem CXXXVII.*

GLOSSA IN FINE LEGIS.

*Idest, quod Canones probibent.*

*Ad Legem CXL.*

LEX CORRECTIOR.

Ut etiam dies Dominicus, sicut decet, honoretur, et eum colere omnes studeant; ut *hoc liberius possit fieri*, et mercata et placita a Comitibus, sicut sæpe amonitum *fuit*, illo die prohibeantur.

*Ad Legem CLI.*

LEX EX ALIA LECTIONE.

Ut *de eo* qui se perjuraverit, postquam pœnitentiam *egerit*, inculpabilis esse videatur.

NOTA. *Deest in Codice Euphemiano Lex CLII. uti & additamenta ad Capitularia Caroli Magni, & Capitulare anni DCCCVI.*

*Lex sive Epistola, quæ legitur CLIII., occurrit & in præfato Codice Euphemiano.*

# PIPPINUS REX.

PRIMUS LIBER EXPLICIT. INCIPIT SECUNDUS.

*Ad Legem II.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

ET si quis Pontifex *cleros* suos canonico ordine distringere noluerit, & *ille* ad sæcularem *se pertransierit*, quod Canones *cleros* facere prohibent etc.

*Ad Legem IV.*

NOTA. *In Codice Euphemiano Lex III. & IV. videntur unicam constituere legem.*

*Ad Legem VII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE, ET GLOSSATA.

Ubi consuetudo fuerit pignorandi a longo tempore, (1) ut in antea eo modo *sit per ipsam justitiam faciendam*. Et hoc *constituimus*, ut ubicumque *Pontifex* substantiam *habuerit*, Advocatum *habeat* in ipso Comitatu, qui absque tarditate justitiam faciat et suscipiat ( *duos Advocatos habeat* ) (2). Et talis sit ipse Advocatus, liber homo, & bonæ opinionis, laicus, aut *non* Clericus (3) etc.

Ad

(1) *A longo tempore.*) Glossa marginalis: *Habebant enim quendam locum electum, ubi pignorabantur.*

(2) *Duos Advocatos habeat.*) Alterum scilicet, qui causam procuret, alterum qui sacramentum deducat. Vide legem XVIII. Lotharii I.

(3) *Aut non Clericus.*) Lectio a Muratorio probata, nec non a marginali glossa: *quia si habet advocatum, debet esse advocatus.* Corrigenda sunt edita, quæ habent: *Laicus, aut Clericus.*

*Ad Legem VIII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Et si *Comes Francus distulerit* ad justitiam faciendam, et probatum fuerit, juxta uteorum *fuit* electio, ita *subjaceat* (1). Et de illorum *bonoribus* fiat, sicut est consuetudo Francorum (2) etc.

*Ad Legem X.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Et apud locum *conjurent Sculdai*, Decani, *Saltarii*, vel *locis* positi, ut nullus eos *concelet*. Et ubicumque inventi fuerint, *ipse*, *apud quem inventi fuerint*, una cum Misso Comitis de ipso loco ad nos *adducatur*, ita ut jurare *valeat*, *ut* neminem *celasset*.

*Ad Legem XIII.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Homo denarialis non *antea hereditare in sua agnatione* (3) *petuerit*, *quam* usque in tertiam generationem perveniat. Et homo cartularius similiter.

*Ad Leges XXVIII. XXIX.*

NOTA. *In Codice Veronensi hæ duæ Leges ita conjunctæ sunt, ut unicam Legem constituant.*

*Ad Legem XXXII.*

LEX CORRECTIOR.

De rebus forfactis, quæ per diversos Comitatus sunt, volumus ut ad Palatium pertineant (4).

*Ad Legem XXXV.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Placuit nobis inserere, ubi lex deest, præcellat consuetudo; et nulla consuetudo *subponatur* legi.

*Ad Legem XXXVII.*

LEX.

De mancipiis (5) Palatii nostri, et Ecclesiarum nostrarum, mundium *non* recipere, sed nostra mancipia habere *volumus*.

*Ad Legem XXXIX.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Non est nostra voluntas, ut homines Placentini per eorum præceptum de Curte Palatii nostri illos aldiones (6) recipiant.

*Ad Legem XLIII.*

PARS LEGIS GLOSSATA, ET EX VARIA LECTIONE.

Quicumque post missam S. Johannis Baptistæ latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII. *similibus* Francis, juret, quod latronem eum fuisse nesciret, licet pater ejus sit, aut frater, *vel* propinquus. ( *Similiter omnis homo purificet se secundum legem.* ) Si hoc jurare non potuerit, & ab alio *convictus* fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro & infidelis ( *Francus quidem tantum*) (7) judicetur. Quia qui ( *Francus* ) latro est, infidelis est *noster* in Regno nostro & Francorum; et qui illum *suscepit*, similis est illi etc.

*Ad Legem XLVI.*

PARS LEGIS.

De cæteris vero causis communi lege vivant, (8) quam Domnus Karolus Rex excellentissimus Francorum atque Longobardorum in *Edicto* adjunxit.

NOTA. *Leges XLVII. XLVIII. XLIX. Muratorianæ editionis desiderantur in Codice Euphemiano.*



(1) *Ita subjaceat.*) Glossa interl. *ut moriatur.*

(2) *Et de illorum bonoribus fiat, sicut est consuetudo Francorum.*) Glossa marg. *idest, ut non veniant ad heredes eorum.* Honor Comitis nescio an sit ipse Comitatus, vel alia quoque nobilia beneficia, seu feuda, quæ nobilibus viris assignabantur. Utrumque enim *bonoris* nomine venire potest.

(3) *In sua agnatione.*) Glossa interl. *idest, liberi.*

*Nota.* Ad Legem XXX. hæc legitur nota marginalis: *Hic videri potest, quod compositio, quæ pertinet ad partem Publicam, requirere non potest, nisi Comes, vel Actor Dominicus.*

(4) *Pertineant.*) In Codice Veronensi, ut & in Ambrosiano & Mutinensibus, itemque apud Baluzium, desunt verba: *transacto anno & die*; quæ leguntur in edito, atque in ipsa Heroldina editione. Videntur hæc non referre nisi veterem glossam, quæ subinde irrepsit in textum.

(5) *De mancipiis.*) Glossa interl. *idest aldiis.* Glossator vero marginalis ad hanc legem planiorem exhibet sensum, de cujus tamen veritate judicium ferent eruditi: *Hic videri potest, quod mancipia Palatii & de Ecclesiis non sint nisi sub mundio.*

(6) *Illos aldiones.*) Vide quæ Muratorius dixit in nota ad hanc legem. Sed nostra certe esse videtur optima lectio, cujus sensus pluralitate Codicum sustineatur, si vocem *illos* tamquam articulum præpositivum (ut mos habebat) sumatur, Italica expressione *gli aldioni*. Etenim alias legimus *illaldiones* voce ad Italicam propius accedente. Heroldus in Pippino, & Lindenbrogius absolute habent, *aldiones*: quod in idem recidit.

(7) *Francus quidem tantum.*) Ad Francos pertinuisse hanc legem, tum lex ipsa innuit, tum glossa, tum subnexa apud Muratorium formula, quæ occurrit & in Codice Veronensi, ubi *Francus* est, qui in judicio appellatur: *Petre France te appellat Martinus &c.*

(8) *Communi lege vivant.*) Glossa interl. *scilicet nos Franci, & Longobardi.*

# LUDOVICUS PIUS.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS,
TERCIUS INCIPIT.

NOTA. *In Codice Euphemiano in loco Legis tertiæ legitur Lex decima octava & in loco Legis decimæ octavæ legitur Lex tertia.*

*Ad Leges VII. VIII.*

NOTA. *Duæ hæ Leges unicam Legem conficiunt in Codice Veronensi.*

*Ad Legem IX.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si proprius servus hoc *commiserit*, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte, an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur. Sin *autem* non fuerit *exusta*, tunc dominus ejus, juxta quod widrigild *illius est*, ad Ecclesiam persolvat, aut *eum*, si voluerit, Ecclesiæ tradat.

NOTA, *Lex X. conjungitur in Codice cum lege IX.*

*Ad Legem XIII.*

LEX GLOSSATA.

Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum componat in triplo, et widrigild ejus *proximis parentibus* persolvat (*si se defendendo fecit.*)

*Ad Legem XIV.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Et si eodem tempore, quo res illas tradere vult, extra eundem Comitatum fuerit, idest in exercitu, sive in Palatio, sive in alio loco quolibet, adhibeat sibi de suis pagensibus, vel de aliis, qui *eadem* lege vivant, (1) qua ipse vivit, testes idoneos; et si illos habere non potuerit, tunc de aliis *inveniat*, quales *ibi* meliores invenire potuerit, et coram eis *rerum suarum* traditionem faciat; et *fidejussor ei* (2) investituram donet, ut ei, qui illam traditionem *accepit*, investituram faciat.

*Ad Leges XIX. XX.*

NOTA. *Duæ hæ Leges in Codice Veronensi transpositæ sunt ad invicem.*

*Ad Legem XXII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Ibi sacramenta juranda sunt, ubi antiquitus fuit consuetudo sacramenta arramire, vel jurare, & *ibi* mallum habeatur, & *ibi sacramenta jurentur*. Mallum *autem* etc.

*Ad Legem XXVI.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Aut si Magister eorum, aut Advocatus, qui *liber est*, eos vel *ad Comitis*, vel *Missorum nostrorum jussum* præsentare *noluerit*, prædictum bannum, idest LX. sol. *componat*.

*Ad Legem XXIX.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Si quis puerum invitis parentibus (3) totonderit, aut puellam velaverit, legem suam in triplo componat, *aut* ipsi puero, vel puellæ, si suæ potestatis sint, aut *illi*, in cujus potestate *fuerit*. Illi vero potestatem habeant capitis sui, *ut in* tali habitu permaneant, qualis eis placuerit.

*Ad Legem XXXI.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Quicumque terram, unde tributum ad partem nostram *exire* solebat, vel ad Ecclesiam, vel cuilibet *alteri* tradiderit, is qui eam suscepit, tributum, quod *inde* solebat *solvere*, *omnimodis* ad partem nostram *solvat*, nisi forte talem firmitatem de parte nostra habeat, per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere.

*Ad Legem XXXIV.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

*Non* tamen ideo tantos testes *mittentes* dicimus, ut ipsos semper omnes in dandis decimis præsentes esse pariter necesse sit; sed *ut* dum pluribus committitur, minus *gravetur*. *In duobus* autem si affuerint (4), sufficere credimus. Neglegentes autem a Presbyteris Ecclesiarum admoneantur usque ad tertiam vicem, ut ipsam decimam dent. Quod si contempserint, ab introitu Ecclesiæ prohibeantur. Et si *in* hoc minime *se* emendaverint, a Ministris Reipublicæ districti singuli per caput VI. sol. Ecclesiæ com-

(1) *Eadem lege vivant.*) Glossa marg. *Hic videtur, quod testes, si fieri potest, semper debent esse de lege tradentis.*

(2) *Et fidejussor ei.*) Lege, *fidejussori*; hoc est, ut habet glossa interlinearis, *ei cui fide committitur.*

(3) *Invitis parentibus.*) Glossa interl. *scilicet, Salicis.* Glossæ congruit subnexa formula, quæ legitur tum apud Muratorium, tum in Codice nostro: *Petre Presbyter .... hoc te appellat Martinus Salicus &c.*

(4) *In duobus autem si affuerint.*) Optima expressio Italica: *se saranno in due.*

componant, et insuper dare decimam cogantur. Nam si iterum contemptores *extiterint*, tunc per publicam auctoritatem domus & *causæ* eorum (1) wisentur, quousque pro ipsa decima, sicut supra dictum est, *satisfactum est*. etc.

*Ad Legem XXXVIII.*

Pars legis.

Legatio Missorum nostrorum hæc est. Primum, ut sicut jam aliis Missis *fuit* injunctum, justitiam faciant de rebus, & libertatibus injuste ablatis (2) etc.

Nota. *A verbo* Volumus *in Codice Veronensi incipit diversa Lex.*

*Ad Legem XLI.*

Nota. *In Cod. Veronensi desunt verba*, Et quicumque, *usque ad finem legis.*

*Ad Legem XLIII.*

Lex ex varia lectione.

Ut nullus ad palatium, vel in hostem pergens, *vel* de palatio, vel de hoste rediens, tributum, quod *transitura* vocatur, solvere cogatur.

*Ad Legem XLVI.*

Lex ex varia lectione.

Ut nullus Episcopus, nec Abbas, *nec Comes*, nec Abbatissa, Centenarium Comitis advocatum habeat.

*Ad Legem XLIX.*

Pars legis ex varia lectione.

De forestibus nostris, *ut* ubicumque fuerint, diligentissime inquirantur, quomodo *salva* sint, & *defensa*. &c.

*Ad Legem LVII.*

Pars legis glossata, et ex varia lectione.

Ut *alia* facere non *auderent*, bannum nostrum, idest LX. sol., *solvere cogantur*. (*Et XL. sol. persolvant pro unaquoque, si Longobardi sint Domini. Similiter Aldiis.*

*Ad Legem LVIII.*

Lex ex varia lectione.

Placuit nobis de illis hominibus, qui se liberos per XXX. annos esse dicunt, ut per hanc possessionem liberi non sint, nisi de ingenuo patre & matre (3) nati sint, aut cartam libertatis ostendant.

# LOTHARIUS I. REX.

## EXPLICIT LIBER TERCIUS, INCIPIT QUARTUS.

*Ad Legem III.*

Lex ex alia lectione.

Volumus (4) ut Comites nostri licentiam habeant inquisitionem facere.

*Ad Legem IV.*

Pars legis glossata, et ex varia lectione.

Et illi alii bannum componant. (*Nam si obligatio* (5) *sit facta vel inemendata*



*per Comitis neglegentiam, & auctor facti sit præditus aliqua dignitate.*) Et si talis fuerit, qui non habeat, unde componat, LX. ictus accipiat.

*Ad Legem XII.*

Lex ex alia lectione.

Ut Cancellarii electi boni & veraces chartas *publice scribant* ante Comitem, & Scabinos, & Vicarios ejus. Et *nullo modo* hoc facere *præsumant* de pecunia (6), antequam legitimum pretium detur.



(1) *Et causæ eorum.*) Italice, *e le cose loro*: quam tamen lectionem arbitror præponendam non esse alteri, quæ ex Codicum pluralitate amplius sustinetur: *vel casæ*.

(2) *Injuste ablatis.*) Glossa interl. *scilicet, non furto, non scacho. Scach* verbum est (judice Wachtero ad hanc vocem) latæ admodum significationis, aptum significare spolium, rapinam, furtum, latrocinium, rem bello captam &c. Ad latrocinium, seu rapinam, perstringi a glossatore videtur. Cæterum *schachum* aperte memorat lex VI. Othonis II.

(3) *Patre & matre.*) Editum: *Patre, aut matre.* At vero glossa, quam attulimus ad legem II. Grimoaldi, lectioni nostræ optime assentitur.

(4) *Volumus &c.*) Legem habemus editam a Muratorio, cui tamen in fine additur: *de ipsa conjunctione adulterii*; quod legem ipsam ad superiorem legem apertius perstringit.

(5) *Nam si obligatio &c.*) Glossa deprompta ex lege LIII. Lotharii I., quæ pluries reperitur in Codice Veronensi ad leges, quæ de collectis, & adunationibus ad malum faciendum agunt.

(6) *De pecunia.*) Glossa marg. *idest de terra, de domo, de re mobili, de omni substantia.* Verba, quæ in edito leguntur: *vel substantia*: desunt in Codice nostro, & Estensi, uti & apud Baluzium. Glossa scilicet esse videntur, quæ in textum irrepsit amanuensium arbitrio.

*Ad Legem XV.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si vero in talibus *causis obnoxius* Comes repertus fuerit, per Episcopum ejus nobis nuncietur. Si autem *Vassallus* noster in hac culpa *lapsus* fuerit, sicut supra *per Comitem* distringatur. Quod si non audierit, nobis innotescat, antequam in vinculis mittatur.

*Ad Legem XVII.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Volumus, ut *rerum*, quæ a liberis personis locis dedicatis conferuntur, liceat *eis* sibi usumfructum, & ordinationem earundem rerum, si aliter sibi *placuerint*, *ut reservent*. Si aliter eas non *ordinaverint*, ita *maneant*, sicut prius datæ fuerint.

*Ad Legem XIX.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Prohibemus, ut nemo *usuram* facere præsumat post Episcopi contestationem. Quod si quis post ejus interdictum facere præsumpserit, a Comitibus, sicut supra de contemptoribus, præcipimus ut distringatur.

*Ad Legem XX.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Præcipimus, ut singulæ Plebes secundum antiquam consuetudinem fiant *restauratæ* &c.

*Ad Legem XXV.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Homo ingenuus, qui mulctam quamlibet solvere *voluerit*, & fideijussorem non habuerit etc.

*Ad Legem XXVI.*

NOTA. *Hæc in duas Leges dispescitur in Codice Veronensi. Secunda incipit:* De fratribus namque &c.

*Ad Legem XXVII.*

LEX EX VARIA LECTIONE, ET GLOSSATA.

Ut in testimonium non recipiantur de his capitulis, idest de libertate, et de hereditate, vel de proprietate *in* mancipiis, *&* terris, sive de homicidio, et de incendio ( *excepto silvali* ) illi qui non habent, si convicti fuerint falsum dixisse testimonium, unde secundum legem compositionem plenam *reddere* possint, ( *idest widrigild*.

*Ad Legem XXXI.*

LEX.

Quibuscumque per legem propter aliquam contentionem pugna fuerit judicata, præter de infidelitate (1), cum fustibus pugnent (2), sicut in Capitulari Dominico prius constitutum *fuit*.

*Ad Leges XXXII. XXXIII.*

NOTA. *In Codice Veronensi ex duabus bisce Legibus unica Lex constituta videtur.*

*Ad Legem XXXIV.*

RUBRICA PRÆFIXA.

*De Pontificibus hæc Capitula.*

ADDITIO IN FINE LEGIS.

*In hoc Capitulo fiat commemoratum de viduis & orphanis Theodoris, Florinis, & Sergi.*

*Ad Legem XXXIX.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Placuit nobis, ut cuncti Judices, sive hi qui cunctis præesse debent, per quos *judicialis* potestas in hac urbe *Roma* agi *debet*, in præsentiam nostram veniant; volentes numerum, et nomina *eorum* scire, et singulis de ministerio sibi credito admonitionem facere.

*Ad Legem XLII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Et qui nonas et decimas neglexerit dare, primum quidem illas secundum *leges* restituat, et insuper bannum nostrum *solvat*, ut ita castigatus caveat, ne sæpius iterando beneficium amittat.

PARS FORMULÆ CORRECTIOR.

*Petre te appellat Martinus Episcopus cum Johanne suo advocato, quod tu habuisti neglegentiam dare* decimam X. *modias grani* etc.

*Ad Legem XLVI.*

LEX GLOSSATA.

Quicumque decimam abstrahit de ecclesia, ad quam per justitiam *eam* dare debet, et eam *præsumptuose*, vel propter munera, aut amicitiam, *vel* aliam quamlibet occasionem ad *alteram* ecclesiam dederit (*post III. Sacerdotum castigationes excommunicetur*, *&* ) per Comitem, *aut* per Missum nostrum distringatur ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat, *idest V. I. solis*.

Ad

(1) *Præter de infidelitate.*) Glossa interl. *scilicet, Regis.*

(2) *Cum fustibus pugnent.*) Abest a Codice: *& scutis*; prout abest & ab Ambrosiano.

*Ad Leges XLVIII. XLIX. L.*

NOTA. *In Codice Veronensi tres hæ Leges conjunctæ sunt, ut unicam Legem constituant.*

LEX XLIX. EX VARIA LECTIONE.

Ut in omni Comitatu hi, qui meliores inveniri possunt, eligantur a Missis nostris ad inquisitiones faciendas, et rei veritatem dicendam, et *ut* adjutores Comitum sint *ad justitias faciendas.*

PARS LEGIS L. EX VARIA LECTIONE.

Volumus ut quicumque de Scabinis deprehensus fuerit, *qui* propter munera, aut amicitiam, vel inimicitiam injuste judicasset, per fideijussorem *missus* ad præsentiam nostram compellatur venire. Cæteris omnibus etc.

*Ad Legem LVI.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Postquam Comes et Pagenses de qualibet expeditione *hastali* reversi fuerint, ex *eo* die super XL. noctes (1) sit bannum *recisum*, quod lingua Teudisca *dicimus eriscbild*, id est, armorum depositio vocatur.

*Ad Legem LVII.*

NOTA. *In Codice Euphemiano Lex incipit a verbis:* Si quis ex levi causa etc.

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur. Si autem non fuerit, publica pœnitentia mulctetur; nisi forte ipse *auctor* commotæ inter eos rixæ fuerit; tunc dominus ejus, juxta quod widrigild *ejus* est, ad Ecclesiam persolvat, aut *eum, si voluerit, eidem Ecclesiæ tradat.*

*Ad Legem LVIII.*

NOTA. *Hæc Lex in Codice Veronensi unicam Legem constituit cum præcedenti.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

De Ecclesiastico, & Fiscalino, & Beneficiario servo volumus, ut *pro una vice* (2) widrigild ejus componatur pro eo, altera vice ipse servus ad supplicium tradatur &c.

NOTA. *Post Legem LVIII. in Codice reperitur Lex CIII.* Quicumque propter cupiditatem &c.

*Ad Leges LX. LXI. quæ unicam Legem constituunt in Codice Veronensi.*

NOTA. *Lex exorditur in Codice a verbis:* De Vicariis & Centenariis &c.

*Post hanc Legem alia legitur:* De Placitis quidem, quæ liberi homines observare debent, Constitutio genitoris nostri (3) penitus observanda &c. *quæ habetur inter Leges Ludovici Pii l. XLI.*

*Ad Legem LXIII.*

RUBRICA PRÆFIXA.

*Hæc sunt Capitula exepta* (4) *usque:* Placuit.

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Volumus ut secundum jussionem Domni, ac Genitoris nostri unus mansus cum XII. *bichariis* de terra arabili *ibi* detur &c.

*Ad Legem LXIV.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Et si ad Palatium pro hac re reclamaverint, & literas detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur; sed cum custodia, & cum ipsis literis pariter ad palatium nostrum *retrahantur, ut* ibi discutiantur, sicut dignum est.

*Ad Legem LXV.*

PARS LEGIS CORRECTIOR.

Primo ut ubicumque *aliquod* malum *per hoc* perpetratum fuerit, *auctores* facti interficiantur, adjutores vero eorum singuli alter ab altero flagellentur, et *ut* nares *sibi* invicem præcidant etc.

*Ad Legem LXVI.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant a potentioribus per aliquod ingenium contra justitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant, aut tradant. Ideo & de liberis hominibus hoc diximus, ne forte parentes eorum contra justitiam fiant *exheredati*, et regale obsequium *muniatur*, et ipsi heredes propter indigentiam mendici, vel latrones, seu malefactores efficiantur. Et ut sæpius non fiant *manniti* ad placita, nisi sicut in alio Capitulo præcipimus, ita observetur.



(1) *Super XL. noctes.*) Glossa marg. *Nemo banniatur ad placitum, donec XL. noctes transeant.*

(2) *Pro una vice.*) Glossa interl. *idest, si semel peccavit.*

(3) *Constitutio genitoris nostri.*) Glossa interl. *in verbis, non in lege.*

(4) *Exepta.*) Lege: *excerpta.* Eadem rubrica legitur in Codice Estensi. Cui si fidendum est, consequens est legem LXX. *Placuit*, ad ea tantum Capitula referendam esse, quæ in hac serie leguntur. Verumtamen fateor, ejusmodi rubricis & glossis, quantumvis perantiquis, adeo fidendum non esse, ut res pro certa habeatur.

*Ad Legem LXVII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Decernimus, *ut* ſi quis aliter teſtes habere non potuerit, *volumus* ut per Comitis juſſionem teſtes (1), quos in ſuo teſtimonio neceſſarios *quiſquis* habuerit, veritatem *prolaturi in publicum conventum* adducantur; ut per ipſos rei veritas cum juramento valeat inquiri. Quod ſi de duabus partibus fuerit inquiſitio facta &c.

*Ad Legem LXIX.*

PARS LEGIS GLOSSATA, SEU EX VARIA LECTIONE.

*Notarius* autem hoc jurare *debet*, quod nullum ſcriptum falſum *faciat*, nec in occulto ( *aliquod ſcriptum faciat falſum* ), nec de uno Comitatu in alio ( *ſcribat* ), niſi per licentiam *illius* Comitis, in cujus Comitatu ſtare debet. Si vero neceſſitas in itinere *aliquid* compulerit, aut infirmitas gravis, ſecundum Kapitulare *Domni* ac Genitoris noſtri *faciat*. *Quod* ſi aliter fecerit, inane & vacuum appareat.

*Ad Legem LXXI.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Similiter obſervandum eſt, ſi vocati fuerint, audito inimicorum noſtrorum adventu, & contigerit, *quod hoſtis non* ſupervenerit; hii qui vocati fuerint, & venire noluerint, unuſquiſque ſecundum legem emendet.

*Ad Legem LXXII.*

LEGIS INITIUM GLOSSATUM.

*Ut* ſi cujuſcumque ( *Longobardi* ) ſervus &c.

FORMULA.

*Maria cum Donato tuo tutore te appellat Martinus, quod tu es ſua ancilla, & malo ordine ſubtrahis te de ſuo ſervitio.* —— *Libera ſum naſcendo.* —— *Hoc dico ego, quod tu te ſciente ſociaſti te in conjugio cum Dominico meo ſervo, & eſt tranſactus annus.* —— Probet, aut taceat.

*Ad Legem LXXIII.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

Concedimus *etiam* Gaſtaldiis noſtris curtes noſtras providentibus, ſi proprio eorum pretio res emerint, aut quolibet juſto *adtractu* adquiſierint, ſicut lex illas ad noſtram partem *concedebat*, ita nos eas illis concedimus, ſi in ſervitio noſtro fideles inventi fuerint.

*Ad Legem LXXVI.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si forte quiſpiam aliquem mallaverit, & ille qui mallatus *fuit*, dixerit eum ſervum ſuum eſſe, vel alius in ipſa altercatione veniens eum ad ſervitium mallaverit, *jubemus*, ut *præſentaliter* ſe *vadient*, ut *aut* ad primum, *aut* ſecundum, *vel* tertium placitum cauſam ipſam *deliberent*. Inter placitum, & placitum, ſint dies XV. &c.

*Ad Legem LXXVII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Si vero aliquis alium ad ſervitium mallaverit, & ille, qui mallatus fuerit, *probanda ſua libertate vadia* dederit, jubemus, ut ſupra, ut ad primum, aut ad ſecundum, vel ad tertium placitum cauſam *ipſam* deliberent. Inter placitum & placitum ſint dies XV. &c.

AD FORMULAM.

*In Codice deſiderantur verba* : & ita ſit &c.

*Ad Legem LXXVIII.*

INITIUM LEGIS.

Volumus, ut ſi quælibet perſona in finibus regni noſtri ignem in *ſilvam convivare* (2) *auſus* fuerit &c.

*Ad Legem LXXXII.*

PARS LEGIS.

Et ſi quis eos contra hanc noſtram auctoritatem, & eorum legem pignorare, aut *diſtinguere* (3) præſumpſerit, patrono *ejus* omnia cum lege (4) emendet, & inſuper pro præſumptione bannum noſtrum componat.

*Ad Legem LXXXIII.*

LEX EX VARIA LECTIONE, ET GLOSSATA.

Ut *omnis Epiſcopus*, *Abbas*, & *Comes* excepta infirmitate, vel noſtra juſſione, nullam excuſationem *habeat*, *qui* ad placitum Miſſorum noſtrorum *veniat*, aut *talem Vicarium ſuum mittat*, qui in omni cau-

(1) *Ut per Comitis juſſionem teſtes &c.* ) Gloſſa marg. *Qui teſtes non debent compelli a Comitibus dicere teſtimonium, niſi XV. diebus, ut in his obſervent judicium, ut legitur in IIII. libro Codicis*. Vide Juſtiniani Codicem libro IV. Tit. XX. art. XIX. Ita Romana jura, & quidem Juſtinianæa, Langobardicis foris aptabantur.

(2) *In ſilvam convivare.* ) Gloſſa marg. *De hoc incendio nec pugna ſit, nec cum teſtibus probatio.* Haud ſemel in Codice noſtro in legibus, quæ de incendio agunt, gloſſa intermixta occurrit: *excepto ſilvali*: hoc enim legi & regulæ peculiari ſubiiciebatur.

(3) *Diſtinguere.* ) Lege, *diſtringere*; prout in edito.

(4) *Omnia cum lege.* ) Gloſſa marg. *ideſt, ſibi nonum, ſi eſt Longobardus, vel in quadruplum, ſi eſt Romanus, vel ſecundum legem ejus,*

causa pro illis rationem reddere possit. ( *Excepto Comite aliquando*.

*Ad Legem LXXXIX.*

PARS LEGIS.

De homicidio, unde lex pro simplicitate (1) probationem trium testium quærit, *&* testes habere non *potuerit* &c.

*Ad Legem XCIV.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

De judicibus inquirantur, si nobiles (2), & sapientes, & Deum timentes constituti sint; jurent, ut juxta suorum intelligentiam rectum judicent, & pro muneribus, vel humana gratia justitiam non pervertant, nec differant; et quod judicaverint, confirmare sua *subscriptione* non dissimulent etc.

*Ad Legem XCVII.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE,

Si vero negaverint *fuisse traditas*, juret cum suis sacramentalibus.

*Ad Legem XCIX.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Consobrinam, *nepotem*, *novergam*, fratris uxorem, ( *& sponsam* ) vel etiam de propria *conjunctione* (3), aut quam cognatus *habuit*, nullus audeat in conjugio copulare etc.

*Ad Leges C. CI. CII.*

NOTA. *Hæ tres Leges desiderantur in Codice Euphemiano.*

*Ad Legem CIII.*

LEX UT VIDETUR GLOSSATA.

Quicumque propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratrem, *vel* sororem, *aut* nepotem, vel alium propinquum suum interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat. ( *Interfectoris vero hereditas in fisco redigatur*. ) Ipse vero, ordinante Episcopo, publicæ pœnitentiæ *subdetur*.

*Ad Leges CIV. CV. CVI.*

NOTA. *Leges istæ non reperiuntur in Codice.*

# LUDOVICUS II.

## EXPLICIT LIBER QUARTUS, INCIPIT QUINTUS.

*Ad Legem IV.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

De judicio (4) autem judicis *ideo* frequenter, quia omnino consuetudinem judicandi *juste* judicibus *offerre* volumus: Sed tantum secundum scripturam judicent, *ut* nullatenus *audeant* secundum arbitrium suum *judicare*; sed *dicant* pleniter (5) legem scriptam. De quo autem non est scripta, hoc *nostro consilio* habeatur in quibusdam.

*Ad Legem VIII.*

LEX EX VARIA LECTIONE.

De his conjunctionibus, quæ secundum Canones *aut* Edictum copulatæ esse non possunt, placuit nobis, ut separentur ab invicem. (*6*)

---

(1) *Pro simplicitate.* ) Glossa marg. *idest, homine simpliciter stante occiso, qui per legem mori non debet.* Glossator hic marginalis innuit, se esse recentiorem Henrico II., qui homicidas quosdam morte mulctari præcepit.

(2) *Si nobiles.* ) Glossa marg. *Nobiles sunt, quorum majorum parentum suorum nemo servituti subjectus sit.* Qui scilicet antiquitus *ingenui*, hoc tempore *nobiles* salutabantur. Antiqua Barbarorum *nobilitatis* notio degeneraverat, & familiæ *nobilium* appellatione donatæ maxime excreverant, ex quo ingenui nobilium titulo nuncupati fuere. De his quædam dixi in Præfatione generali Volumini I. hujus Collectionis præfixa pag. XII.

(3) *De propria conjunctione.* ) Glossa marg. *usque ad septimum gradum, ut dicit Beatus Isidorus.*

(4) *De judicio &c.* ) Legem hanc ut & alias nonnullas Muratorius protulit ex Codice Estensi, qui, ut dixi, Veronensi perquam similis est. Unam ego hic iterum trado, quoniam variantia quædam exhibet notabilia, & meo judicio correctioris lectionis est.

(5) *Dicant pleniter.* ) Non *discant*, ut Muratorius habet. Munus namque erat Judicis *dicere* legem, hoc est publice legere, seu recitare legem, quæ circa rem, de qua agendum erat, versabatur. Ipse Veronensis Codex ejusce rei exempla suppeditat. Vide Form. Veron. ad leges CLXXXII. & CXCVI. Rotharis Vol. II. hujus Collect. pag. 467. ut & aliam ibidem pag. 473.

(6) *Ab invicem.* ) Sic terminat lex ista in Codice Euphemiano.

GUI-

# G U I D O.

## EXPLICIT QUINTUS, INCIPIT SEXTUS.

### *Ad Legem I.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Placuit nobis etiam summopere statuere, ut Episcopi et Comites uniti sint in suis Parochiis, et in Comitatibus, pro pace et salvatione *in omnibus hominibus* honoribus in suis habitantibus; ita ut nullum prædonem, raptorem, vel incestum permittat morari in suis sedibus, vel concessis honoribus etc.

### *Ad Legem II.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Servi autem LX. ictus accipiant, si *tamen* probatum fuerit, quod eis denuntiatum fuisset.

### *Ad Legem III.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

Nemo Comes, neque loco positus, neque Sculdasius ab Arimannis suis aliquid per vim exigat, præter quod constitutum legibus est (1) etc.

### *Ad Legem V.*

PARS LEGIS EX VARIA LECTIONE.

*Et* si quis adquisitor extiterit, non *ante* invadere (2) alienas res *vel* Ecclesiæ, vel *quispiam* hominis præsumat, antequam auctor chartulæ legali & judiciali diffinitione eas vindicet: et tunc demum, cui vult liberam habeat tradendi facultatem etc.

### *Ad Legem VI.*

P A R S L E G I S.

Similiter et ostensor chartulæ cum XII. sacramentalibus suis, sicut legitime jurare valeat, ipsam chartam veram et idoneam faciant. Interpellator aut primum juret, quod se sciente nihil aliud, *quam* verissimam, et justam rationem exquirat in omnibus. Si autem Notarius se subtraxerit, et chartam suo nomine scriptam idoneam minime confirmare potuerit, nulla redemptio ei concedatur, sed manum propriam amittat: et ostensor ipsius post rerum amissionem widrigild suum componat. Et si Notarius defuerit, et testes supervixerint IIII., ipse ostensor *cartæ* cum ipsis testibus, et cum duodecim sacramentalibus suis, sex suis propinquis (3), *se septimo*, et quinque aliis idoneis, ostensis (4) primum duabus aliis *cartis manus collatione* (5) *ab eodem Notario* scriptis ipsam tertiam chartam per sacramentum veram et idoneam *faciat*. (6)

PARS FORMULÆ CORRECTIOR.

Appellator juret: *De hoc, unde cartam hanc falsam appellavi, me sciente nihil aliud, nisi verissimam & justam rationem exquiro in omnibus modis. Si Deus.* —— Appellatus: *Hæc carta vera & idonea est. Si Deus.* —— Sacramentales: *Quod ipse juravit, verum juravit. Si Deus.* —— Notarius: *Hæc carta vera, & idonea est. Si Deus.* —— Sacramentales: *Quod ipse juravit, verum juravit. Si Deus.* —— Testis unus: *Hæc carta vera & idonea est. Si Deus.* —— Cæteri: *Quod ipse juravit, verum juravit. Si Deus*, &c. —— *Et infra.* —— Ostensori, si uterque, id est Notarius, & ostensor se subtraxerit, Notarii manu abscissa, testibus widrigild multatis, ipse ostensor rem amittat, widrigild tribuat &c. —— *Et versus finem.* —— Similiter de testibus providendum est.

GLOSSA SUBNEXA, SEU LEX.

*De cartis (7) quæ a quibusdam personis falsæ appellantur, constituimus, si testes mortui fuerint, & Notarius supererit, cum XII. juratoribus, ut veram & idoneam cartam faciat, juret.*

OT-

(1) *Constitutum legibus est.*) Glossa marg. *idest, ut faciat tria placita custodire, & pontes, & vias, & opera legalia facere.*

(2) *Non ante invadere &c.*) Glossator marginalis vim legis exemplo explicare contendit, his verbis: *Hoc est, quidam invasit, & aliquo fortuito casu rem amisit, & post alii inde cartam fecit, & emptor inde eandem rem occasione ejus cartæ invasit; quia ex voluntate legis colligitur, si aliquis, cujus res juste sit, alicui cartam fecerit, quod ille, qui habet cartam, optime potest invadere.*

(3) *Sex suis propinquis.*) Glossa marg. *Et si ostensor parentes non habuerit, tamen non debet perdere causam suam, sed cum aliis sacramentalibus juret.*

(4) *Ostensis &c.*) Glossa marg. *Si Notarius nunquam scripserit cartam antea, sed illa prior, fiat comprobatio etiam ex alia sua scriptura, ut legitur in Novellis.*

(5) *Manus collatione &c.*) Glossa marg. *De collatione si fuerit altercatio, juret collator, deinde faciat comparationes, ut legitur in Novellis.*

(6) *Veram, & idoneam faciat.*) Glossa marg. *Si Notarius est absens, vel alia justa causa in judicium impeditur venire, faciat ostensor quod debet facere, si Notarius est mortuus, ut videtur in Novellis.*

(7) *De cartis &c.*) Lex, seu Glossa exhibens partem legis, quam Baluzius, aliique Lothario I. tribuerunt.

# OTTO II.

## AD PROLOGUM

VARIÆ LECTIONES.

TEmpore *igitur*, quo piissimus Rex Otto Romæ unctionem suscepit Imperii, *residentis* in Sinodo *summa* & universali *Papæ Donni Joannis tertio decimo* anno (1) ab Italiæ Proceribus est *adclamatum* &c. *Et infra:* Quo gloriosissimi *Augusti* Ottonis (2) *Rex* Otto *gloriosus filius* &c.

EXPLICIT LIBER SEXTUS, INCIPIT SEPTIMUS.

*Ad Legem I.*

PARS FORMULÆ CORRECTIOR.

Pœna est utrique falsatori victo, ut rem refutet, manum perdat, aut redimat, & secundum obligationem chartæ emendet &c.

*Ad Legem II.*

PARS FORMULARUM CORRECTIOR.

Jurent, sicut dicunt, & faciant pugnam, & ut nullus alteri debeat ardire &c.

Infra: *Vis ei ardire?* —— *Volo.* —— *Et tu* etc.

Infra: *Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus de quanta terra tu tenes in Regaliis, & tu malo ordine eum disvestisti.* —— *Terram habeo in ipso loco* &c.

Infra: *Seu brolo, omnia in uno tenente* &c.

*Infra:* Cujus placiti vadimonia per usum debent esse cum fidejussoribus taciti pœna.

*Infra:* Vel ita: *De hoc, unde Martinus appellavit Johannem, quod ipse Martinus fuisset investitus* ad *proprium de petia una de terra, quæ jacet in tali loco, & Johannes eum disvestisset malo ordine, se sciente eum de torto non appellavit. Si Deus.*

*Et versus finem:* Pœna quidem est talis. Appellatori si victus fuerit, ut terram refutet, widrigild solvat, & secundum legem victoris (sæpe) emendet. Appellato, ut bannum persolvat, widrigild donet, & secundum legem appellatoris emendet.

*Ad Legem III.*

NOTA. *Hæc Lex est secunda in Codice Euphemiano.*

*Ad Legem IV.*

PARS FORMULARUM CORRECTIOR.

Si vero subtus XX. sol. fuerit &c.

Infra: *De torto me appellasti; aut X. mihi deposuerunt* &c.

*Infra:* Appellati quidem, si Romanus est victor, ut depositum duplicent, si inficiantur dolum ex quatuor casibus depositi &c.

*Ad Legem V.*

PARS FORMULARUM CORRECTIOR.

Si vero appellatus, carta ei reddatur etc.

*Infra:* Si vero appellatus dixerit: *Ecce carta, quam pater suus mihi fecit;* et appellator dixerit. *Illa carta nihil mihi impedit* etc.

*Ad Legem VI.*

PARS FORMULARUM CORRECTIOR.

Quæ vadimonia habeant fidejussores tacita pœna etc.

*Ad Legem VII.*

PARS FORMULARUM CORRECTIOR.

Si vero dixerit warens: *sum:* tunc accipiat rem reddito pretio etc.

*Infra:* Similiter pœnæ per secundum sit usque ad tertium. Postea interroget tertium; quid sibi pertinet? etc.

*Infra:* Approbet et retineat; vel solus juret, & retineat; et hoc per usum etc.

*Ad Legem IX.*

*Lex hæc desideratur in Codice Euphemiano.*

*Ad Legem XII.*

*Hæc pariter Lex non invenitur in Codice.*

# OTTO III.

VARIÆ LECTIONES.

F*Estorum placito* Rex tertius invidet Otto.

*Infra.*

In Natali vero Domini, in Epiphania, *in diebus quadragesimalibus*, in Pascha, Ascensione, *Pentecostes*, in diebus Dominicis, & in festis præcipuis, *& in statutis jejuniorum diebus*, judiciarios motus exequi, publicas quæstiones appeti, ut omni cum vigilantia solemnitates, *quod* Christianorum *est*, celebrentur, penitus prohibe-

(1) *Tertio decimo anno.*) Idem & in Codice Estensi non numeris, sed disertis litteris scriptum est. Error utrobique, ut Muratorius animadvertit.

(2) *Augusti Ottonis.*) Glossa interl. *scilicet, primi.* Errat Heroldus, leges Othonis II., uti & subsequentem Othonis III. tribuens Othoni I.

bemus. Hæ sunt (1) Festivitates præcipuæ in anno, quæ per omnia venerari debent. *Natalis Dni*. S. Stephani (2) &c.

# HENRICUS I.

Pars Prologi correctior.

PRobabilium *personarum nostri Imperii fidelium* acceptione disponimus. Cum tempore Autumni in parte *Herisantiæ* nostri regni &c.

*Infra:* Lunensis *Vulterensis*, Marchionum quoque &c.

*Infra:* Quæ ut ab *hominibus* nostri Imperii observentur &c.

# HENRICUS II.

*Ad Legem I.*

Pars legis correctior.

HEinricus divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus, *omnibus*. In legibus etc.

*Infra*: Quia enim *illud* Constitutionis Edictum, ubi Clerici jurare prohibentur, *a Theodosio* Augusto *Tauro Præfecto Prætorio* de Constantinopolitanis Clericis promulgatum fuisse videtur etc.

*Infra*: Ut ergo hæc dubietas omnibus penitus auferatur, illam Divi *Theodosii* Constitutionem ita interpretari decernimus, ut ad omnium ecclesiarum Clericos generaliter pertinere *videtur*. Nam cum Divus Justinianus jure decreverit, ut Canones Patrum vim legum habere oporteat, et *nullis* Patrum Canonibus reperitur, ut Clerici jurare audeant etc.

*Infra*: Ut *non Episcopus*, *non Presbyter*, *non* cujuscumque ordinis *clerici* etc.

*In fine:* Sed suis idoneis advocatis hoc officium *liceat* delegari.

*Ad Legem II.*

Pars legis correctior.

Heinricus divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus, *omnibus Longobardis*. Infra. Dum in *Turegi* universali conventu Longobardorum sederemus, hujusmodi legem Episcoporum, Marchionum, Comitum, aliorumque multorum nostrorum fidelium consensu, et auctoritate probari sancimus. etc.

*Infra:* Ita tamen ut pretium decem librarum pro legitimo *widrigildo* propinquis peremti *primum inde* detur. Reliqua rursus medietas *eisdem* propinquis veniat, altera autem medietas ad fiscum *succedat*. etc.

*Infra:* Si vero servus; per judicium se defendat, aut similem sententiam *incidat* etc.

*Infra:* Hominibus prædicti reatus *noxiis* refugium etc.

*In fine:* Omniumque nostrorum indignationem incurrat, ( *nisi se defenderit*, *ut diximus*.

*Ad Legem III.*

Pars legis correctior, seu ex varia lectione.

Heinricus divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus, omnibus.

*Infra:* Erga ea quæ ad cultum justitiæ pertinent, jugiter solicitari debemus. Quapropter cum *Turegi* universali conventu etc.

*Infra:* Hujusmodi sententiam *diffinimus*, omnia scilicet, quæ sancti Canones, *vel* sacræ Leges nostrorum *Præcessorum* inde *statuunt*, summa auctoritate *confirmavimus*; et *inde* nostro Imperiali jure addimus etc.

*Infra:* Omniumque bonorum eorum medietas ad fiscum deveniat; altera vero medietas propinquis parentibus *legitimis* hereditario jure deveniat: et quicumque etc.

Additur Lex.

Heinricus divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus, omnibus. Decet imperialem solertiam contemptorem suæ præsentiæ capitali damnare sententia.

EXPLICIT LEX LOMBARDA.
DEO GRATIA. AMEN.

---

(1) *Hæ sunt &c.*) Quæ sequuntur, Glossatori tribuantur. Desiderantur & apud Heroldum. Habentur in Veronensi Codice, uti & in Estensi, qui fere per omnia assimilatur nostro.

(2) *Natalis Dni. S. Stephani.*) Non, *Natalimbum S. Stephani*, ut errate in Estensi scriptum est.

*Nota*. Ad legem I. Henrici I. hæc habentur in margine: *Hic loquitur de paraphernis mulierum*.

SU-

# SUPERIOR CURIA.

## SCRIPTURÆ SEPULCHRI,

SEU

## ASSISIÆ, ET CONSUETUDINES

REGNI HIEROSOLYMITANI

*AB INCLITO DUCE GODEFRIDO BULLIONÆO, PRIMO IN REGEM ELECTO, INSTITUTÆ,*

*Inde vero emendatæ & auctæ,*

A Johanne de Ibelin Comite Joppe, & Afcalonæ, Domino Ramæ &c., reftitutæ

*Et Sereniffimæ Reipublicæ Venetæ auctoritate in Italicam linguam translatæ, Joanne de Nores Comite Tripolis, Francifco Attario, Aloyfio Cornelio, Regni Cypri Baronibus, Verfioni Præfectis.*

ADDUNTUR

Affifiarum Breviaria duo *Textus expreffi* nuncupata, Vetus feudale Decretum Venetum fpectans ad Cretenfe Regnum, & alia nonnulla Monumenta.

# IN ASSISIAS
## REGNI HIEROSOLYMITANI
### *MONITUM COLLECTORIS.*

---

ASsisiarum Regni Jerusalem historiam & fata alibi recensentes (1) spectavimus Jerosolyma Saladino dedita periisse quidem authenticos codices, sed Assisiarum earundem usum latius & illustrius viguisse. Etenim præter Hierosolymitani Regni reliquias, ubi illarum usus perdurabat, ipsæ haud multo post receptæ fuere pro lege Regni Cypri, Guidone Lusiniano regnante, prout ad annum MCLXXXXII. refert Illustris Scriptor Johannes Franciscus Lauredanus in historia Lusinianorum, quam edidit suffecto nomine Equitis Henrici Giblet (2). Paucis vero post annis Romaniæ Imperio in Venetorum & Francorum ditionem redacto pro lege Imperii adoptatas fuisse, præter ea, quæ alias disseruimus (3), firmat testimonium Pauli Rhamnusii, quod hic referri meretur (4): *Balduinus Orientis Imperator coronatus, tametsi regendo Imperio ab priscis Augustorum legibus multorum sæculorum spacio sacrosancta majestate toto Orbe venerandis sibi minime recedendum existimaret, ut tamen jus ipsum, quod aut nullum aut durum in Græcia eo sæculo receptum erat, æquius melius pro tempore institueret, redderetque, leges Hierosolymarii Regni militares pariter & civiles (eas quasi Regum scita, vel Concilii, cœtusque Gallorum responsa, vetere gentis vocabulo Assisias vocant) Constantinopolim transferri jussit, centum retro annis a Gallis Principibus & Hierosolymorum Patriarcha in Syria editas, postquam Hierosolymas in Christianorum potestatem vindicassent, Gotbofredumque Bullionem, ac secundum eum Balduinum fratrem Reges appellassent. Quibus legibus eo tempore Almericus Luscinianus Cypri Rex, una & Galli Proceres Hierosolymarii Regni reliquiæ, Antiochenus Princeps, Edessanus & Tripolitanus Comites utebantur. Ita Balduinus de beneficiis, sive feudis, Imperii muneribus & honoribus, simul & servitiis sive operibus imponendis & indicandis, Imperatorique ex beneficiaria lege per clientes & vassallos præstandis (quod antiquioribus Gallicis, atque iis propriis verbis conscriptæ leges, binis Assisiarum, institutorumque majoris & minoris Curiæ libris, apud Gallos præsertim in terra Græcia multum autboritatis essent babituræ) Cypro Constantinopolim delatas Assisias tanquam municipales statim promulgari jussit: ut iisdem, ceu fonte quodam, summatim & enucleate jus, tanquam per compendium, Baronibus, Equitibus, Francisque militibus redderetur. Hæ, dum Gallorum res sexaginta annorum spacio integræ Constantinopoli fuerunt, a Latinis Francisque bominibus pro legitimo jure babitæ, receptaque sunt.* Hucusque Rhamnusius.

Si fides non prostaret indubia, vix credibile foret, Assisias Regni Jerusalem late adeo excultas fuisse, dum earundem (saltem ad superiorem Curiam pertinentium) nulla superessent autographa, neque exemplaria, sed tantum, ut videtur, imperfecta schemata privata manu conscripta, adjumenta memoriæ, & inductarum consuetudinum testimonia. Profecto nonnulli Jurisconsulti, Proceresque in jure versati, quin & ipse Almericus Cypri & Syriæ Rex (5) curam adhibuerant, ut ex iis quæ memoria recolebantur & usu, Assisiæ eo quo fieri poterat modo, scripturæ restituerentur.

Omnia autem hac in re tentamina superavit egregius Procer Johannes de



---

(1) Monitum ad Assis. Cur. Inf. Vol. II. hujus Collect.
(2) *Istoria dei Lusignani di Enrico Giblet Cavalier, Libro I.*
(3) Monitum ad Librum Consuet. Imperii Romaniæ. Vol. III. hujus Collect.
(4) Paulus Rhamnusius de Bello Constantinopolitano lib. III.
(5) V. Ass. Sup. Cur. cap. fin. & Monumenta præposita.

Ibelin Comes Joppe, & Afcalonæ, Dominus Ramæ &c. fynchronus Friderico II. Imperatori, & Henrico I. Regi Cypri (1); cujus obitum ad annum MCCLXVI. rejicit Sanutus (2).

Teftatur ille, fe reftituiffe Affifiarum complexum juxta ea, quæ a fapientiffimis fui temporis audiverat, aut ipfemet obfervari confpexerat (3). Legalia fchemata ab aliis ante confcripta ipfum quoque præ oculis habuiffe ambigendum non eft; idque aperte colligimus ex iis, quæ retulere Proceres Regni Cypri, qui Affifiarum in Italicam linguam verfioni præfecti fuerunt (4).

Civilia, & feudalia jura Scriptor nofter non modo complete concinnavit, fed & placitandi formulas plano adeo, & exacto modo intermifcuit, ut ea etiam, quæ tricam, & forenfem rabulam fapiunt, non prætermiferit. Nonnulla quoque interferuit ad Jus Publicum Regni Jerufalem pertinentia, quæ & politico Regni fyftemati, & illius faftis illuftrandis lumen effundunt.

Verumtamen candide fatetur inclytus Procer, codicem a fe compofitum haberi certo non poffe pro fincero ac genuino complexu Affifiarum, quarum ufus vigebat Jerofolymis, dum authentici libri affervabantur. Ejufmet verba audiamus Italice verfa animadverfione maxime digna (5): *Avanti che la terra fuffe perfa, fi ufava meglio di quel che non fi può far adeffo, perche noi le fapemo* ( le Affife ) *affai poveramente; & quel che fapemo, non lo fapemo fe non per alduta, & per l' ufanza, & noi tenemo per affifa quel che havemo vifto ufar per affifa, digando haverfi intefo che tale è quella affifa, & non fi sà, fe quella è perfetta, o non; ma l' homo le dice fecondo la fua netta confcientia, fecondo quello che intende: Molto meglio fi poteva ufar & operar fecuramente al Reame de Hierufalem, avanti che la terra fuffe perfa, là dove erano le affife, fi come diffe nel prologo di quefto libro, perche da poi perfa la terra fu perfo il tutto.*

Nihilo tamen fecius fummo honore receptus fuit liber Comitis Joppe, cujus authoritas eoufque invaluit, ut vice publici & authentici Affifiarum voluminis habitus fuerit in Regno Cypri, ubi anno MCCCLXVIII. decretum fuit, ut liber ipfe quam fieri poffet emendatior, adinftar antiqui autographi Jerofolymitani, in Cimeliarchio Sanctæ Matris Ecclefiæ Leucofienfis reconderetur in arca, quatuor ligiorum hominum obfignata figillis (6), ipfe in dubiis cafibus confulendus. Atque hic idem liber Comitis Joppe quafi authenticus legalis codex fæculo XVI. Venetæ Reipublicæ authoritate in Italicam linguam in Cypriorum ufum translatus, & typis editus fuit, quem modo recudimus.

Pronum eft credere, ipfum quoque codicem ufu receptum fuiffe in reliquiis Imperii Romaniæ, ubi Affifiæ Jerofolymitanæ jam adoptatæ fuerant pro jure. Alias obfervavi (7), Capitula nonnulla inter Confuetudines Imperii Romaniæ recenfita, quorum obfervantia in Achajæ Principatu vigebat, a me collata, prout otium permifit, & opportunitas fefe obtulit, cum Affifiis a Comite Joppe confcriptis, non modo rebus fed & verbis ad invicem maxime congruere.

Sed & hodierna die liber ipfe maximo emolumento non caret, præfertim apud Gallos recenfentes Jerofolymitanas Affifias ut juris Gallici fontes puriores; quo fit, ut earundem ftudium, fi non inter forenfes omnes, faltem inter eruditos effloruerit. Et elapfo quidem fæculo Affifias a Comite Joppe defcriptas, eruditifque animadverfionibus refertas ediderat Gafpard Thaumas de la Thaumaffiere vir fane doctus, fed non omnino felix; quippe qui perfectum, fincerumque codicem non habuit, quem typis mandaret.

Optimos codices poffidet Sereniffimus Princeps nofter. Cum enim imperata Italica verfione Excelfi Decemvirum Confilii Decreto præceptum fuiffet, ut una cum verfione ipfa exemplar quoque Gallicum Venetias tranfmitteretur; nobili erga Summum Imperantem obedientia, ipfe Comes Tripolis, primus inter eos qui verfioni præfecti fuerant, e Cypri Regno Venetias progreffus omnium egregios vetuftos codices, qui tunc in univerfo Regno adinventi fuere,

(1) V. Ibid. C. CCXX.
(2) Sanuti Secreta Fidelium Crucis lib. 3. p. XII. c. 8.
(3) Afs. C. S. c. V.
(4) V. Monumenta præpofita.
(5) Affifs. C. S. c. fin.
(6) V. Monumenta præpofita.
(7) V. Monitum ad Lib. Conf. I. R. Vol. III. hujus Collect.

re , obtulit Decemvirali Confilio. Quo honore oblati codices, eodem quoque recepti funt, & in Decemvirum adyto ufque modo fancte reconditi. Sed hoc noviffimo tempore inacceffi tabularii ornamento invidit beneficentia Principis, qui, ut in publicam cedant utilitatem, codices ipfos transferre juffit in Bibliothecam Ducalem D. Marci.

Res gefta non morata. Translatorum codicum notitia Lutetiam ufque, immo ad Chriftianiffimi Regis aures pervenit , qua permotus eft , ut a Veneto Senatu expeteret exemplaria. Ante duos circiter annos , ex Principis noftri mandato digniffima tanto Regi munera parantis apographa defcripta funt eadem nobilitate , forma , & charactere , ut picturam potius referentia , quam fcriptum exemplar , evadant in veram imaginem codicum originalium. Et opus hoc optimum jam effectum fortitum eft , cum præfidem habuerit diligentiffimum , & in palæographia apprime verfatum Ducalis Bibliothecæ Cuftodem Jacobum Morellium.

In hifce autem Codicibus perdocti Galli præter Affifias Italice editas, alia quoque adinvenient præclara monumenta, quibus legalia præcipue inftituta Regnorum Jerufalem & Cypri adhuc exactius dignofci poffint, atque illuftrari.

Neque modo Gallis , fed & eruditis omnibus præftantiffimum lumen effundet, ut Barbararum antiquitatum notitia , ita & ftudium vetufti juris feudalis late quondam vigentis præfertim more Francorum, quod in Affifiis, quas edimus , belle enucleatur . Hifce namque ftudiis neglectis in offendicula ruunt , qui fcribere fufcipiunt animadverfiones in res a veteribus geftas , immo & in pleraque hodie vigentia civilia , atque ecclefiaftica jura ; qui cum eruditionis & fcientiæ fama polleant , lectorem in fententiam facile rapiunt , ut & me quondam rapuerant. Ut unum e multis afferam, plura ad Romanæ, aliarumque Ecclefiafticarum Curiarum mores fpectantia ( præfertim quæ rem beneficialem refpiciunt) traducuntur ut nova inventa, ut infirmo fundamento fuperftructa, nonnunquam etiam ut invafa; cum vere non fint nifi antiquæ civiles confuetudines in rem ecclefiafticam inductæ , Principum & populorum confenfu recognitæ, & longiffimi temporis præfcriptione firmatæ.

Egregium vero , amœnumque pabulum præbetur Barbararum antiquitatum ftudiofis, qui ex puris hifce fontibus haurient feudalia inftituta , quæ pepererunt orbi politico , ut maxime eruditi Galli verbo utar (1) , *infinita bona , & infinita mala ;* & quorum origo tanta eft antiquitate veneranda , ut Europæas omnes hiftorias & monumenta antecedat. Hifce quoque inhærent vivendi confuetudines, quarum varia fata politicam & moralem, immo etiam phyficam globi Europæi faciem immutarunt. Perpendendum propono nobile argumentum, quamvis ea, qua par eft dignitate illud ego tractare non valeam. Sed ne id prorfus intactum relinquam, nonnulla ad rem pertinentia fubjiciam eruditorum judicio. Igitur exordiamur ab ovo.

Antiquis Europæis infita , quafi axioma , fuerat fententia , ( quæ adhuc hodie apud plerafque exteras gentes vigere fertur ) ex inftinctu, & conftitutione naturæ vim & fortitudinem juftiffimum præbere titulum acquirendo & retinendo rerum dominio; ficuti ex conftitutione naturæ ftatutum eft , ut pifcis magnus parvum devoret. Hanc habebant , ut legem antiquiffimam , legem univerfalem, quam Brennus Gallorum Rex appellaverat (2) *ab ufque Deo incipientem, & ad beftias ufque finientem. Nam hoc naturæ quodam inftinctu infitum eft, vivendi gratia, plura habere potentiores inferioribus.*

Sententiam pulchre defcribit Albertus Krantzius de Barbaris differens in paganifmo fentientibus *jufte poffideri* (3) , *quicquid vi , aut armis quæreretur. Quam fententiam inter Chriftianos necdum multi antiquavere , armatam præfertim militiam fequentes : quorum ea ratio eft , ut inter belvas in agris & faltibus , in aquis inter pifces, & in æthere inter volatiles , imbecilliora quæque præda funt ferocioribus; ita ducendum inter homines.*

Inde repetenda laus, & juftitia jurium fervitutis, monomachiæ, raptus, pira-



(1) Montefquieu *Efprit des Loix* lib. XXX. art. 1.
(2) Apud Plutarchum in Camillo. (3) Krantzius Vandaliæ lib. I. c. VII.

raticæ, latrociniorum &c. Ex quo enim Deus & natura vires & fortitudinem tribuunt, eo ipso justum acquirendi & possidendi titulum præbent. Quare nil mirum, si quondam populi latrociniis, & deprædationibus adeo addicti forent, ut qui cæteroquin clandestina furta quasi turpe facinus exhorrescebant, violentis rapinis extra propriæ civitatis, vel fœderatarum gentium, limites perpetratis honorem, gloriamque tribuerent, ut turpe haberetur hisce operam non navare. In re eruditis jam nota aliquantulum immorari non pigeat.

De Scythis circa Euxinum degentibus canit Ovidius (1):

*Innumeræ circum gentes fera bella minantur,*
*Quæ nisi de rapto vivere turpe putant.*

Iberi ulteriorem Hispaniam incolentes inter honestissima munera referebant latrocinia, quorum opinionem, si Plutarcho fides, compescuit Marius, qui *ulteriorem Hispaniam* (2) *sorte assecutus, eam provinciam latrociniis repurgasse fertur, indomitam adhuc moribus, & feram; & tunc Iberos prædari non amplius honestum putavisse.*

Paria quoque de Græcis, Barbarisque conterminis fuse refert Thucidides (3): *Olim*, inquit, *Græci & Barbari, quotquot in continente degebant, marique vicini erant, quique insulas incolebant, postquam navibus alii ad alios mare trajicere frequentius cœperunt, sese ad latrocinia converterunt, virorum potentissimorum ductu, tum quæstus sui causa, tum etiam ut victum pauperibus quærerent; atque adorti civitates nullis muris munitas, & quæ pagatim incolebantur, diripiebant, & maximam victus partem hinc comparabant. Quod hoc facinus nondum ignominiam haberet, immo vero nonnihil etiam gloriæ potius afferret. Hoc autem nunc etiam cum alii nonnulli, qui in continente habitant, manifeste declarant, quibus decori est hoc egregie exercere; tum etiam antiqui poetæ, apud quos illi ultro citroque navigantes, ubique eodem modo interrogantur, numquid sint latrones; quod neque illi, quos interrogant, factum ut se indignum inficientur, nec illi, quibus curæ est scire, exprobrent. In mediterraneis etiam alii alios prædabantur. Et ad hoc usque tempus multi Græciæ prisco more vivunt, ut Locri, qui Ozolæ, & Ætoli, & Acarnanes, & qui finitimam horum agro continentem incolunt.*

Ut gentes alias transiliamus, eadem consuetudo viguerat & apud Germanos, de quibus nobis erit potissimus sermo: *Latrocinia*, ut de hisce gentibus Cæsar scribit (4), *nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt: atque ea juventutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant.* Idem innuit & Tacitus de iisdem pariter disserens (5): *Nec arare terram, aut expectare annum, tam facile persuaseris, quam vocare hostes, & vulnera mereri; pigrum quinimmo & iners videtur sudore adquirere quod possis sanguine parare.*

Perantiqua hæc instituta altas adeo radices egerant, ut etiam post susceptum Christianum nomen apud quasdam gentes ægre evelli potuerint. Affero inter cæteros luculentum testem Helmoldum (6): *Tres sunt Nordalbingorum populi, Sturmarii, Holzati, Thetmarzi, nec habitu, nec lingua multum discrepantes, tenentes Saxonum jura, & Christianum nomen; nisi quod propter Barbarorum viciniam furtis & latrociniis operam dare consueverint. Hospitalitatis gratiam sectantur. Nam furari & largiri apud Holzatos ostentatio est; qui vero prædari nesciat, hebes & inglorius est.*

Ex armorum & virium jure, nulla quoque peculiari exposita causa oritur identidem radicalis justitia suscepti gentis erga gentem belli, ut debiliore propulsa, vel subacta, fortior terrarum imperia ac dominia conquireret, ac retineret. Etenim, ut Legatus ille Tencterorum concionabatur ad Ubios (7), *Quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.* Ut merito de antiquis Danis scribat Albertus Krantzius (8): *Terram filiis hominum datam esse in prædam sunt arbitrati, ut tantum quis haberet, quantum armis occuparet.*

Mi-

(1) Ovidius Tristium Lib. V. Elegia X. (2) Plutarchus in Mario.
(3) Thucidides lib. I. (4) Cæsar de Bello Gallico lib. VI. c. VI.
(5) Tacitus Germ. c. XIV. (6) Helmoldus lib. I. c. 47. alias 48.
(7) Ap. Tacitum Hist. lib. IV. (8) Krantzius Daniæ lib. I. c. 14.

Mirandum ergo non eft, fi antiquiffimæ Europæorum refpublicæ militari conftitutione, quafi fundamentali lege, ordinatæ forent. Id namque pofcebat inoleta perfuafio, id exigebant inducti mores; ut fcilicet cives ad arma parati vel propria defenderent adverfus exterorum vim, vel aliena, dum e re erat, conquirerent, virium & belli honeftiffimo jure. Idem fubinnuit Thucydides, dum relato inter Græcos Barbarofque finitimos vivendi more hæc fubdit (1): *Quin etiam ipfe armorum geftandorum mos apud hos continentis incolas ex veteri latrociniorum confuetudine permanfit. Omnis enim Græcia geftabat arma, tum quia domicilia nullis munitionibus fepta habebant, tum etiam quia tuto commeare ultro citroque non poterant: & vitæ genus armis geftandis affuetum, ut Barbari, coluerunt. Græciæ autem populi, qui nunc etiam ita vivunt, fimilia vitæ inftituta olim & apud omnes fuiffe teftantur.*

Philofopho in focietatum civilium caufas & primordia inquirenti haud injucunda aperitur ratiocinandi materia. Principium in fortitudine & viribus naturalem dominiorum titulum ftatuens fpectemus (quale vere effe videtur) ut principium hominis extra civilem focietatem pofiti, & in liberæ, atque incultæ naturæ ftatu conftituti; fpectemus latrociniorum, violentarumque invafionum confuetudinem; fpectemus militares Refpublicas libera & æquali civium conftitutione firmatas. Facile, ni fallor, erit inferre, præfatarum Rerumpublicarum conftitutionem, immo ipfa juris focialis primordia, inter Europæos ortum duxiffe ex familiis fœderativo nexu in militiam confociatis, ut validius exterorum invafiones compefcerent, & viciffim, cum res pofceret, invafionibus in exteros felicius operam darent.

Noftri autem thematis non eft ifta difcutere, fed inquirere, quomodo conftitutio militaris fecum traxerit conftitutionem feudalem. Hoc, ut fpero, dignofcemus, fi ad veterem in Europa vivendi confuetudinem animum advertamus. Exemplar exhibeat Scythica natio, fummorum Principum triumphatrix, fundatrix Imperiorum, qua nulla antiquior, nulla fortior, nulla gloriofior, & quæ latiffime per Europam progeniem fuam, aut certe inftituta diffeminavit.

Scythici ergo fuit inftituti, valde admodum quondam diffufi, & a magna Scytharum parte diutiffime fervati, ut penitus neglecta foret agrorum cultura. Non illis frugum ufus, fed pecus, armentum, fylveftres apes, venatio, victum & tegumenta præbebant. Inde vita, qualis paftoralem & venatoriam, non aratoriam exercentibus conveniens effet. Nullæ urbes, immo nec ullæ domus, nec ullæ certæ fedes; perpetuæ per immenfum regionis tractum transmigrationes. Nulla civibus agrorum propria poffeffio; fed ad pafcua & venationes communi Reipublicæ agro uti jus erat.

Hanc vivendi rationem inter cæteros uno complexu pingit fcriptor diligentiffimus Juftinus (2): *Scythia . . . . multum in longitudinem & latitudinem patet. Hominibus inter fe nulli fines, neque enim agrum exercent: nec domus illis ulla, aut tectum, aut fedes eft, armenta & pecora femper pafcentibus, & per incultas folitudines errare folitis. Uxores liberofque fecum in plauftris vehunt, quibus, coriis imbrium hyemifque caufa tectis, pro domibus utuntur . . . Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle vefcuntur. Lanæ iis ufus ac veftium ignotus eft, quanquam continuis frigoribus urantur. Pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur.*

Hæc quæ mollibus noftris moribus comparata videntur agreftia, non continuo defignant rudem & incultam inftitutionem, quæ Scythicæ genti haud facile poteft adfcribi; fed potius conftitutionis militaris, quafi legis fundamentalis effectum; neglectamque fuiffe agrorum culturam, eadem præcipue de caufa, qua, ut alibi dixi (3), neglecta inter Barbaros fuerant ftudia litterarum; ut fcilicet Refpublica hifce non præpedita tricis egregios aleret milites, quibus robur corporis, animi magnitudo. Talis profecto evaferat Scythica natio, ut laudati Juftini verbis utar (4); *gens laboribus, & bellis afpera; vires corpo-*



(1) Thucydides l. c. (2) Juftinus l. II. (3) V. Præfat. Vol. I. præfixam.
(4) Juftinus l. c.

*rum immensæ : nihil parare quod amittere timeant : nihil victores præter gloriam concupiscunt.*

Jampridem compererant, ut mihi equidem videor, Scythæ, quod subinde Maximus Tyrius (1) comparatis exemplis animadvertit: *Agrum colunt Ægyptii, bellum gerunt Scythæ; fortes Scythæ, timidi Ægyptii; liberi Scythæ, servi Ægyptii. Agrum colunt Assyrii, bellum gerunt Persæ: serviunt Assyrii, regnant Persæ. Antea Lydi bellum gerebant; postea agricolæ effecti: cum liberi essent, bellum gerebant; servi effecti, ad agriculturam conversi sunt.*

Compererant, inquam, agricultura reddi populum ditiorem, non feliciorem, immo fortitudini, disciplinæ, & continentiæ militari, germina exinde emitti maxime noxia; cum cultus agrorum luxus divitiarumque paret primordia, quæ corporis & animi vires ut plurimum emolliunt, atque debilitant, & distrahunt hominem in irrequietas animi affectiones, spem, metum, desideria; sensimque trahunt ad vitia quædam & erga societatem delicta, quæ cum Scythicis institutis essent ignorata, multo tutius arcebantur quam si interdicta fuissent. Egregie Justinus de præfata Scytharum vivendi ratione differens, ad rem nostram subdit (2): *Hæc continentia illis morum quoque justitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. Quippe ibidem divitiarum cupido est, ubi & usus . . . Prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Græci longa sapientum doctrina, præceptisque Philosophorum consequi nequeunt, cultosque mores incultæ barbariæ collatione superari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis.*

Pari pene argumento philosophabantur & Fenni, Tacito referente (3), qui descripta hujusce gentis vivendi consuetudine, inope, libera, venatoria, hisce verbis prosequitur; *Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. Securi adversus homines, securi adversus deos, rem difficillimam assequuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit.*

Tutamen quoque ab invasionibus exterorum haud modice juvabat continentia Scytharum ævis illis, quibus latrociniorum prædarumque viguerat mos; cum luxu pene ignorato, divitiisque contemptis regio iis non afflueret, quæ finitimas alienasque gentes ad captandas prædas maxime allicerent. Quod Scythæ certiores facti de bello ipsis indicto a Vexore Ægyptio Rege optime perpenderunt, Regis ejusdem legatos hac oratione excipientes (4); *Miramur, tam opulenti populi ducem stolide adversus inopes occupasse bellum, quod magis domi fuerit illi timendum: quod belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifesta sint. Igitur non expectaturos Scythas, ut ad se veniatur, cum tanto sibi plura in hoste concupiscenda sint; ultroque prædæ ituros obviam.*

Ex præfata autem vivendi Scythica ratione, & juris publici agrarii constructione, feudorum militarium initialia rudimenta deprehendimus. Animadvertimus Scythis agrum non exercentibus extitisse *inter se nullos fines*, immo nec domorum usum; sed plaustris pro habitaculo utentes errare semper paratos fuisse per incultam regionem. Ergo cuncta immobilia erant, ut nostro loquendi more utamur, *bona communalia*; quorum directum dominium ad integram societatem seu ad Rempublicam pertinebat; pascuorum autem & venationum jus in Reipublicæ territorio ad cives & in societatem adscriptos spectabat; quibus vicissim in Reipublicæ servitium incumbebat honor, onusque militiæ. Spectemus igitur civem nullo allodio terræ donatum, sed tantum ut Reipublicæ vassallum gaudentem usu & proventu fundi, cujus non modo imperium, sed & dominium atque proprietatem tenebat Respublica, cum reciproco erga ipsam onere militaris servitii. Hæc nobis exhibent prima lineamenta, immo primævam, eamque simplicissimam originem feudi militaris. Quod apertius dispiciemus in feudalis juris incrementa mox inquirentes.

A Scythis igitur transeamus ad Germanos, qui tempore Cæsaris, immo & Taciti vetustos adhuc Scythicos retinebant mores, verumtamen nonnihil corru-

(1) Maximus Tyrius Disc. XIII.
(2) Justinus l. c.
(3) Tacitus Germ. c. XLVI.
(4) Apud Justin. l. c.

ruptos. Victum perpendamus: *Major pars*, inquit Cæſar (1), *victus eorum in lacte & carne & caſeo conſiſtit*. Alias vero de Svevis loquens, gente inter Germanicas longe maxima, rem notabilem refert; ſcilicet eos *non multum frumento* (2) vivere. Tacitus autem generatim de Germanis ſcribit (3): *Potui humor ex hordeo, aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus. Proximi ripæ & vinum mercantur. Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum*.

Perpendamus & Germanorum indumentum. Cæſar (4) pelles tantum memorat, parva rhenonum tegumenta; ſed Tacitus (5) cultiores veſtes adtribuit, atque inter cæteras memorat lineos fœminarum amictus: *Fœminæ*, inquit, *ſæpius lineis amictibus velantur, eoſque purpura variant*.

Igitur opus erat tritico, & lino, quæ agri cultum exigebant. Quare excolebatur ager, ſed non ad delicias, neque ad divitias; tantum ut neceſſariam ſegetem ſuppeditaret. *Nec enim* (6) *cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt, ut pomaria conſerant, & prata ſeparent, & hortos rigent: ſola terræ ſeges imperatur*.

Neque, ſi Tacito fides, inclyto belligero agrorum cura, ſed tanquam res ſtrenuo milite indigna demandari conſueverat illis qui militiæ forent inepti: *Fortiſſimus quiſque* (7) *ac bellicoſiſſimus nihil agens, delegata domus & penatium & agrorum cura fœminis, ſenibuſque, & infirmiſſimo cuique ex familia, ipſi hebent: mira diverſitate naturæ; cum iidem homines ſic ament inertiam, & oderint quietem*.

Inſitum populo agriculturæ neglectum fovebat Reipublicæ conſtitutio; etenim e re publica viſum eſt conſtituere ſanctiones, aut inducere conſuetudines, quæ cives ab agri ſtudio retraherent, non una de cauſa, quarum princeps refertur a Cæſare (8), *ne aſſidua conſuetudine capti ſtudium belli gerendi agricultura commutarent*.

Cautum ergo eſt, ut arvi portio civibus ſingulis excolenda aſſignaretur tantummodo ad annum; adeo ut quotannis nova fieret arvi partitio, nova aſſignatio. Cæſar ipſe teſtis luculentiſſimus eſt; loquens enim de Svevis, ait (9): *Privati, ac ſeparati agri apud eos nihil eſt; neque longius anno remanere uno in loco incolendi cauſa licet*. Et de Germanis generaliter (10): *Neque quiſquam agri modum certum, aut fines proprios habet; ſed Magiſtratus, ac Principes in annos ſingulos gentibus, cognationibuſque hominum, qui una coierunt, quantum eis, & quo loco viſum eſt, attribuunt agri, atque anno poſt alio tranſire cogunt*. Idem refert & Tacitus (11): *Agri pro numero cultorum ab univerſis per vices occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum ſpatia præſtant. Arva per annos mutant, & ſupereſt ager*.

Pronum eſt credere in partitionis jura eos tantum veniſſe, qui armorum honore donati, & in militiam adſcripti, ut civitatis membra haberentur, hoc eſt viros nobiles, atque ingenuos, eoſque qui ex Reipublicæ decreto in jus civitatis & militiæ recepti forent; quibus omnibus annua arvi partitio, & aſſignatio fieret, non per ſortes, ſed *ſecundum dignationem*, & *quantum & quo loco* Magiſtratibus videbatur; in ipſum jus autem non veniſſe ſervos, neque generatim loquendo libertos, utpote qui pars Reipublicæ non erant, ſed veluti pars domus ſeu familiæ domini reſpective ſeu patroni, atque ut Langobardica voce utar, in ejuſdem *Fara* conſtituti, ſub ejus uno capite ſeu perſona computarentur.

Nihil hucuſque cernimus immobilis peculiaris allodii. Terræ dominium directum ad Communitatem, annuum jus utendi fruendi pertinebat ad cives; quibus viciſſim onus addictum erat militarium pro Republica ſervitiorum. Pulchra hæc eſt imago feudi militaris, ad annum tantum aſſignati.

Ex frugum autem uſu profluxit effectus animadverſione maxime dignus. Scy-

---

(1) Cæſar B. G. lib. VI. c. 6. (2) Idem ib. lib. IV. c. 1.
(3) Tacitus Germ. c. XXIII. (4) Cæſar loc. cit. (5) Tacitus Germ. c. XVII.
(6) Idem G. c. XXVI. (7) Idem G. c. XV. (8) Cæſar lib. VI. c. 6.
(9) Idem l. IV. c. 1. (10) Idem lib. VI. c. 6. (11) Tacitus G. c. XXVI.

Scythæ culturam terræ non exercentes, & quæ sibi opus erant ex pascuis & venatione quærentes, transmigrationibus perpetuo parati, plaustris, prout supra vidimus, pro habitaculis utebantur, ut domum quoque semper secum traherent. Germanis vero, de quibus loquimur, frumenta serentibus, expectanda messis, & proinde longior in loco trahenda erat mora. Igitur de plaustro descendere visum est, & quandam habitaculi speciem construere, & primitus quidem misera infirma tuguria: *In casis habitant*, inquit Strabo (1), *structura in unum diem constantibus.*

Condendis vero, servandisque frugibus subterraneæ scrobes effossæ sunt, more penes Europæos perantiquo, & perquam late vigente, quæ non modo exterorum incursionibus abditæ, sed & segeti conservandæ habitæ sunt adeo idoneæ, ut hodie adhuc in Italia non uno in loco earundem usus utilissime perduret. Hæ frugibus horreum erant, & hominibus hypocaustum: *Solent*, ait Tacitus (2), *& subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi, & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt; & si quando hostis advenit, aperta populatur: abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quærenda sunt.*

Morem ipsum quoad casas & scrobes sæculo Christiano XII. pene referebant Slavi, Helmoldo testante (3): *Sed nec in construendis ædificiis operosi sunt, quin potius casas de virgultis contexunt, necessitati tantum consulentes adversus tempestates & pluvias. Quoties autem bellicus tumultus insonuerit, omnem annonam paleis excussam, aurum, atque argentum, & pretiosa quæque fossis abdunt; uxores & parvulos munitionibus, vel certe sylvis contutant. Nec quicquam hostili patet direptioni, nisi tuguria tantum, quorum amissionem facillimam judicant.*

Hanc servaverant consuetudinem Slavi, antiquis institutis arctius inhærentes, quam Germani, qui jam Taciti ævo in constructione domorum aliquid operosum induxerant, immo & aliqua luxus rudimenta: *Nullas*, inquit (4), *Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem connexis & cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum usus; materia ad omnia utuntur informi, & citra speciem, aut delectationem. Quædam loca diligenter illinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur.* Harum autem ædium fundum cum suo ambitu primigeniam esse terram salicam ego alibi ratus sum (5): & hoc esse credo primævum exemplum terræ civibus assignatæ in quamdam stabilem possessionem.

Taciti verba prætereunda non sunt; *nullas Germanorum populis urbes habitari, ne pati quidem inter se junctas sedes.* Ita profecto res se habebat penes Scythas, atque Germanos, qui militari constitutione viventes, & militari studio quam maxime addicti, non urbes, non oppida, non arces exstruebant. Non quidem ignota, sed plurimum erant exosa ejusmodi munimina, quasi servitutis & imbecillitatis retiacula, libero ac forti viro minime digna, ac militare robur debilitantia; pene prout boves & apri domestici sylvestribus imbecilliores evadunt. Quare ea diruere potius e re publica videbatur, sicubi constituta quædam occurrerent (6). Hisce inhærens principiis Tencterorum Legatus oratione ad Ubios ajebat (7): *Redisse vos in corpus, nomenque Germaniæ, communibus Deis, sed præcipuo Deorum Marti grates agimus, vobisque gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis . . . Sed ut amicitia, societasque nostra in æternum rata sit, postulamus a vobis, muros Coloniæ, munimenta servitii detrahatis: etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur.*

Vile quoque & inglorium, non aperto Marte congredi cum hoste, ejusque vim excipere pone murum. Carpuntur Justino scribente Spartani, qui a majorum virtute degeneres muris sese defendere aliquando constituerant: *Territi Spar-*

(1) Strabo lib. VII. de Svevis.
(2) Tacitus G. c. XVI.
(3) Helmoldus lib. II. c. 13.
(4) Tacit. G. c. XVI.
(5) Not. ad Leg. Angl. & Wer. Vol. III. hujus Collect.
(6) Vide ejus rei exempla apud Pelloutier *Histoire des Celtes* lib. II. c. V. n. 5.
(7) Tacit. Hist. l. IV.

*Spartani* (1), *urbem quam ſemper armis, non muris defenderunt, tum contra reſponſa fatorum, & veterem majorum gloriam, armis diffiſi murorum præſidio includunt. Tantum eos degeneraviſſe a majoribus, ut cum multis ſæculis murus urbis civium virtus fuerit, tunc cives ſalvos ſe fore non exiſtimaverint, niſi intra muros laterent.*

Sed ad rem noſtram redeamus. Stabilis poſſeſſio ædium civibus tandem adtraxit ſtabilem poſſeſſionem agrorum; quod inter univerſos Germanicæ originis populos certe non uno tempore factum eſt. Qui in Romanorum provincias irruperant, ſedeſque fixerant, novam hanc juris agrarii regulam jam ſequebantur; ſcilicet ut ager in ſtabilem perſonarum familiarumque poſſeſſionem veniret; ita tamen ut non modo imperium, ſed & directum agrarii, domeſtici, & cujuſcumque fundi dominium penes Rempublicam primitus manere cenſeretur, penes cives tantum dominium utile, onere adnexo ſervitii militaris; quod novam feudi ſpeciem conſtituit.

Idea namque directi univerſæ regionis dominii penes Rempublicam conſiſtentis inter Barbaros antiquiſſima altas adeo radices egerat, ut vix ac ne vix quidem aliud ſibi effinxiſſent conſtitutionale ſyſtema, niſi hoc ab exteris gentibus edidiciſſent. Dum Barbari provincias Romani Imperii occupaverant, non modo imperium ſed & terrarum dominium, veramque proprietatem conquirere Reipublicæ nomine ſe ratos fuiſſe ex eo colligimus, quod ut veri ſupremique domini terras diſtribuerent inter veteres incolas & cives ſuæ gentis, ea diviſione, quæ Reipublicæ præplaceret. Ita, ut alias animadvertimus (2), Heruli tertiam agrorum partem, Wiſigothi & Burgundiones duas tertias partes aſſignavere civibus ſuis; a quibus etiam exactum fuiſſe militare ſervitium hiſtorica monumenta, & ipſi legales Barbarorum codices in univerſum indicant.

Sed facile fuit hac in re evenire, quod in centenis aliis evenit; ſcilicet ut commercio & conſuetudine inſtituta cum exteris Barbari adoptarent extera dogmata atque juriſprudentiam & in iis quæ ad immobilium proprietatem pertinebant. Hinc inter legales libros Barbarorum irrepſerunt voces atque ſanctiones, quæ allodii indolem ſapiunt; & hinc ſubinde orta diſtinctio inter communia feuda, & allodialia bona.

De hoc tamen dici poteſt, quod de pleriſque aliis juris objectis veriſſime dicitur. Adoptata ſunt inſtituta Romana, ſed Barbara oblivioni non data; ut quædam orta fuerit mixtura ex Romano & Barbaro jure. Immobilium poſſeſſiones quamdam allodii ſpeciem induerunt; ita tamen ut naturam feudi militaris penitus non dimitterent. Hinc leges occurrunt, quarum ſpiritus & ratio ſatis apte petitur ex principiis juris feudalis. Pauca afferamus exempla.

Lex Burgundionum perſtringit diſtractionem terrarum, quæ *ſortis* nomine diſtributæ civibus fuerant; immo & aperte præcipit (3), *ut nulli vendere terram ſuam liceat, niſi illi, qui alio loco ſortem aut poſſeſſiones habet*. Æquitas illuceſcit, ſpectata terra, quaſi ſtipendio civis in militiam adſcripti; legemque latam eſſe, ne miles prorſus careat ſtipendiis ſuis.

Angliorum & Werinorum lege, *de Alodibus*, inſcripta ſanctio occurrit (4): *Hereditatem defuncti filius, non filia ſuſcipiat. Si filium non habuit qui defunctus eſt, ad filiam pecunia & mancipia; terra vero ad proximum paternæ generationis conſanguineum pertineat*. Notabile eſt quod ſubditur (5): *Ad quemcumque hereditas terræ pervenerit, ad illum veſtis bellica, ideſt lorica . . . . debet pertinere.* Tandem tantum indulgetur, ut poſt quintam generationem filia in hæreditatem ſuccedat (6), *& tunc demum hereditas ad fuſum a lancea tranſeat*. Hæc una perpenſa indicant, terræ poſſeſſionem cenſitam regulariter fuiſſe pro ſtipendio civis, cui incumbebat honor, onuſque militiæ.

Perculit me maxime Lex Liutprandi Langobardorum Regis (7) conſtituens, ut ſi quis ex loco ſuæ habitationis progrederetur *infra Provinciam vel extra*, hoc

---

(1) Juſtinus lib. XIV. (2) Not. in Leg. Burg. Tit. LIV. Vol. IV. hujus Collect.
(3) Lex Burgund. Tit. LXXXIV. lege 1. (4) Lex Angl. & Wer. Tit. VI. l. 1.
(5) Ibid. l. 5. (6) Ibid. l. 8. (7) L. Langob. Liutpr. L. III. l. 4.

hoc eſt extra vel intra regnum, & ad ſtationem ſuam triennio regreſſus non eſſet, filii aut ſucceſſores ejus *habeant res ipſius in ſuo jure . . . Et ſi ipſe poſtea reverſus fuerit, jubemus ut nec a ſuis filiis recipiatur, nec res ſuas in poteſtate habeat;* aliiſque ea de re conſtitutis concluditur: *Et ſi ipſe poſt tres annos inventus fuerit, poteſtatem habeat Rex de eo judicare qualiter voluerit.*

Doctiſſimus Pecchia (1) huc in medium affert Lucam de Penna, qui in hanc legem invehens ſe ſe ridiculum facit: *Non eſt hæc prima beſtialitas facis Longobardæ: quia de jure quis præſumitur vivus, niſi probetur mortuus.* Egregium Legulejum, qui a legis ſpiritu quam longiſſime aberrat! Lex namque ſenſum nobis prodit æquiſſimum, dum perpendamus militem quaſi transfugam ſuo privari ſtipendio, aliiſque pœnis obnoxium reddi, ob deſertam ſtationem.

Colligimus hinc Langobardorum ſtationem haud abſimilem fuiſſe iis, quæ a noſtratibus dicta fuere *feuda habitantiæ;* nam quamvis hiſce non eadem forte incumberent onera, pari tamen jure feudum inhabitare tenebatur is, cui aſſignatum fuerat. Vide Bellonium de his differentem (2), & exemplum afferentem feudi anno MCCXCIV. XIX. Kal. Septembris in habitantiam collati ea conditione, ut habitaretur, *Patriarcham alioquin feudi ablatione, ac libris quinquaginta, quas pro mulcta conſtituerat, vindicaturum.* Hodieque audiunt inter nos *Feuda Habitantiæ*, ſed nomine tenus.

Sed quid ultro congerere exempla, quæ probent feudi conceptum nunquam a Barbaræ originis gentibus penitus dimiſſum fuiſſe? Non defuere populi antiquis arctius inſtitutis addicti, qui peculiaris allodii conceptum neutiquam induerunt, neque dimoveri potuerunt a principio directi dominii ſemper permanentis penes Rempublicam, quoad immobilia bona. Nortmannos in medium voco conſtitutos in Gallia, in quorum conſuetudinibus immobilis poſſeſſio ſic definitur (3): *Immobilem dicimus poſſeſſionem, quæ de loco ad locum transmoveri non poteſt, ut agrum, pratum, & omnes poſſeſſiones fundo terræ inhærentes, quæ* Feoda *vulgariter nuncupantur.* Feuda ſcilicet eſſe cenſebantur quæcumque immobiles poſſeſſiones.

Et uſque in hodiernam diem Angli Nortmannicis inſtituti principiis, & veterum rerum maxime tenaces nullum agnoſcunt terræ peculiare allodium; omnia tenent in natura feudi: *Terra omnis in Anglia*, (verba ſunt Angli Juriſconſulti Jacob (4) latine reddita) *exceptis terris coronæ, quæ in manu Regis ſunt jure coronæ, eſt in natura feudi . . . adeo ut nemo habeat directum dominium, hoc eſt veram proprietatem vel dominium cujuſcumque terræ, excepto Rege jure coronæ.*

Hiſce ergo una præconceptis concludam, diſtinctionem penes Barbaræ originis populos inter communia feuda & allodia, eſſe quaſi inter rem ab antiquiſſimo tempore, & ex veterrimis patriis inſtitutis apud ipſos receptam, & rem ex commercio cum exteris recens inductam.

Sed antequam ab argumento diſcedamus, manet perpendere circa juramentum fidelitatis, quod feudatario ſolet injungi.

Mos eſt pervetuſtus, ut militares viri militari ſtipendio donati præbeant fidelitatis ſacramentum. Qui Romanas, Græcaſque callent antiquitates, hoc me exactiſſime edocebunt. Mentionem inter cæteros ingeſſit Virgilius, canens (5):

*Fas mihi Grajorum ſacrata reſolvere jura.*

Ad quæ Servius: *Ut non incidat in ſacramenti pœnam: nam miles legibus ſacramentorum rogabatur, ut exiens ad bellum juraret, ſe nihil contra Rempublicam facturum.* Enumeratiſque tribus militiæ generibus, ſubdit: *Plerumque ſacramento rogati: quia poſt electionem in Rempublicam jurant. Et hi ſunt, qui habent plenam militiam.* Et alibi idem Servius (6): *Apud Majores noſtros tria erant militiæ genera in bellis gerendis . . .. Legitima erat militia eorum, qui ſinguli jurabant*

(1) Pecchia Tomo I. pag. 123.

(2) Bellonius Tract. de Feudis per Patriarcham Aquilejenſem conceſſis Tit. *de Habitantiæ Feudo*: apud Murat. Antiquit. Italic. Differt. XI.

(3) Conſuetud. Norman. p. II. c. XXI. l. 3.

(4) Jacob's Law Diction. V. Fee-eſtate.

(5) Virg. Æneid. lib. II.

(6) Servius ad Æneid. lib. VIII. initio.

*bant pro Republica ſe eſſe ſdЄturos : nec diſcedere , niſi completis ſtipendiis , ideſt militiæ temporibus ; & ſacramentum vocabatur .*

Ejuſmodi ſacramentum ex veterum Rerumpublicarum militarium conſtitutione deſcendere arbitror , in quibus cum cives omnes in militiam cenſerentur adſcripti, & jure utendi fruendi in Reipublicæ terris pro militari ſtipendio donati, iis omnibus fidelitas erga Rempublicam juranda foret , ut id quod jam debitum erat , religione intercedente firmaretur. Tacitus de Germanis ſcribens memorat Principis perſonam tueri fuiſſe *præcipuum ſacramentum* (1) eorum, qui nobiliori gradu inter Comites admittebantur ; atque hinc innuere videtur , milites ſeu cives reliquos magis generali juramento obſtrictos fuiſſe in Rempublicam, cujus militari ſervitio ex propria conſtitutione , & ex ſtrictiori juſtitiæ debito veluti ſtipendiarii ex origine tenebantur.

Profecto id generaliter imperatum fuiſſe inter Gothos aperte docet liber Gothicæ legis ; in quo ex Egicæ Regis (2) ſanctione deprehendimus , penes hanc gentem jam *moris fuiſſe*, ut quiſque ingenuus novo Regi fidelitatem juraret; atque ſtatuitur, ut ſi quis juramentum fraudulenter præbere diſtulerit, *quidquid de eo, vel de omnibus rebus ſuis principalis auctoritas facere vel judicare voluerit, ſui ſit incunctanter arbitrii*. Exemplum vides, quo Principi jus eſſet mulctare facultatibus civem ob juramentum fidelitatis debito tempore non præſtitum.

Inter leges pariter Anglicas Willielmi Conqueſtoris idem ſacramentum liberis omnibus hominibus præceptum legitur (3): *Statuimus etiam, ut omnes liberi homines fœdere & ſacramento affirment, quod intra & extra univerſum regnum Angliæ ( quod olim vocabatur regnum Britanniæ ) Willielmo Regi Domino ſuo fideles eſſe volunt , terras & honores illius omni fidelitate ubique ſervare cum eo , & contra inimicos & alienigenas defendere.* En militare ſacramentum liberis civibus generaliter imperatum.

Par quoque ſacramentum fidelitatis , quod Marculphus & Libri Capitularium (4) docent , ab iis , qui populi nomine cenſerentur , præſtandum eſſe ſub Francis , ab eodem vetuſto fonte derivare haberi poteſt pro indubio, quamquam primigenii inſtituti puritas forte adamuſſim ſervata non fuerit.

Sed adhuc ſerius in libro Conſuetudinum Imperii Romaniæ concinnati in uſum Principatus Achajæ præſcribitur (5), *che li Baroni & homeni legii è tegnudi de far al dicto Miſer lo Principo homagio & liga de fidelitade. Et li altri afeudadi diè far homagio. Et li altri ſubditi ſagramento de fidelitade.*

Notabilis valde eſt propoſita diſtinctio inter *homagium & ligeanciam* , & *ſacramentum fidelitatis;* quippe quæ excitat nos perpendere aliam perantiquam quamdam nobiliorem feudorum ſpeciem ex Barbarorum moribus derivatam. Fidelitatem jurare præcipitur univerſus populus , veluti inter veteres Barbaros juraſſe univerſos cives ſeu milites ( qui profecto apud antiquos Scriptores & legales codices *populi* nomine veniunt ) ex iis , quæ ſupra diximus, ſatis innuitur. Homagium vero peculiari tantum civium , militumque claſſi imperatur , prout penes Barbaros fieri conſueverat ab iis , quos *Principis Comites* Tacitus appellavit.

Ergo inter antiquos *Comites* , atque homagiales , & præcipue ligios homines, de quibus hic loquimur, comparationem inſtituere juvat , ut hos ab illis deſcendiſſe inferamus.

Tacitus (6) de Comitibus inter cætera ſcribit , quod penes illos Principem *defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum ſacramentum eſt*. Audi parallelam fidem , quam ſpondet ligius homo (7) : *Signor io devegno voſtro homo legio de tal feo; io vi prometto aſſalvarve e guardarve como mio Signor, contra tutte perſone, & contra tutte coſe , che viver & morir poſſa .* Ta-

(1) Tacitus G. c. XIV. (2) Cod. Leg. Wiſig. Lib. II. Tit. I. l. 34. Lib. V. Tit. VII. l. 19. (3) Leg. Willielmi Regis l. LII. Vol. IV. hujus Collect. pag. 359.
(4) Marculph. lib. I. Form. 40. Capitul. lib. III. c. 88.
(5) Lib. Conſ. Imp. Rom. c. II. Vol. III. hujus Collect.
(6) Vide Tacit. Germ. c. XIII. XIV. (7) Conſuet. Imp. Rom. c. III.

Tacitus: *Cum ventum in aciem turpe Principi virtute vinci, turpe Comitatui virtutem Principis non adæquare. Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse . . . . Principes pro victoria pugnant, Comites pro Principe.* Comitum erga Principem suum hujuscemodi exercitum munus pulchre describit Ammianus Marcellinus (1) de Rege Alamannorum verba faciens: *Quibus visis compulsus ad ultimos metus ultro se dedit solus egressus; comitesque ejus ducenti numero, & tres amici junctissimi, flagitium arbitrati post Regem vivere, vel pro Rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos.*

Hisce autem fere consonant, quæ in Libro Consuetudinum Imperii Romaniæ atque in Assisiis Regni Hierosolymitani (2) leguntur de oneribus eorum, qui homagium præstitere; cum homo teneatur se obsidem dare, ut trahat a captivitate Seniorem suum; eidem auxilium ferre pro viribus, armis aut equo inter hostes egenti, seu morte, aut captivitate periclitanti; equum etiam proprium ipsi præbere dum opus fuerit; uno verbo omnia, quantum fieri potest, implere, ut Senioris personam tueatur.

Orationem de Comitibus prosequitur Tacitus: *Si Civitas, in qua orti sunt, longa pace & otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt.* Innuere videtur, Comites (de quibus hic sermonem agit) ita uni Principi addictos fuisse, ut alteri quoque Principi adjici potuissent: veluti ex supra allegatis codicibus (3) quis potest pluribus Senioribus homagium præbere, eorumque *homo* constitui, dummodo in posteriore homagio excipiatur is, cui prius homagium præstitum fuerat, aut a priore Seniore licentia obtineatur.

Comites item, Tacito referente, *exigunt Principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulæ, & quamquam incompti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt.*

Hic autem exemplar cernimus feudi Canevæ, quo vassallo ex cellario Domini præbetur annona. Hoc mihi in memoriam redigit peculiarem quamdam speciem feudi a Patriarcha Aquilejense quondam concessi. Inter recognitiones feudales triplex ex manuscriptis mihi sese obtulit recognitio Dynastarum de Ragonea. —— Prima ad annum MCC. *Dominus Franciscus de Ragonea confessus fuit habere in pheudum rectum & legale ab Ecclesia Aquilegiensi, in primis scutellam de mensa Domini Patriarchæ, cum omnibus cibariis, quæ intus essent, quicumque ipse esset in Curia ejusdem Domini Patriarchæ, & alius vel alii de domo & casata sua non essent ibi eo majores ac seniores.* —— Secunda ad annum MCCLXXV. *Marquardus de Ragonea recognovit habere in pheudum ab Ecclesia Aquilegiensi . . . . . unam parassidem cum quolibet ferculo apposito accipere in mensa Domini Patriarchæ, & Sp. Marquardus sit præsens, si non sint ibi majores eadem domo Ragoneæ.* —— Tertia ad annum MCCC. *Bernardus & Pecimanus fratres de Ragonea recognoverunt habere in pheudum ab Ecclesia Aquilegiensi, in primis, & quandocumque aliquis eorum est infra, ubi est Dominus Patriarcha, major de domo Ragoneæ potest accipere scutellam mane & sero, quam vult, de mensa Patriarchæ.* Eruditus Binius in Epistola ad Muratorium (4) aliam chartam ad annum MCCXCVII., qua idem jus asseritur Dynastis de Ragonea, se vidisse testatur, subditque: *Id mihi in mentem revocat fabulas Equitum Tabulæ rotundæ.* Sed, ut verum fatear, id mihi potius in mentem revocat historiam stipendii Comitum a Tacito memorati.

Ex Tacito insuper colligimus, Comites honore, & primo apud Principem loco supra reliquum populum emicuisse, sicuti ligii homines, de quibus in feudalibus libris sermo est, supra reliquum populum eminebant.

Ita Comitibus Germanorum antiquis cum homagialibus, & præcipue ligiis hominibus inferioris ævi comparatis, munerum, atque honorum analogiam inter

(1) Ammianus Marcellinus lib. XVI. c. 12. (2) Conf. Imp. R. l. c. Ass. Hier. c. CCXIII. (3) Conf. Imp. R. l. c. Ass. Hier. c. XXVII.
(4) Ap. Murat. Ant. Ital. Differt. XI. in fine.

per se talem deprehendimus, ut inferre possimus, hos ab illis ortum duxisse. Nunc perpendendum manet, quinam intermedio tempore occurrant, qui ligios cum præfatis Comitibus haud interrupta serie connectant.

In historicis medii ævi fastis, in legalibus codicibus, & in aliis quoque monumentis sese offerunt *Antrustiones*, *Fideles*, *Leudes*, inter quos, & supra memoratos Ligios & Comites parallelum institui potest, quamquam haud undequaque completum; quod tum monumentorum veterum caritati, tum variatis, ut assolet, jurisprudentiæ, aut consuetudinum circumstantiis facile tribuendum est.

Animadversione digna est Marculphi Formula *de Regis Antrustione* inscripta (1): *Rectum est, ut qui nobis fidem pollicentur inlæsam, nostro tueantur auxilio. Et quia ille fidelis Deo propitio noster veniens ibi in Palatio nostro una cum arimania sua in manu nostra trustem & fidelitatem nobis visus est conjurasse, propterea per præsentem præceptum decernimus, ac jubemus, ut deinceps memoratus ille in numero Antrustionum computetur. Et si quis fortasse eum interficere præsumpserit, noverit se wirgildo suo solidis sexcentis esse culpabilem.*

Recolendum est, ex ipsomet Marculpho fidelitatem Regi jurare jussos fuisse (2) *omnes pagenses, tam Francos, Romanos, vel reliqua natione.* Dum ergo Regi peculiariter *trustem*, *& fidelitatem* jurat is, qui inter Antrustiones adscribendus est, inde deprehendimus hoc arctius illo fuisse atque nobilius vinculum, quo Regi præ reliquo populo necteretur Antrustio. Generale populi sacramentum jurabatur *per loca Sanctorum, vel pignora* (3), idest super Sanctorum reliquias; Antrustionis sacramentum spondebatur *in manu nostra.*

Quid autem sit *in alterius manu jurare*, plura edocent documenta. Unum accipe ex Annalibus Eginhardo tributis, ubi hæc leguntur de Duce Tassilone (4): *Illuc & Tassilo Dux Bajoariorum cum primoribus gentis suæ venit, & more Francico in manus Regis in vassaticum manibus suis semetipsum commendavit, fidelitatemque tam ipsi Regi Pippino, quam filiis ejus Karolo & Karolomanno jurejurando super corpus Sancti Dionysii promisit.*

Ipse est ritus homagii ligii, qui describitur in feudalibus libris (5). Homagium præbens coram sedente Seniore genuflexus manibus junctis inter Senioris manus positis recitat homagii sponsionem; quo peracto Senior ei osculum præbet. Ritus profecto non recens, cum & inter ecclesiasticas cæremonias inductus fuerit; eo namque ritu & cæremonia Presbyter recens ordinatus spondet inter manus Episcopi ordinatoris canonicam reverentiam, & obedientiam.

Jam usque regnante Ludovico Pio usu fuisse receptum morem, ut Langobardiæ Episcopi homagii sponsionem exigerent ab iis, quibus Sacros Ordines conferebant, innuit Canon Concilii Aquisgranensis anno DCCCXVI. celebrati, & inter præfati Augusti Capitularia relati, quo hæc constituta leguntur, a quibusdam Ecclesiastici Juris interpretibus legitimo sensu forte non intellecta (6): *De Episcopis vero in Longobardia constitutis, qui ab his, quos ordinabant, sacramenta & munera contra divinam & canonicam auctoritatem accipere, vel exigere soliti erant, modis omnibus inhibitum est, ne ulterius fiat: quia juxta sacros Canones, uterque a gradu proprio talia facientes decidi debent.*

Sed inoleta consuetudo ægre penitus aboleri potuit, teste Glabro Rodulpho in Vita Willelmi Abbatis Divionensis, a quo etiam edocemur, quænam fuerint hæc sacramenta, quæ Episcopis ab Ordinando exhibebantur (7): *Prædictum Monasterium in Vercellensis urbis Episcopio situm, atque ejusdem Episcopi ditioni subjacebat. Inoleverat etiam male arrepta consuetudinis usus, ut nullus fratrum loci illius Levitici ordinis gradum prius susciperet, quam sese assertione jurandi promitteret servaturum fidelitatem Episcopo.* Hoc erat igitur sacramentum fidelitatis, seu potius (si superstites adhuc hodie cæremoniæ reliquias inspicia-



(1) Marculphi lib. I. Form. XVIII. (2) Id. lib. I. Form. XL.
(3) Ibid. (4) Eginhardi Annales, ad annum DCCLVII.
(5) Ass. R. H. c. XXVII. Cons. I. R. c. LXVIII.
(6) Cap. Aquisgr. An. DCCCXVI. c. 16. (7) Glaber Rodulphus in Vita Willelmi Abbatis Divionensis cap. VII. ap. Mabillon. Acta SS. Benedict. Sæculo VI. Parte prima.

ciamus ) professio homagii ab Ordinando exhibenda, dum is scilicet more tunc recepto fieret quasi *Antrustio* Episcopi sui.

Hæc jam quodammodo subolevęrat Thomassinus in præfatum Aquisgranensem Canonem scribens (1): *Cum his vero sacramentis munera quoque copularentur; sacramenta, & munera; non inepte suspicabitur quis ea fuisse subjectionis & veluti servitutis quædam pignora: quippe tum a subditis suis Reges & sacramenta exigebant; & dona annua.* At ego potius crederem munera ipsa ordinationis tempore exhibita fuisse tantum in novæ clientelæ tesseram, qua Ordinandus Episcopum quasi Seniorem suum recognosceret, & veluti ipsius *Antrustio* constitueretur, ipsi peculiariter supra reliquum Diœcesis populum obnoxius ecclesiastico vinculo, sicut laici Antrustiones obnoxii supra reliquos homines constituebantur vel Regi, vel alteri inferioris gradus Seniori, arctiori vinculo civili. Mansit, ut dixi, tantum innocua cæremonia extra omnem controversiam posita, ( quam esse reor veteris consuetudinis corticem ), qua Episcopo spondetur canonica, quæ ipsi debita est, reverentia & obedientia in hodierna consecratione Presbyterorum. Revertamur ad Antrustiones.

Populus omnis, ut supra vidimus, fidelitatem jurare consueverat, Tassilo vero *in manus Regis* se commendaverat, & inde juraverat fidelitatem. Hæc plurimum aptantur distinctioni, quam Liber Consuetudinum Imperii Romaniæ verbis superius allegatis constituit inter ligium hominem, & popularem; cum ille præbere teneatur *homagium & ligeanciam fidelitatis*, hic vero tantum sacramentum fidelitatis.

Quapropter penitus assentior erudito Bignonio, qui *fidelitatem in manum jurare*, prout in recitata Marculphi Formula legitur, idem esse censuit ac id quod sequiori tempore dictum fuit *hominium* præbere (2). *Hominium* puto, seu *homagium ligium*, quod amplius aliquid atque nobilius importat super *homagium planum*. Præclara pleraque discrepantia inter ligium hominem, & hominem de plano homagio, uno ictu colliges ex sæpe memorato libro Consuetudinum Imperii Romaniæ (3).

Inter veteres Comites, atque inferiorum temporum ligios homines & medii ævi Antrustiones paritas quoque intercedebat, quod hi sicut illi excellerent supra reliquos populares. Quod liquido evincit taxa compositionis ob perpetratum homicidium, quæ existimationi civili arithmetica quadam proportione respondebat. Antrustio enim tum ex allegata Marculphi Formula, tum ex ipsa Salica lege (4) DC. solidis taxatur, pretio videlicet triplo majore, quam communiter Francus, seu homo Salica lege vivens, qui CC. solidis pensatur.

Qui Latino-Barbara voce *Antrustio*, ipse esse videtur, ac qui puriore lingua in antiquis monumentis appellatur *Fidelis*. *Trustis* enim est *Fides*, *Fidelitas*. Et profecto in Antrustionum numerum computabatur ille, qui *trustem* & *fidelitatem* (5) in manu Senioris sui conjuraverat. Francorum igitur Antrustionibus comparemus eos, qui in Corpore Legum Langobardicarum appellantur *Fideles*, & quos Lex Rachisii (6) æquiparandos esse innuit iis qui sunt *de Gasindio*, hoc est Familiares Regis. Hos supra reliquum populum emicuisse quoque in Generalibus Regni Comitiis colligimus ex Prologo Libri I. Legum Liutprandi, in quo Fideles a populo secernuntur: *Ego . . . una cum omnibus Judicibus de Austriæ & Neustriæ partibus, & de Tusciæ finibus, cum reliquis Fidelibus meis Langobardis, & cuncto populo assistente, hæc nobis &c.*

Recolendi sunt & *Leudes*, Francis, Gothis, Burgundionibus memorati. Pleraque ex legibus, & fastis antiquis, & præcipue ex Gregorio Turonensi congeri possunt testimonia, quæ innuunt, Leudes Principi sacramenta peculiariter præbuisse, ejus defensores extitisse, ejusdem consilio interfuisse &c., quæ subinde ligii homines agebant erga Seniorem suum. Recte Bignonius de Leodibus loquens (7): *Huc referri posset, quod nos ligium hominium, seu homagium di-*

(1) Thomassin. de Benef. P. II. L. II. c. LXV. art. 2.
(2) Bignon. not. ad Marculphum Lib. I. Form. XVIII.
(3) L. C. I. R. c. LXXII. & alibi.
(4) Pact. Leg. Salicæ Tit. XLIV.
(5) V. supra alleg. Marculphi Form.
(6) Lex Lang. Rachis l. VII.
(7) Bignon. not. ad Marculph. Form. XL.

*dicimus*. Neque desunt, qui vocem *lige*, *ligius*, ejusdem esse originis putant ac *leodis*, *leudis*; quemadmodum *Leodium* celebrem urbem *Liegi* appellamus (1).

Hæc simul perpensa suadent medii ævi *Antrustiones*, *Fideles*, *Leudes* intermedios illos fuisse, per quos infimæ ætatis ligii homines ab antiquis Principum Comitibus derivarunt; ut si quæ desint, & si quæ discrimina inter hos & illos occurrant, hæc, ut supra dixi, monumentorum inopiæ, atque variatis ex variata consuetudine disciplinis sint adscribenda.

Inter discrimina obvenit mihi notabile unum. Veteres Comites feudi specie gaudebant, stipendii vices agentibus epulis; & inferioris ævi ligii homines ligeitatem absque feudo spondere non consueverant. Medio vero tempore etiam absque ullo beneficio homo in *Antrustionis*, *Fidelis*, *Leudis* censum se solebat adscribere. Innuit hoc supra allegata Marculphi Formula, qua homo inter Antrustiones recipitur, nulla collati beneficii facta mentione. Quam disciplinam & inter Gothos viguisse colligimus ex lege Chindasvindo Regi tributa (2): *Quod si inter leudes quicumque nec Regis beneficiis aliquid fuerit consecutus &c.*

Ex aliis quoque monumentis idem animadvertit Bignonius in notis ad præfatam Formulam; ex quibus tamen aptissime deduxit, consuevisse *Reges his fidelibus suis beneficia*, *seu feuda vacantia conferre*. Quod si ita fuit, supra laudatum discrimen non patebat latissime; cum Antrustionibus præclara saltem effulserit spes beneficii seu feudi opportuno tempore consequendi, & hæc haberi potuerit quasi species gratiæ expectativæ generalis.

Huc usque dicta facile in animum inducere possunt, feudorum homagii ligii primordia ab antiquis Barbaræ originis gentibus esse repetenda, quorum quam remota sit vetustas penitus ignoramus, cum hæc inter tot alias Barbaræ antiquitatis tenebras delitescat.

Hæc de feudorum antiquitate dicta sint satis. Accipe nunc, candide Lector, librum a Comite Joppe descriptum, & Italice translatum, qui de militia & re feudali plurima te perspicue edocebit atque præclara. Illum exhibeo cum additamentis, prout editus fuit anno MDXXXV. Excelsi Decemvirum Consilii Decreto. Subduntur scilicet Assisiarum Breviaria duo ea exarata methodo, quam *Textus expressos* appellabant; & præmissa leguntur nonnulla documenta comprobantia veritatem eorum, quæ tum hic, tum in Monito præfixo Assisiis Inferioris Curiæ Vol. II. hujus Collectionis de variis Assisiarum fatis disserui. Sed & præmittere visum est Venetum Monumentum ex Manuscripto Codice Diplomatico Trivisanæo depromptum, quod quamquam nonnullis amanuensis sphalmatibus inquinatum, forte potest aliquod superaddere lumen dignoscendæ feudali veterum militiæ, & disciplinæ.

(1) Ap. Cangium Glossar. V. *Ligius*.

(2) Cod. leg. Wis. lib. IV. Tit. V. l. 5.

# DECRETUM VENETUM

## EX CODICE TRIVISANÆO.

MCCLII. PENULTIMO APRILIS INDICTIONE DECIMA.

NOs Marinus Maurocenus &c. cum nostris Judicibus & Sapientibus Consilii, & collaudatione populi in publica concione, cum nostris Successoribus damus & concedimus vobis dilectis fidelibus nostris Viris Venetis, quorum nomina scripta habentur inferius, septuaginta quinque militias ex nonaginta militiis, quæ fieri debent secundum ordinamentum factum per nos & nostrum Consilium, de Terra punctæ de Spata Insulæ Cretæ, quæ modo libera est, & quæ erit tempore quo vos ibidem junxeritis, & fueritis cum exercitu nostro præsenti, videlicet a Risa flaschei usque ad aliud mare versus Austrum, & inde usque ad punctam de Spata, computando & ponendo terram de pertinentiis gauci, & in ipsis nonaginta militiis; quæ quidem septuaginta quinque militiæ vobis dari debent, & consignari & dividi & partiri inter vos per nostrum Capitaneum, & cum Consiliariis, qui erunt ibi pro nobis & Commune Venetiarum, retinentes ex dictis nonaginta militiis quindecim militias in nostro Communi, ad dandum & faciendum ex ipsis quindecim Cavallariis, secundum quod ipsi Capitaneo & ejus Consiliariis, vel Capitaneo & uni de Consiliariis suis bonum & utile videbitur pro nostro Communi; ita tamen quod eas quindecim Cavallarias possint dicti Capitaneus & ejus Consiliarii accipere, sicut eas placuerit, & dare cuicumque voluerit, antequam terra sit acquisita. Verum si ante acquisitionem terræ datæ & concessæ non fuerint prædictæ quindecim Cavallariæ, vel quæ remanserit ex ipsis quindecim, debent dicti Capitaneus & Consiliarii dividere & partiri æqualiter cum dictis septuaginta quinque militiis vestris Militum, & Sergentum; ita quod remaneant quindecim Cavallariæ in nostro Commune, ut dictum est, & septuaginta quinque in vobis Militibus & Sergentibus, quæ concessæ sunt vobis a nobis, ut dictum est, apud Venetias. Cum itaque a nobis ordinatum sit, quod Civitas fieri in dicta terra de Spata, & dicto Capitaneo & Consiliariis injunxerimus & commiserimus, quod civitatem Caneæ reædificare, vel aliam civitatem in dicta terra punctæ de Spata de novo construere & ædificare in loco, quo ipsi Capitaneo & ejus Consiliariis, vel eidem Capitaneo & uni ex Consiliariis placuerit & bonum & utile videbitur, debeant accipiendo ante partem in circuitu Civitatis terram per tria milliaria de numero vestrarum militiarum nonaginta, medietas cujus terræ debet esse Communis Venetiarum, & aliam medietatem debet Capitaneus cum suis Consiliariis vel uno eorum dividere & partiri inter prædictas militias nonaginta, consignando vobis Militibus & Sergentibus partes vestras, secundum rationem nonaginta militiarum, quas quidem partes & in Civitate & extra, quæ vobis fuerint consignatæ, ex nunc vobis damus & concedimus. Et sciendum est, quod sicut commisimus dicto Capitaneo & ejus Consiliariis, debet idem cum suis Consiliariis, vel altero eorum, accipere ante partem in Civitate pro Communi plateas, pro domo, & domibus Communis, & Ruga Magistra, & Ecclesia seu Ecclesiis, & munitionibus ædificandis, sicut eidem Capitaneo & suis Consiliariis, vel ipsi Capitaneo & uni de Consiliariis, bonum videbitur. Et muros dictæ Civitatis facient Capitaneus & Consiliarii ædificare, & pro ipsis ædificandis, & foveis Civitatis, seu aliis munitionibus faciendis Rusticos dictarum partium habere & angarizare debent, scilicet unum Rusticum pro qualibet militia, sicut idem Capitaneus & sui Consiliarii, vel cum ipso alter eorum voluerint. Jurisdictionem vero Civitatis, & totius districtus punctæ de Spata, & hujus Capitanariæ, & Consiliariorum ordinare debent, sicut eidem Capitaneo & ejus Consiliariis, vel ipsi Capitaneo & uni de Consiliariis ipsis videbitur; quæ omnia debent esse Communis Venetiarum. Et Judæi similiter debent esse Communis Venetiarum, & portus maris, & arsana, & portæ Civitatis & introitus debet esse similiter Communis Venetiarum. Item prædicti Capitaneus & Consiliarii debent accipere de omnibus supra scriptis nonaginta Cavallariis a centum villanis infra communiter pro utilitate dictæ terræ de circa Civitate ante partem pro Communi, sicut ipsi Capitaneo & suis Consiliariis, vel eidem Capitaneo & uni de Consiliariis bonum apparuerit. Item potestatem habet dictus Capitaneus simul cum Consiliariis suis, vel altero eorum, franchandi usque ad quinquaginta personas pro utilitate . . . . . . . in quo numero computari debent illi, quibus necesse fuerint supra scriptæ quindecim Cavallariæ Communis, vel pars ipsarum. Vos autem Milites, quibus concessæ sunt dictæ militiæ, tenemini & astricti estis vinculo juramenti vobiscum a Venetiis Cretam ducere & portare & habere & tenere duos equos pro qualibet Cavallaria, videlicet de pretio libra-

rum

rum LXXX. denariorum Venetorum ad minus, & alium de pretio librarum L. ad minus; qui equi debent esse de tempore trium annorum, & inde supra tenemini infra mensem unum & dimidium, postquam Cretam intraveritis, tertium equum habere pro qualibet Cavallaria, nisi dictum equum tertium pro Cavallaria qualibet a Venetiis conduxeritis Cretam ad præsens, qui sit pretio librarum XXV. ad minus. Item quilibet vestrum conduci & habere & tenere debet unum Sergentem, qui nitentem & bonum equitem armatum ferro, & tres Scutiferos bene armatos ferro, & de omnibus aliis armis convenientibus pro qualibet Cavallaria; & pro utilitate istorum Scutiferorum debet habere unusquisque vestrum balistas duas de cornu bene redatas. Ex quibus Scutiferis debent esse ad minus duo sufficientes pro balista, ex quibus Scutiferis debent esse latini, & a viginti annis superius & quinquaginta inferius, & quilibet vestrum debet esse bene armatus ferro & armis omnibus convenientibus militi, & debetis habere equum unum bene guarnitum de cupertura ferrea, vel zuppe pro qualibet Cavallaria. Et quilibet Miles ex vobis qui duas militias habetis, insuper debet habere & tenere unum bonum socium & convenientem. Vos autem Sergentes inferius scripti qui mediam militiam habetis pro quolibet, similiter tenemini, & astricti estis vinculo sacramenti vobiscum a Venetiis Cretam conducere & portare & habere & tenere equum pretio librarum L. ad minus, & Scutiferos duos, & tenemini infra mensem unum & dimidium, postquam Cretam intraveritis, unum alium equum habere & tenere, qui sit pretio librarum XXV. ad minus, & quilibet vestrum debet esse bene armatus ferro, & omnibus aliis armis convenientibus. Et sic vos Milites & Sergentes debetis ire & stare ad servitium nostrum, & Communis Venetiarum in Insula Cretæ in dictis partibus punctæ de Spata, ad acquirendum terram ipsam Domino concedente. Et hæc omnia, quæ dicta sunt, debent fieri & observari a vobis Militibus & Sergentibus a die primo quo Cretam junxeritis usque ad annos duos completos. Quibus duobus annis completis ab inde tenemini servire, guarnire, habere & tenere vestras Cavallarias secundum formam concessionis & Capitularis, tam obedientiæ, quam aliorum, quæ sunt, & ordinata sunt tempore præsenti in Creta pro militiis Militum de Creta & facto ipsorum Militum. Vos autem a nobis & Communi Venetiarum pro duobus prædictis annis pro soldo & salario vestro pro qualibet Cavallaria habere debetis libras DCC., idest septingentas, denariorum Venetorum, de quibus hic in Rivoalto recepistis ad præsens libras CCCC. pro unaquaque Cavallaria, & apud Cretam debetis recipere & habere alias libras CCC. de habere Communis Venetiarum in principio secundi anni pro qualibet Cavallaria. Sciendum est quod nullus Miles habere debet plus de duabus Cavallariis ullo tempore aliquo modo vel ingenio; & aliqua pantella (forte parentela) non potest habere nec debet ultra quatuor Cavallarias de ista terra punctæ de Spata. Item ordinatum & firmatum est, quod pro mutuo, quod aliquis vestrum Militum & Sergentum acceperitis pro dicto facto, non sint ullo modo obligatæ dictæ militiæ, & sergentariæ, nec creditores pro ipsis debitis possint nec debeant ullo tempore regressum habere super ipsis militiis & sergentariis, vel arnesiis ipsorum, nec ipsas militias, vel sergentarias, vel partes ipsarum, vel arnesia possint habere dictorum debitorum occasione aliquo modo vel ingenio. Item ordinatum est & firmatum per vos Milites & Sergentes de denariis, quos recepistis habere in Rivoalto a nobis & nostro Communi pro soldo & salario vestro, & de libris CCCC. quas ponere debetis pro qualibet Cavallaria, antequam exeatis de Venetiis, debeatis facere ratum cum Nobilibus Viris, qui præsunt de nostro, nostrique Consilii mandato isti negotio, & omnes denarios ipsos, vel illos, qui ex denariis prædictis vobis superfuerunt ab expensis, debetis ponere, & assignare in manibus prædictorum Nobilium, qui denarii debent dari & assignari in manibus Capitanei nostri, quem mittemus ad dictas partes punctæ de Spata cum præsenti exercitu. Et idem Capitaneus denarios, quos receperit, vobis Militibus & Sergentibus, quibus fuerint dati, vel nunciis certis debet reddere, & consignare apud Cretam, postquam ibi junxeritis, quandocumque sibi postulati fuerint, infra octavum diem; & vos tenemini ipsos denarios expendere pro utilitate istius facti pro acquisitione dictæ terræ infra duos annos prædictos, si fuerit; nec ipsos denarios dare, vel ponere, vel expendere debetis, in aliis factis infra dictum terminum duorum annorum, nisi terra fuerit acquisita. Verum quandocumque terra acquisita fuerit infra tempus prædictorum duorum annorum, liceat vobis facere quod volueritis de ipsis denariis, & sic estis astricti juramentum faciendi & observandi. Item jurastis quidem ad Evangelia sancta Dei bona fide, sine fraude, attendere & observare omnia præcepta nostra quæcumque nos Dux Venetiarum & Successores nostri pro majori parte nostri Consilii vobis fecerimus pro facto Insulæ Cretæ, aut fieri fecerimus, & ea quæ Capitaneus, vel alius Rector, seu Rectores, cum suo Consilio, qui fuerint per tempora antepositi in terra ipsa per nos Ducem, & Successores nostros a majori parte nostri Consilii, pro factis ipsius Insulæ vobis fecerint. Et dabitis operam & fortiam, ut alii Veneti, qui partem habent in pertinentiis supradictis in Creta confinale, faciant juramentum ad justitias & rationes complendas, fortiam dabitis Capitaneo, & Recto-

 ri,

Sequente autem sæculo in expeditione suscepta adversus Arabes multo gloriosius enituisse dignoscimus Venetorum virtutem, cui etiam hodierna die invidere merito possunt omnes maritimæ nationes. In Codice Arabico-Siculo (1) legitur Epistola Regis Aglabitarum ad Magnum Siciliæ Amiram data anno Æræ Arabicæ CCLVIII. (Æræ nostræ 871, vel 872.) qua Rex conqueritur, Venetam gentem collecto exercitu centum mille virorum Arabicum exercitum Ancona expulisse, expulsumque ad terga cædisse, ut undecim ut minimum mille Arabes interfecti ciderint (2). Ex cujus victoriæ effectibus factum est ut Italia tunc liberata foret ab illa Arabica divexatione. Nam Arabs a Venetis fractus, & numeris & animis imminutus, alteram passus est cladem ad Salernum ab exercitu Basilii Macedonis (3), tertiam ad Tarentum ab exercitu Ludovici II. Ita agmen Arabicum sexaginta quinque mille virorum repetitis cladibus obrutum, ac dissipatum fuit. Qui evaserant ab excidio, Continente plane relicto, alii in Siciliam, alii in Africam transfretarunt.

Plura usque ad hanc epocham e fastis Venetis recenseri potuissent, sed hæc protulisse sufficiat quasi mensuram, qua dimetiamur ex ungue leonem. Bellicæ subinde memorantur expeditiones susceptæ, prælia fortiter gesta, subacti populi, navigationum atque commerciorum multiplicata tentamina, patriæ opes adauctæ, & maritima experimenta; ut mirum non sit, quod legamus sæculo Christi undecimo apud exteras gentes Veneti nominis celebritatem extolli, quod potentia & peritia maris nationes omnes superaret. Gulielmus Apulus (4) loquens de classe, quæ anno MLXXXI. adversus Nortmannum Ducem Robertum Guiscardum victoriam tulerat ad Dyrachium, hæc inter cætera canit:

*. . . . . Illam populosa Venetia misit*
*Imperii prece, dives opum, divesque virorum.*
*. . . . . . Gens nulla valentior ista*
*Æquoreis bellis, ratiumque per æquora ductu.*

Eamdem percrebuisse famam initiis sæculi tertii decimi testatur Crucesignatorum expeditio, quæ Duce Henrico Dandulo suscepta fuit. Non exscribam quæ legi apud sequioris ævi Scriptores, Ducem Andream Dandulum, Paulum Rhamnusium, Sabellicum, alios; sed ea tantum quæ retulit Crucesignatus Procer Godefridus de Villa-Harduini, qui vere nobili & candida simplicitate posterorum memoriæ tradidit illa, quibus interfuit, & quorum ipse pars magna fuit. Narrat scilicet, Crucesignatos Francos transmigraturos naves a Venetis expetiisse (5), quod *tanta navium plenitudo nullibi occurreret, quanta in Veneto portu, Venetique gentium omnium in mari potentissimi forent.* Et præclara plurima de Republica, ejusque inclyto Duce differens, inter cætera scribit, quod cum

ce Dandulo (*Chron. Lib. VII. cap. III. part. III.*) & Actis Conciliorum insertæ; qua Pontifex Venetos ad hanc expeditionem excitaverat. Ipsa namque Epistola, quamquam valde probas antiquitatis notas præseferat, nonnullis tamen difficultatibus obnoxia est, ut ejus fides tuto haberi non possit pro indubia. Vide *Muratorium in Annal. ad an. DCCXXIX.*

(1) *Codice Diplomatico di Sicilia sotto il Governo degli Arabi, Tomo I. Parte II. pag.* 149. Consule quoque plures Epistolas a pag. 139. & deinceps.

(2) Hæc acta fuere Duce Urso I. Participatio, cui Dandulus (*Chron. lib. VIII. cap. V. part. XIII.*) quoque adscribit navalem expeditionem, & *gloriosam victoriam* adversus Saracenos relatam. Sed factum refert *ad Tarentum*. Alii insuper addunt, Saracenos *ad Tarentum* debellatos fuisse junctis viribus Venetæ classis & Basilianæ. Sed vel hæc altera fuit actio, vel Scriptores ipsi lapsi sunt, interpolantes facile expeditionem, quam a Græco Duce Leone Apostype adversus Agarenos, qui Tarentum tenebant, susceptam fuisse scribunt Constantinus Porphyrogenitus *art.* 66., & Cedrenus in Basilio. Rem ego descripsi, prout descripta fuit ab ipso Arabici eversi exercitus supremo Duce *Busa ben Kagibis*, qui totius rei gestæ seriem exacte referens, triplex prælium, triplicemque suæ gentis cladem a tribus exercitibus illatam distincte recenset: & quoad primam cladem *ad Anconam*, neque Dux ipse, neque Aglabitarum Rex aliam memorant gentem, nisi Venetam, quæ Arabicum exercitum ex illa Civitate expulerit, atque in fugam converterit. Vide laudatum Codicem loco allegato pag. 149.

(3) Seu a gentibus Principis Beneventi, & Dynastarum, qui ad Basilii partes tunc forent. Vide Erchempertum, & Anonymum Salernitanum in Paralipomenis C. CX. seqq.

(4) Gulielmus Apulus de rebus Normannorum lib. IV.

(5) Geoffroy de Ville-Hardouin c. XI. XVI.

cum transmigraturus adventasset Venetias exercitus delectorum militum numero super omnes præstantissimus, naves ad hoc opus paratas, & egregio comitatu & apparatu instructas invenit numero triplo majore, quam qui tanto agmini par fuisset (1).

Notum est hac expeditione in Francorum & Venetorum ditionem devenisse Constantinopolim, & Imperium Romaniæ, quod processu temporis imminutis sociis, & ultramontanis auxiliis, Venetorum thesauris & navalibus expeditionibus ferme ex integro sustinebatur: *Hac elevatus victoria Palæologus* ( inquit Monachus (2) Paduanus ) *aspirare cœpit ad Imperium Romaniæ, & diligentissime cogitabat, qualiter Urbem Constantinopolim posset invadere, quam gens Catholica Venetorum sola cum infinitis expensis, periculo, & labore maximo defendebat.*

Hæc erat celebritas, hæc potentia Reipublicæ, hæ partæ emporio vires & opes, eo ipso tempore, quo Capitulare nostrum concinnatum fuit. Recentiora Venetorum gesta recolere ad rem non pertinet; non enim agimus de gloria gentis, sed de pretio Capitularis, quod a tali gente latum probatissima quæque præseferre pro certo suadet. Præterire tamen nequeo, quod antiquis Patriæ institutis indesinenter excultis tribuenda sit navalis scientia atque peritia, qua hodierni Veneti quasi jure hereditario nationes reliquas facile post se relinquunt. Probavit hoc novissima expeditio adversus Tunetanos. Facinora gentibus aliis sive inexcogitata sive desperata mirati sunt maritimi populi, & præ cæteris Angli, qui Venetæ classi, & classis Imperatori (3), scriptis, & acclamationibus, & publicis spectaculis festiva encomia persolverunt.

Cæterum Capitularis merito quoque accedit, quod novam nauticarum legum constructionem non referat, sed Venetarum legum veterum recensionem & temporum circumstantiis aptatam emendationem, vel additamenta. Quod ipse Prologus Codicis perspicue docet: *Hæc sunt statuta, & ordinamenta super navibus & lignis aliis, quæ . . . . . . emendata, reformata, & composita fuerunt &c.* Aderant ergo antiquiora statuta, ex quibus hæc deprompta, seu reformata fuere.

Et certe si de Statutis ad navalia commercia spectantibus sermo sit, monumenta non desunt antiquitatem remotiorem probantia. Serenissimus Dux Marcus Fuscarenus (4) inter cætera in medium affert Tractatum initum cum Principe Antiochiæ anno MCLXVII, quo permittitur Venetis *tenere curiam S. Marci suam in fundicio suo in Antiochia, & facere judicia sua libere & quiete secundum legem, & Statuta eorum &c.* Atqui hæc *Statuta eorum* profecto agebant de rebus pertinentibus ad mercatores, & ad nautas; nam, ut solide perpendit Dux Fuscarenus, Tractatus ipse circa unam commercii materiam versatur, & Veneti ad oras illas dirigentes proras nautæ potissimum erant, & mercatores.

Ejusmodi autem Venetorum Consulum, seu Curiarum judicialium in exteris portubus constitutarum originem adhuc antiquiorem exquisita, qua pollet, eruditione ex patriis monumentis astruit prælaudatus doctissimus Princeps.

Ab hac columna non divellor; quin immo gratulor eam, quæ mihi jamdudum inerat, sententiam tanti viri calculo quodammodo probari. Ego quidem in veteribus Venetis diplomatibus, & documentis minime versatus, de Reipublicæ Consulibus singillatim differere non valeo; sed generaliter reor, hoc esse unum e plu-

---

(1) Idem c. XXIX. *Ensi s'en alla li Cuens Loeys, & li autre Baron en Venise, & furent receu a grant feste, & a grant ioie, & se logierent en l'Isle S. Nicholas, avec les autres. Mult fu l'ost bele, & de bones genz. Onques de tant de gent nus hom plus belle ne vit. Et li Venissiens lor firent marchiè si plenteurès, com il convint, de totes les choses, que il convient a chevaus, & a cors d'omes. Et li navies, que il orent appareilliè, fu si riches, & si bels, que onques nus hom Chrestiens plus bel ne plus riche ne vit; si cum de Nès, & de Galies, & de Vissiers, bien a trois tanz, que il n'aust en l'ost de gens.*

(2) Monachus Paduanus Chron. lib. III.

(3) Nobilissimo Navarchæ Angelo Emo Equiti & Procuratori D. Marci, cui quoque maximi Europæ Principes eximias laudes contulerunt, & qui nuper incredibili bonorum omnium dolore e vivis ereptus est.

(4) Foscarini, *Istoria Letteraria* pag. 15.

e pluribus juris objectis, quæ a Barbarorum antiquitate sunt repetenda; & Barbaris adhuc regnantibus morem viguisse, ut nationibus maritimo commercio addictis jus esset in alienis scalis proprios complexu legum ad eorum munera spectantium instructos negotiationis gratia constituere Magistratus, quos sequior ætas *Consules* appellavit (1).

Alibi jam animadvertimus antiqui Barbari instituti fuisse, ut quisque suæ gentis viveret lege. Si autem hoc indulgebatur exteris, qui ad regnum incolendum accederent, cur non indulgeretur & illis, qui tantum commercii causa ad oras regni appellebant? Et si proprii Judices illis permittebantur, cur non permitterentur & istis (2)?

Rem extra omnem dubitationis aleam ponere videtur Gothica lex, quæ cæteroquin a pristinis recedens institutis quoad incolas Regni jurium personalium libertatem sustulerat, & omnes ex Gothico codice regi mandaverat. Occurrit ibidem quasi per exceptionem a constituta regula sanctio, quæ rubricatur *Antiqua*, hisce verbis concepta (3): *Dum transmarini negotiatores inter se causam habuerint, nullus de sedibus nostris eos audire præsumat; nisi tantummodo suis legibus audiantur apud telonearios suos*. Adhuc itaque regnantibus Wisigothis (hoc est usque a sæculo Christiani nominis quinto, sexto, vel ut minus septimo) in portubus Hispaniæ & Septimaniæ aderant exterarum gentium *telonearii*, qui scilicet a suæ nationis navibus vectigal aliquod caperent; aderant & *suæ leges*, ad quarum normam telonearii ipsi de rebus ad nautas & mercatores spectantibus decernerent, & quibus destituti nec uniformi ordine res peragere, nec uniformi jure causas disceptare potuissent.

Sed opus non est ad institutiones Consulatuum, neque ad Barbara jura, aut instituta confugere, ut legum Reipublicæ Venetæ ad navalia commercia pertinentium remota evincatur antiquitas. Concinnati Capitularis ætate Veneti per octo sæcula mare incunctanter excoluerant, maritima commercia in immensum provexerant, ad summum exercitationis & gloriæ maritimæ fastigium conscenderant. Delirio affine esset contendere, enormem hanc machinam tam diu & tam prospere plenissimis, ut ita dicam, velis processisse absque gubernaculo legum. Quin & hæc enixe suadent, quod quamvis (ut fert antiqua traditio) primævi Reipublicæ conditores absque latis legibus rexerint populum suum, id tamen diu stare non potuerit quoad navigationem, & navale commercium, Venetæ potentiæ lapidem angularem; quod præscriptis sanctionibus omnimodo indiget, quibus instructi nautæ, & mercatores, & qui juri nautico dicundo præfecti sunt, certo regantur ordine, & disciplina uniformi.

Legi equidem, Venetos Constantinopoli commorantes in templo S. Sophiæ congregatos anno MCCXV. (hoc est quadraginta tantum annis ante latum Capitulare nostrum) adoptasse leges, seu Consuetudines Barchinonenses, quæ Italice translatæ, impressæ leguntur sub titulo: *Consolato del Mare*. Exinde autem iniquum esset inferre, Venetam Rempublicam propriis usque ad id temporis caruisse nauticis legibus, cum ea, quæ supra retulimus, contrarium plusquam satis evincant.

Notum est, leges Barchinonenses quasi Rhodiis legibus suffectas, & habitas pro jure communi nautarum, receptas quoque fuisse a Pisanis, Genuensibus, Romanis, aliisque populis, quorum catalogum in veteri quadam præfatarum legum editione memini me legisse. Quare earumdem usus & a Venetis admissus fuisse videtur, seu in supplementum juris, seu ut suæ gentis navigantes eodem uterentur jure, cum res peragerent cum navigantibus exteris. Quomodocumque res se habeat, receptio juris communis nulla ratione innuit destitutionem legis patriæ; prout Justiniani leges adoptant Civitates quamplures, quæ tamen patriis Constitutionibus instructæ sunt.

Atque

(1) Hanc novissime proposuit sententiam Vir Eruditissimus Christianus Gottlieb Biener in Academia Lipsiensi Antecessor, in Commentario de Origine, & progressu Legum, Juriumque Germanicorum Part. I. pag. 120.
(2) Vide dicta in not. ad Leg. Bajuvariorum Tit. XVI. cap. IV. Vol. II. hujus Collect.
(3) Cod. Leg. Wisigoth. lib. XI. III. II.

Atque hæc dicta sint, ut elucescat præstantia Capitularis; cum ullo procul dubio inferre possimus, ipsum complecti Statuta expressa, atque selecta e legibus, consuetudinibus, variantibus disciplinis, & experimentis inde a constituta Republica interrupto nunquam tempore, interrupto nunquam studio factis, atque probatis; Statuta, inquam, expressa & selecta a natione, quæ ipsa conditi Capitularis ætate recolebatur ut gentium omnium in re nautica princeps atque magistra.

Ex hoc Codice haud modica, ut spero, capient emolumenta gentes, quæ navigationi & navali commercio sunt addictæ. Emolumenta capient & antiquitatum studiosi ex interspersis pluribus, quæ veteribus institutis ad rem nauticam, mercatoriam, & militarem maritimam pertinentibus lumen effundunt. Codicem ipsum Dux Fuscarenus (1) collocat inter præstantissima, & curiosissima Veneta monumenta; & ego ut pretiosum totius collectionis meæ ornamentum reposui novissimo loco, ut jure ratum faciam vulgare illud effatum: *Finis coronat opus*.


(1) Foscarini l. c.



*Levissima amanuensis sphalmata vel in ipso textu correxi, vel intacta reliqui; alia ad imam paginam corrigenda curavi; nonnulla prætermissa ad normam alterius exemplaris novissime descripti charactere Italico in textu supplevi.*

---

## SPECIMEN CHARACTERIS CODICIS.



Tatuentes sta
tuimus q' pat°
in nauiu3 tele
ant dare nanc'
suas bñ co3ca
tas ⁊ calcatas de foris ⁊ parecos
⁊ ambas coloptiras ⁊ uanum
et sup̄ uanum et co3edoriũ et
andicta foemũ ⁊ barcham et
gondolam. Sub pena libra3 de

# C A P I T U L A R E.

*Hec sunt statuta, & ordinamenta super navibus & lignis aliis que de mandato Domini Raynerii Geno Dei gratia incliti Veneciarum, Dalmaciæ, atque Chroaciæ Duci cum suo Consilio, emendata, reformata, & composita fuerint per Viros Nobiles Nicolaum Quirinum, Petrum Badoarium, & Marinum Dandulum, per ipsum Dominum Ducem & suum Consilium majus & minus, & Quadraginta laudata, & in concione publica approbata, & voce Veneti Populi confirmata, currente anno ab Incarnacione Domini nostri Jesu Christi MCCLV. Indictione prima, die VI. Intrante Augusto, in Ecclesia Beati Marci.*

*Qualiter Patroni Naves & alia ligna coriatas debet habere.*

I. Statuentes statuimus, quod patroni navium debeant dare naves suas bene corzatas, & calcatas de foris, & paredos, & ambas cohoperturas, & vanum, & super vanum, & coredorium, & andicta, scermum, & barcham, & gondolam, sub pena librarum denariorum Venetorum xx. pro quolibet centenario milliari de eo quod navis fuerit extimata, que pena in nostrum Comune deveniat; & hoc intelligimus de nave, & quolibet ligno cohoperto.

*Quod naves & ligna cohoperta debeant palmicari.*

II. Affirmamus quod navis & lignum aliud cohopertum palmizetur, sicut patroni fuerint concordes cum naulizatis, sub pena librarum Venec. L. quam penam patroni solvere debeant, & deveniat in nostrum Comune ipsa pena.

*Quod naves debeant saornari.*

III. Statuimus quod cum navis fuerit mercatoribus naulizata, debeat saornari. Patroni vocare debeant mercatores, qui sunt ituri in sua nave, & ab ipsis duos mercatores petere debeant, qui pro parte mercatorum navem debeant saornare, & ipsis assignatis navis expensis patronorum debeat saornari, sicut mercatoribus & nauclerio, & uni ex patronis videbitur convenire. Et si de hoc concordes non poterunt esse, unum quintum elligant quem voluerint in concordia, ita navis debeat saornari. Et si de quinto tollendo ipsi non concordaverint, Nos Dux, aut Bajulus, sive Rector Veneciarum, qui fuerimus in ipsa terra, in qua navis fuerit, ipsum quintum quem voluerimus, eis dare debeamus. Et si in eo loco fuerit Rector pro Nobis, & Comuni Veneciarum, & non fuerint alii mercatores navis, illum quintum quem voluerint, (1) eis debeat assignare. Et sicut omnes vel major pars ipsorum in concordia venerit, ita patroni navem debeant saornare sub pena xx. soldorum Venetorum pro quolibet milliario de eo quod navis fuerit extimata; que pena in nostrum Comune deveniat. Et patroni, antequam navis sit saornata, non possint, neque debeant caricum recipere, nec imbolium, nisi de consensu & voluntate predictorum, vel majoris partis eorum sub pena predicta. Et si quintus ille, vel aliquis illorum supradictorum quatuor ad navem saornandam esse recusabit, Rector noster illius loci in quo navis fuerit, debeat & possit illi, vel illis penam imponere, quam voluerit, & auferre. Et si navis fuerit in loco, in quo Rector pro Nobis & Comune Veneciarum non fuerit, predictorum ad saornandum navem esse recusaverit, penam librarum xxv. incurat; que pena deveniat in nostrum Comune. Et intelligimus hoc de nave, & ligno quolibet cohoperto.

*Quod astringantur sacramento, qui in saornanda nave fuerint electi.*

IIII. Mandamus, quod omnes partes predicti, qui naves saornabunt, astringantur sacramento, quod bona fide, sine fraude navem saornabunt, sicut ipsis bonum videbitur pro salute navis in viatico, in quo debeat ire, & ipsis videbitur convenire. Et eciam si fuerint alique partes, in quibus Rector non fuerit pro Nobis, & Comune Veneciarum, predicti duo mercatores, qui pro parte mercatorum navem saornaverint, ipsam mensurabunt vel extimabunt simul cum Scribano ipsius navis secundum tenorem de mensuracione Statuti Nostri, extimacione navis, & omnia alia faciant, que continentur in ipso capitulo. Et hoc intelligimus de nave, & omni ligno cohoperto.

*De saorna non accipienda de nave.*

V. Precipimus, postquam navis predicto or-

(1) *Voluerint*, ) Forte, *voluerit*.

ordine fuerit saor nada, nihil de nave per aliquam personam de ipsa saorna extrahatur, vel minuatur modo aliquo vel ingenio, & si de ipsa saorna fuerit aliquid minuitum, vel extra navem projectum, patronus, vel patroni ipsius navis nostro Comuni emendare teneatur soldos xx. denariorum Venetorum parvorum per quodlibet milliare, quod navis fuerit extimata; nisi causa necessitatis ad intrandum in portum Rivoalti, vel per voluntatem illorum, qui navem ipsam habeant saornatam, foras projectum fuerit de saorna, & patroni nihil de pena teneantur. Et hoc de nave intelligimus, & omni ligno cohoperto.

*De fero, plombo, vel stagno, & rame, ponendo pro saorna, quod tantum de saorna foras extrahatur de nave.*

VI. Statuimus, quod postquam navis fuerit saornata, si patroni navis plumbum & rame non laboratum, stagnum, fero, vel de omnibus istis quatuor simul tantum posuerint pro saorna, tantum possint de saorna extrahere, quantum posuerint de predictis quatuor rebus: Et hoc sit presente naucleio & scribano ipsius navis. Si autem de ipsa saorna aliquid aliter extraheretur de navi, patroni navis nostro Comuni emendare teneatur (1) soldos xx. denariorum parvorum pro quolibet milliario de tanto quanto ipsa navis fuerit extimata. Et hoc intelligimus de nave & ligno aliquo cohoperto.

*Quod navis convenienter ornetur.*

VII. Dicimus, quod de arboribus & antenis & eciam antenis de dolone & timonibus, navis & omne aliud lignum de milliariis CC. & inde supra, decenter sint ornata.

*De ornacione coredum.*

VIII. Volumus, quod navis & alia ligna extimata de milliariis CC. usque ad CCL. ancoras septem habeat, & endegarios septem convenientes, canovos novos in corcoma septem, & alios canovos septem convenientes, & in vellis sic ornetur, sicut patroni cum naulizatis simul fuerint concordati.

*De ornatione corredum.*

VIIII. Affirmamus quod navis, vel aliud lignum extimatum de milliariis CCC. usque ad CCCL. habeat X. ancoras, endegarios X. convenientes, canovos novos X. in corcoma, & alios canovos XII. convenientes.

*De eodem.*

X. Stabilimus, quod navis vel aliud lignum extimatum de milliariis CCCC. usque ad CCCCL. ancoras XIII. habeat, endegarios XIII. convenientes, canovos novos XIII. in corcoma, & alios canovos XIII. convenientes.

*De eodem.*

XI. Mandamus quod navis, vel aliud lignum extimatum de milliariis D. usque DL. habeat ancoras XV., endegarios XV. convenientes, canovos novos XV. in corcoma, & alios canovos XV. convenientes.

*De eodem.*

XII. Statuimus, quod navis vel aliud lignum, extimata, vel extimatum de milliariis DC. usque DCL. habeat ancoras XVI, endegarios XVI. convenientes, canovos novos in corcoma XVI., & alios canovos XVI. novos convenientes.

*(Deest titulus.)*

XIII. Dicimus quod navis, aut lignum, extimata, vel extimatum de milliariis DCC. usque DCCL. habeat ancoras XVII., endegarios XVII. convenientes, canovos novos XVII. in corcoma, & alios canovos novos XVII. novos convenientes.

*De eodem.*

XIIII. Decernimus, quod navis, aut lignum, extimata, vel extimatum de milliariis DCCC. usque DCCCL. habeat ancoras XVIII., endegarios XVIII. convenientes, canovos XVIII. novos in corcoma, & alios canovos novos XVIII. convenientes.

*De eodem.*

XV. Confirmamus, quod navis, aut lignum, extimata, vel extimatum, de milliariis DCCCC. usque DCCCCL. habeat ancoras XVIIII., endegarios convenientes XVIIII; canovos novos in corcoma XX., & alios canovos XX. convenientes.

*De eodem.*

XVI. Volumus, quod navis, vel aliud lignum, extimata, vel extimatum de milliariis mille, habeat ancoras XX, endegarios XX. convenientes, canovos novos in corcoma XXII., & alios canovos XXII. convenientes.

*(Deest titulus.)*

XVII. Decernimus quod navis, vel buzo, aut buzonavis, vel aliud lignum, de CC. milliariis usque ad CCC. non completa, habeat canovos, quos debet habere in corcoma, longos passibus LXII., & navis, vel buzo, aut buzonavis de milliariis CCC. usque CCCC. non completa habeat canovos in corcoma longos passibus LXV., & navis, vel buzo, aut buzonavis de milliariis CCCC. usque DL. *non completa in corcoma canovos longos de passibus.* LXX., *& navis, vel buzo,*

(1) *Teneatur.*) Lege, *teneantur.*

zo, *vel buzonavis de milliariis* DL. usque DCC. non completa in corcoma canovos longos habeat de passibus LXXV., & navis, vel buzo, aut buzonavis de milliariis DCC. & inde supra, habeat canovos in corcoma de passibus LXXX. Ordinamus, quod omnes isti canovi sint convenientes in grossecia secundum longitudinem illorum.

*De vellis.*

XVIII. Affirmamus, quod navis, vel buzo, aut buzonavis de milliariis CCC. usque DC. in proda ita sit contiata in vellis, habeat antimonem, terzarolum, & dolocium unum de fustagno, vel de bambasio, & parpaglonem unum de canevaza, in medio habeat majorem, & dolonem unum de bambacio, vel de baracame, & parpaglonem unum de canevaza.

*(Deest titulus.)*

XVIIII. Mandamus, quod navis vel buzo vel buzonavis vel aliud lignum de milliariis DC. & inde supra, sic ornetur in vellis, in proda habeat artimone, terzarolem, & dolonem unum de fustagno, & de bambasino, & parpaglonem unum de canevaza, in medio habeat majorem terzarolum & dolonem unum de bambacio, vel baracame, parpaglonem unum de canevaza.

*De arboribus & antenis.*

XX. Ordinamus, quod arbores & antene cujuscunque navis vel ligni de CC. milliariis & inde supra concientur de bovistis, & sostis, & sarciis convenienter.

*De novis mantis superfluis.*

XXI. Decernimus, quod navis & buzo & buzonavis & aliud lignum de CCC. milliariis usque ad DC. unum mantum novum superfluum habere debeat, & navis vel aliud lignum de milliariis DC., & inde supra, habere debeat duos mantos novos superfluos.

*De emendatione defectus.*

XXII. Statuimus, quod si aliquis defectus fuerit in coredis, & ornamento navium, buzorum, buzonavium, vel aliorum lignorum predictorum, patroni lignorum illorum duplum naulizancium (1) teneantur emendare defectus.

*De preparatione mantorum.*

XXIII. Ordinamus quod nulla navis de milliariis CC. & inde supra, mantum habere debeat reperatum (2) in arbore de proda, & manti alii, qui fuerint in arboribus, sint convenientes. Patronus navis, qui sue navi mantum posuerit reperatum, aut poni fecerit modo aliquo vel ingenio, vel permittet, nostro Comuni in duplo valimenti boni & novi mantis computatis illi navi, vel in simili, debeat emendare. Et hoc intelligimus in nave, & buzo, & buzonave, & alio ligno.

*De preparatione coredum.*

XXIIII. Dicimus quod quelibet navis & alia ligna de milliariis CC. & inde supra, que de Veneciis exiverit, sit ornata de omnibus suis corredis secundum tenorem statuti nostri, sub pena dupli naulizamenti tocius defectus, & ipsam penam nostro Comuni pacabit patronus navis, si aliquid sibi defecerit de coredis. Et hoc intelligimus de nave, & buzo, & buzonave, & aliis lignis cohopertis.

XXV. Nolumus (3) quod brulla, stupa, & acuti debeant esse in expensis patronorum navium, & omnium lignorum cohopertorum de milliariis CC. & inde supra.

*Ubi patroni possint facere camerelas.*

XXVI. Decernimus quod patroni navium in pope navis possint facere camerelas sub vanno navis, & eciam sub coredorio, atque portam sentine versus popem usque ad antevannum, & in proda similiter a cathene colatoria usque ad portam prode; & in alio loco non possint cameram facere sub pena XXX. soldorum grossorum pro omni camera in alio loco facta, que pena in nostro Comune deveniat. Et hoc intelligimus de nave, & buzo, & buzonave, & ligno cohoperto.

*Quod patroni facere debent expensas pro nave de portu Veneciarum trahenda.*

XXVII. Precipimus quod expense que fuerint pro navibus & lignis omnibus cohopertis de porto Veneciarum trahendis sint super patronis navium & omnium lignorum facte.

*De marinariis habendis.*

XXVIII. Affirmamus quod navis & omne aliud lignum de CC. milliariis habeat XX. marinarios, & pro omnibus X. milliariis, quod plus navis fuerit extimata, unum marinarium plus habere debeat. Si marinarius aliquis moriretur, vel navem relinqueret, patronus illius navis ipsum marinarium secundum ordinem & tenorem nostri Statuti recuperare debeat, ubi naves portum fecerit; ant q (4) hoc fecerit contra, nostro Comuni in duplum teneatur emendare marinariciam suam, scilicet comunalem, que in nave fuerit, pro quolibet marinario, qui navem defecerit.



De

(1) *Naulizancium.*) Forte, *naulizamenti.*
(2) *Reperatum.*) Anne, *repezatum?* resarcitum.
(3) *Nolumus.*) Forte, *volumus.*
(4) *Ant q.*) Contractionem non assequor: aliquid corrigendum videtur, v. g. *qui autem.*

*De habere intromittendo marinariorum.*

XXVIIII. Dicimus quod si aliquis marinariorum moriretur, patrono sit licitum intromittere tantum de bonis illius que fuerint in nave, quantum per racionem ipsi habere pertinet, de residuo quod sibi pertinet habere, & debet servire.

*De trombatoribus & trombis habendis.*

XXX. Volumus quod navis de cccc. milliariis, que iverit extra culfum, habere debeat duos trombatores cum duabus trombis convenientibus, qui sint marinarii computati, & hoc sub pena xxv. librarum per quenlibet trombatorem, & nostro Comuni ipsam penam patroni paccare teneantur. Similiter dicimus, quod omnis navis, que fuerit de cccc. milliariis & inde supra, habere teneatur unam tronbetam, & unum tamburlum, & duos timpanos, sub pena predicta. Et hoc intelligimus in nave & quolibet ligno.

*De patronis, qui non possunt esse marinarii.*

XXXI. Dicimus quod nullus patronus possit esse marinarius sue navis, si tantum unus patronus, vel duo, fuerint in ipsa navi; salvo quod si fuerint tres, unus illorum possit esse marinarius; & si fuerint quatuor, duo illorum marinarii esse possint; & plus duobus patronis in aliqua navi esse non possint marinarii sub pena librarum L. nostre monete, quam penam quilibet illorum nostro Comuni emendare teneatur, qui fecerit contra hoc statutum. Et hoc intelligimus de nave, & buzo, & buzonave, vel ligno alio de milliariis cc., & inde supra.

*De illis, qui non possunt esse marinarii.*

XXXII. Statuimus quod nullus minor xviii. annorum possit esse marinarius, & eciam nec miles, nec peregrinus, nec serviens in aliqua navi marinarius possit esse. Patronus vero, qui in sua nave marinarium xviii. annorum habuerit, vel militem, vel peregrinum, aut servientem pro marinario, nostro Comuni pro quolibet libras xxv. debeat emendare. Et hoc intelligimus in nave, & omni ligno cohoperto de cc. milliariis & inde supra.

*De tollendo sacramento marinariis.*

XXXIII. Jubemus, quod cum patronus pro sua nave acceperit marinarios, accipiat sacramentum ab eis; si marinarii fuerint minores xviii. annorum, & ipsis credat per sacramentum, patronus penam non incurat. Et hoc intelligimus de nave de cc. milliariis, & omni ligno cohoperto, & inde supra.

*De locis non habendis in nave.*

XXXIIII. Affirmamus, quod marinarius, vel alius qui marinariciam defenderunt in nave mercatorum locum mercatoris dormiendi habere non possit de medio versus popem, nisi super bertescam discovertam, que est supra corredorium, & supra vanum, excepto patrono marinario computato, qui dormire possit ab arbore de medio usque pope. Marinarius, vel aliquis alius, qui contra hoc fecerit, nostro Comuni soldos x. denariorum grossorum debeant emendare. Et hoc intelligimus de nave, & buzo, & buzonave, & omni ligno cohoperto de cc. milliariis, & inde supra.

*De armis, que marinarii tenentur habere.*

XXXV. Statuimus, quod omnis marinarius de omni nave, vel de alio ligno de milliariis cc. & inde supra, habeat unam capelinam de corrio, aut helmum de corrio, vel de fero, & scutum, & zupam, & cultelum de ferire, & spatam, & lanceas iii. Marinarius qui libras xl. & plus habebit pro marinaricia, panceram, vel lameram de fero cum armis predictis habeat. Similiter nauclerius, si libras xl. & plus habuerit, panceram vel lameram de fero, & unam balestram de corno cum c. quadrellis cum armis supradictis habeat. Et hoc intelligimus quod in hoc capitulo continetur de omnibus supradictorum sub pena librarum x. Venetorum parvorum, quam solvere teneatur quilibet Comuni Veneciarum.

*De noclerio, qui a navi tolli non potest.*

XXXVI. Ordinamus quod omnis nauclerius & marinarius, qui navi servire tenetur, non possit tolli armis per aliquod debitum, donec patrono servire teneatur.

*De armis que naves vel alia ligna debent habere.*

XXXVII. Precipimus quod navis, & buzo, & buzonavis, vel aliud lignum de cc. milliariis usque ad ccc. non completa teneantur habere duas panceras, duos capironos, duos helmos, vel duas capellinas, cum mascaris, lanzones, vel gitarolles centum, scutos ii., ballistras ii. de corno, ii. de strevo, & unam de pesarola, vel de turno, quadrellos c. pro ballista de streve, & l. quadrellos pro ballestra de pesarolla, i. troco, i. pesarollam, cordas, ii., magistram unam pro omni ballista.

*Item de eodem Capitulo.*

XXXVIII. Afferrimus (1) quod navis, & buzo, & buzonavis, vel aliud lignum de ccc. milliariis usque d. non completa ha-

(1) *Afferrimus.*) *Afferimus.*

habere teneantur quatuor panceras, quatuor capironos, quatuor helmos vel capellinas cum mascheris, quatuor scutos, lanzonos vel gitarolas CC., balistas duas de strevo, & duas de pesarola, vel de torno, quadrellos L. pro omni ballista de strevo, quadrellos L. pro omni ballistra de turno, vel pesarola, & duas cordas, & unam magistram pro omni ballistra.

*Idem.*

XXXVIIII. Mandamus, quod omnis navis de milliariis D. usque DCC. non completa teneatur habere sex panceras, sex capirones, lanzonos & gittarolas CCC., *ballistas* (1) sex de corno, tres de strevo, & tres de pesarola vel turno, CL. quadrellos pro omni balestra de strevo, L. pro omni balestra de pesarola, vel de torno, tres crochos, tres tornos, tres pesarolas, duas cordas, unam magistram per quamlibet balistam.

*Idem.*

XL. Injungimus quod navis, vel aliud lignum de DCC. milliariis & inde supra, habeat octo panceras, octo capirones, octo helmos vel capelinas cum mascheris, octo scutos, lanzones vel gitarollas CCCC., ballistas quatuor de corno, de strue, ballestras quatuor de pesarola vel torno, quadrellos CL. pro omni balestra de strue, quadrellos L. pro omni ballestra de pesarola vel torno, quatuor crochos, quatuor tornos, vel quatuor pesarolas, duas cordas, unam magistram per omnem balistram.

*De emendatione armorum.*

XLI. Statuimus, quod si aliquis defectus in armis fuerit de istis quatuor capitulis supradictis, patronus vel marinarius navis, vel aliud ligni, cui aliquid defecerit de predictis, valimentum de omni defectu in duplum Comuni nostro debeat emendare.

*De statera in nave habenda.*

XLII. Volumus quod patroni cujuslibet navis, vel alterius ligni de milliariis CC. & inde supra, pro sua nave unam stateram habere debeant de justo pundere Veneciarum, cum qua at minus libras DCC. ad grossum possint pesare sub pena soldorum grossorum XX., que pena in nostrum Comune deveniat.

*Ubi patroni navem intrare tenentur.*

XLIII. Dicimus quod si navis in ipsa ituros patronos plures habuerit, unus at minus in navem intrat, antequam navis transeat modulum Sancti Nicolai in causa (2) omni die morando; similiter in reditu suo in Venecias moram in ipsa nave faciendo, usque dum navis non fuerit infra modulum predictum; patronus autem qui contra hoc fecerit, penam librarum L. incurat; quam penam nostri Consules in Veneciis exigere debeant & accipere infra XV. dies, *postquam eis datum fuerit in notitia; & si dictam penam non poterint excutere, Nos cum nostro Consilio infra dies* XV., postquam Nobis fuerit declaratum, ipsam in duplum accipere, vel accipi facere teneamur. Et hoc intelligimus de nave & ligno de milliariis CC., & inde supra.

*De illis, qui in nave morari possunt per Patronos.*

XLIIII. Precipimus, quod si navis tantum unum patronum habuerit, qui cum nave ire teneatur, ille navem intrare debeat, antequam navis modulum transeat Sancti Nicolai semper in ipsa morando. Similiter in reditu suo Venecias moram in navem ipsam faciendo, dum navis non fuerit infra predictum modulum, nisi patronus ille aliquem dimiserit loco sui, fratrem, filium, filium fratris vel sororis, consanguineum, vel parentem germanum, fratrem patris, vel matris, generum, vel cognatum, & omnem, prout sibi videbitur, poterit in nave dimittere de prædictis; & ille qui remanserit per patronum, ipsam potestatem habeat quam habuit qui navem reliquid. Et si predicta non observaverit, que patroni observare tenentur, patronus qui eum dimisit loco sui, nostro Comuni solvere teneatur *libras* L., quam penam nostri Consules excutere teneantur infra dies XV., postquam eis datum fuerit in noticia: & si dictam penam non poterint excutere, nos cum nostro Consilio infra dies XV. postquam Nobis fuerit declaratum, ipsam penam in duplum tollere, vel tolli facere teneamur. Nauclerius autem & marinarius sacramento teneatur quam cito poterit nostris Consulibus in Veneciis manifestare patronum, vel illum quem dimiserit loco sui, facientem contra predicta. Et hoc intelligimus in nave, buzo, & buzonave, & omni alio ligno de milliariis CC. & inde supra.

*De marinariis & nauclerio qui navem tenentur intrare, antequam transeant modulum Sancti Nicolai.*

XLV. Mandamus quod nauclerius & marinarius navem intrare debeant, antequam navis ipsa transeat modulum Sancti Nicolai, & de nave non exeat, nisi a patrono vel patronis navium, aut a naucleriis, vel a majori parte ipsorum sibi licentia data fuerit. Similiter in suo redditu in Venecias nullus de nave exeat, donec navis fuerit infra modulum predictum, aut licenciatus fuerit a prefactis hominibus; tam in eundo quam reddeundo due partes marinariorum semper sint in nave residenciam facientes. Qui autem fecerit contra predicta, pro omni die quo fuerit extra navem & steterit, penam soldorum XL. incurat. Statuimus quod a pa-



(1) *Ballistas.*) Vox a me suppleta.

(2) *In causa.*) Lege, *in ea.*

a patrono, vel patronis navis marinarii ſacramento aſtringantur manifeſtare patrono, vel patronis, ac ſcribano navis, necnon & bajulis & locorum rectoribus & civitatum, qui pro Nobis & Comuni Veneciarum fuerint in terris, in quibus portum navis fecerit, facientes contra predicta. Tunc vero rectores noſtri vel bajuli dictam penam pro noſtro Comuni excutere teneantur & accipere. Et in Veneciis marinarii infra octo dies, poſtquam Venecias intrabunt, manifeſtare noſtris Conſulibus teneantur; & tunc noſtri Conſules infra dies xv. dictam penam teneantur excutere, poſtquam eis dictum fuerit: ſi autem dictam penam non poterunt excutere, Nos cum noſtro Conſilio infra dies xv., poſtquam Nobis dictum fuerit, eam accipere vel accipi tollere faciemus, de qua pena Comune habeat duas partes, & accuſator terciam. Hoc intelligimus in nave & omni ligno de cc. milliariis, & inde ſupra.

*Quod patroni non poſſunt marinarios cambiare.*

XLVI. Confirmamus, quod patronus aliquem marinarium, quem in ſua nave habuerit, in viatico vel viaticis non debeat cambiare, niſi de voluntate majoris partis mercatorum. Ipſius vero navis patronus, qui contra hoc fecerit, noſtro Comuni in duplum marinariciam marinarii emendare teneatur. Ordinamus, quod omnes marinarii teneantur hoc manifeſtare ſcribano navis, aut bajulo, vel rectoribus, qui erunt in ipſis terris & locis pro Comuni Veneciarum, in quibus naves portum fecerint. Si patronus minime obſervabit antedicta, noſtri bajuli vel rectores pro Comuni Veneciarum a patrono illius navis dictam penam auferre debeant: ſi tollere non poterunt, nobis debeant ſuis literis intimare: Marinarii autem infra dies xv. poſtquam Venecias intrabunt, ſimiliter debeant Conſulibus manifeſtare; & tunc dicti Conſules a patrono navis infra dies xv. debeant dictam penam excutere; & ſi predictam penam excutere non poterint, Nos cum noſtro Conſcilio infra dies xv. poſtquam Nobis datum fuerit in noticia, ipſam penam accipere, vel accipi facere teneamur. Et hoc intelligimus de nave & ligno alio de milliariis cc. & inde ſupra.

*De nave naulizanda.*

XLVII. Affirmamus quod nullus niſi qui navem juraverit, navem aliquam debeat naulizare, donec ipſa navis non fuerit naulizata, uſque ad tercium ſui extimacione. Quicunque vero contra hoc fecerit, & navem naulizaverit, penam ſoldorum v. per quodlibet milliare incurat de tanto quanto navis fuerit extimata; quam penam noſtri Conſules in Veneciis tollere debeant infra dies xv. poſtquam eis dictum fuerit: & ſi accipere non poterunt, Nos cum Noſtro Conſcilio infra xv. dies, poſtquam Nobis fuerit dictum, ipſam tollere vel tolli facere faciemus, que pena in noſtro Comuni veniat. Ipſe cum navem juraverit aſtringi debeat ſacramento; cum navem noluerit (1) naulizare, inquirat vel inquiri faciat ſine fraude dilligenter, ſi correda illius navis, videlicet arbores, antene, timones, timonarie, fuerint magagnate, ipſis corredis dilligentiſſime cercatis; cum ad partes aliquas navis fuerit naulizata, ſi magagna aliqua in ipſis coredis inventa fuerit, vel ſciverit, aut credetur, ſtatim ipſam magagnam manifeſtabo (2) quam ſcivero vel credidero, & dicam primis naulizatis, tam ſi pro ipſis requiſitus fuero, quam non, & ſi per eos interrogatus fuero, ſi alicui navem comiſerit, ipſis dicam cui comiſit. Similiter patronus, qui navem jurabit, teneatur ſacramento habere predicta coreda & varnimenta ſue navis, & eciam marinarios, quos ſecundum formam Statuti habere tenetur, que ſacramenta noſtri Conſules ab eo recipere tenentur. Hoc intelligimus in nave, & quodlibet alio ligno de milliariis cc. & inde ſupra.

*Quod non vendantur, neque alienentur ſartia vel correda navis.*

XLVIII. Precipimus quod patronus aſtringi debeat ſacramento, quod non vendat, neque vendi faciat, neque alienabit, neque alienari faciet modo aliquo vel ingenio illa ſarcia vel correda, vel aliquid ex eis, que in viatico, vel in viaticis, pro ſua nave habuerit, niſi cauſa meliorandi pro utilitate ipſius navis illa ſarcia, vel correda, vel ad ſuveniendam in neceſſitate aliquam navem, cui neceſſaria fuerint ipſa ſarcia vel correda; de quibus licitum ſit patrono cum voluntate & conſenſu majoris partis naulizatorum & marinariorum ipſius navis vendere ex ſuis coredis vel ſarciis illi navi: ita tamen quod illa correda vel ſarcia, que vendiderit ipſe patronus, quam cicius poterit per ſacramentum recuperare teneatur. Patronus autem qui contra hoc fecerit, in duplum valimentum corredi, quod vendiderit, debeat emendare noſtro Comuni. Et hoc intelligimus in nave & alio ligno de milliariis cc. & inde ſupra.

*De aliquo non ponendo ſuper crucem.*

XLVIIII. Item patroni aſtringantur ſacramento, quod non ponent, neque poni facient, neque etiam poni permittent aliquid ſuper crucem, quod poſſit facere aliquod impedimentum ad rectam menſuracionem fa-

(1) *Noluerit.*) Lege, *voluerit*.
(2) Variatio perſonæ, quæ hic uſque ad finem periodi occurrit, ſenſum legis non intervertit.

faciendam illius navis sub pena dupli de omni eo quod posuerit. Et si illius patroni, vel illorum patronorum navis non fuerit, sed illi fuerit comissa, & ipse aut ipsi predictam penam solvere non poterit, patronus, vel patroni, cujus aut quorum navis fuerit, nostro Comuni penam predictam debeat vel debeant emendare. Hoc intelligimus in nave, & alio ligno de milliariis cc. & inde supra.

*De tollendo sacramento a marinariis navium.*

L. Imponimus, cum patroni alicujus navis, vel alterius ligni, de milliariis cc. & inde supra, pro sua nave aut ligno acceperit marinarios, & cum aliquo illorum fuerint concordes, talle ab ipso accipiat sacramentum. Hec est forma sacramenti, quod facere debent marinarii.

*Capitulum sacramenti quod faciunt marinarii.*

LI. Juro bona fide sine fraude, quod navem & correda & avere quod erit in nave, cujus sum marinarius, custodiam & salvabo; & in viazo isto non furabor nec furari faciam ultra soldos quinque denariorum Venetorum parvorum in ipsa navi. Si vero per totum istum viazum aliquem scivero qui defraudabit ultra soldos v. denariorum Venetorum parvorum in ipsa nave, ipsum quam cito potero patrono, vel patronis istius navis, aut nauclerio, vel minus quinque de naulizatoribus, si tanti erunt in ipsa nave, & si quinque non erunt, illis qui erunt, manifestare non tardabo. Et si aliquam magagnam scivero in arboribus ipsius navis, vel timonariis, timonibus, ipsam magagnam nauclerio, & penasio, & quinque naulizatis, si tanti fuerint naulizati in ipsa navi, & si tanti non fuerint, illis qui erunt, quancicius potero, dicam & manifestabo. Similiter & si de saorna projectum fuerit extra navem, postquam fuerit saornata, Avocatore Comuni, si in Venecias intravero, manifestabo; & si ad partes aliquas ibo, in quibus fuerit rector pro Domino Duce, & Comuni Veneciarum, quam cicius potero dicam rectori ibidem moranti, nisi esset factum de comuni utilitate, & voluntate majoris partis illorum, qui saornaverunt ipsam navem, aut pro cambio quatuor rerum, que inferius continentur, scilicet ferri, stagni, plumbi, & rami non laborati: dicendo mercatoribus, Avocatoribus Comunis, vel rectori supradicto, quanta fuerit illa saorna bona fide, que extra navem projecta fuerit. Et manifestabo patrono, vel patronis, scribano navis, nec non bajullo, vel rectori, qui pro Domino Duce, & Comuni Veneciarum in loco extiterit, in quo navis portum fecerit, & in Veneciis Avocatoribus Comunis in redditu meo, omnes facientes contra tenorem Statuti de nave, postquam ipsa in eundo modulum transierit Sancti Nicolai, vel antequam navis sit infra modulum predictum in reddeundo, qui tenentur stare in ipsa nave secundum formam Statuti. Et habeo arma in isto viazo, sicut in Statuto Comunis Veneciarum continetur. Et si in illa navi ellectus fuero timonarius, non recusabo, nisi justum habuero impedimentum, a marinariis illud precium habendo, quod quicunque sentenciabunt, vel major pars illorum, qui navem habent regere. Et si navis illa frangeretur, quod Deus avertat, ad recuperandum navem, res, & merces, & correda ipsius stabo per quindecim dies, nisi remanserit per mercatores, vel majorem partem eorum; de rebus quas recuperabo, per centenarium tres habebo, et non plus. Hoc intelligimus in nave, et omni ligno de cc. milliariis et inde supra.

*De Scribanis habendis.*

LII. Mandamus quod quelibet navis aut lignum de milliariis cc. & inde supra duos scribanos habere debeat, qui scribere debeant omnes merces, & numerum, & pundere, que in nave caricabuntur, signo signantes; qui constitui debent, si accepti fuerint in Veneciis, per nostros Consules, vel majorem partem eorum. Si autem accepti fuerint in locis, quibus per nos existit *rector*, constitui debeant de voluntate majoris partis *patronorum navis, & mercatorum, &* ipsius rectoris ibidem existentis. Et si fuerint accepti in loco, in quo pro Nobis, & Comune Veneciarum non fuerit rector, constitui debeant de voluntate majoris partis patronorum navis, & mercatorum, patronus tanquam unus ipsorum in ipsis computatus. Qui cum fuerint examinati accepti examinentur, si ad istud officium fuerint sufficientes & legales. Patronus autem vel patroni, qui aliter scribanum, vel scribanos accipient, vel accipiet, nostro Comuni pro omni scribano emendare debeat, vel debeant libras centum pro omni scribano; quam penam nostri Consules in Veneciis infra dies xv. postquam eis dictum fuerit excutere teneantur. Similiter & rectores dictam penam teneantur excutere in omnibus locis quibus fuerint infra dies xv. postquam eis dictum fuerit, & accipere. Et si predicti nostri bajuli, & Consules, ac rectores ipsam penam non poterint accipere, Nos cum nostro Consilio infra xv. dies postquam Nobis dictum fuerit per nostros Consules, bajulos, & rectores, illam penam tolli faciemus predictam; de qua pena qui acusabit libras x. denariorum debeat habere. Qui scribani in hunc modum jurare debeant, & facere sacramentum.

*Sacramentum Scribanorum.*

LIII. Juro ad sancta Dei evangelia, quod scribam numerum & pondere & omnes mer-

ces que caricabuntur in nave, cujos sum scribanus, legaliter & bona fide; & omni edomada, usque dum navis non fuerit caricata, concors ero cum socio meo scribano de omni quod in quaterno meo scriptum habebo, & quod socius meus in suo quaterno scriptum habuerit, & quod ponderatum & caricatum erit in ipsa nave, aut positum sine pondere, quod propter defectum statere non posset ponderari, vel quia totum conveniens non fuerit ponderandi; & in quaterno meo scribam omnia que socius meus scripta habebit in quaterno suo, que michi ad scribendum dabit, & que ipso presente ponderata fuerint & caricata, scribam; & nulla mercem scribam in quaterno meo, vel dabo socio meo ad scribendum, nisi illa, que ut dictum est fuerit pesata, vel de concordia patroni & mercatoris in nave fuerit posita que non potuit pesari pro eo quod statera haberi non potuit, vel que non fuit conveniens ad pesandum, sicut sal, mandule, valania, granum, nuces, nucele, & res consimiles, pars quarum ponderari debeat; & cum merces caricabuntur, & pesabuntur, aut ponentur in nave de concordia patroni & mercatoris me presente, vel socio meo, scribam in quaterno meo nomen illius, cujus merces fuerint, & signabo signum illius, quod erit in loco (1) suo, aut fasso, vel bala; & dabo & presentabo omni mercatori, & marinarii, si voluerint recipere scriptum omnium suorum colorum, fassorum, & ballarum, & omnium aliarum suarum rerum, sicut scriptum habeo in quaterno meo, & dari faciam socio meo infra octo dies postquam navis vellum fecerit; & si ero ad partes aliquas, in quibus non fuerit rector pro Domino Duce & Comuni Veneciarum, ipsam navem cum caricata fuerit mensurabo simul cum scribano socio meo, & duobus mercatoribus illis, qui deputati fuerint ad ipsam caricandam & saornandam; & si navis ipsa ultra Statutum erit caricata; totum illud quod plus caricatum fuerit de Statuto, quanta miliaria fuerit vel cantaria cum eis legaliter extimabo, & scribam in quaterno meo ipsam quantitatem que ultra Statutum plus fuerit caricata; & infra octo dies postquam in Venecias intravero, Domino Duci, & ejus Consilio in scriptis presentabo; & si ad aliquem locum navis portum fecerit, *ubi est* rector pro Domino Duce, & Comuni Veneciarum, dabo in scriptis ipsam quantitatem ipsi rectori qui ibidem steterit, & fuit, dum scapulus fuero, si requisitus fuero de aliquibus rebus, que ad meum officium pertinebunt, secundum bonam meam conscientiam veritatem non tacebo. Item pesabo omnia, que a patrono & mercatoribus fuerint presentata, ipsis presentibus vel ipsorum nunciis pro utraque parte legaliter & bona fide. Hoc intelligimus in nave & omni ligno cooperto de milliariis cc. & inde supra.

*Quod merces iterum debeant pesari.*

LIIII. Precipimus quod merces omnes debeant iterum pesari, que in alia nave caricabuntur, presente uno de scribanis, & omnes merces in nave posite camarate computentur in milliariis, vel cantariis, si esset per defectum statere, quod tantum statera simul non levaret merces, aliquod non poterit ponderari, merces ille ponantur in nave, sicut patroni se cum naulizatis concordabunt, & si alique merces fuerint, que omnes non essent apte ad portandum, (2) sicut sal, mandule, valenea, granum, nuces, & nucelle, & res consimiles, pars quarum debeat ponderari, reliqua vero computetur & ponetur in nave secundum racionem partis ponderate. Patronus, qui contra hoc fecerit, duplum quantitatis nauli posite in sua nave sine pondere, vel aliter quod dictum est, nostro Comuni debeat emendare, nos tenentes semper ad carum nabulum, quod in ipsa nave fuerit naulizatum. Hoc intelligimus in nave & omni alio ligno de milliariis cc. & inde supra.

*Quando Consules mensurare tenentur naves.*

LV. Affirmamus, quod nostri Consules, vel major pars ipsorum in Veneciis teneantur, & ire debeant extra portum Rivoalti ad mensurandum naves secundum tenorem nostri Statuti, postquam fuerint caricate causa suum viacium faciendi; & si ultra Statutum navem aliquam invenient caricatam, illud plus quod milliaria fuerint extimabunt; & omni milliari de toto illo, quod ultra Statutum plus caricatum fuerit duplum nabulum a patronis ipsius navis exigere debeant, & accipere: & si penam illam auferre non poterunt, Nobis, nostroque Consilio debeant declarare, & nos cum nostro Consilio infra xv. dies, postquam Nobis dictum fuerit, penam predictam auferre, vel accipi facere teneamur, nos tenentes ad carius naulum, quod in ipsa fuerit naulizatum. Hoc intelligimus in nave & ligno alio cooperto de cc. miliariis & inde supra.

*Quod potestates, duces, bajuli, castelani, consules debeant naves mensurare.*

LVI. Decernimus, quod potestates, duces, bajuli, consules, & rectores, vel ipsorum consiliarii, qui pro Nobis & Comuni Veneciarum fuerint in terris, quibus naves Veneciarum fuerint, debeant ire ad mensuran-

(1) *Loco.*) Lege, *colo*: vox negotiatoribus usitata.

(2) *Ad portandum.*) Lege, *ad ponderandum.*

randum naves, poſtquam fuerint caricate cauſa ſuum viacium faciendi; & ſi plus navem invenient caricatam de Statuto, illud plus extimabunt, quod miliaria vel cantaria fuerint, & totum ſuperfluum in duplum nauli accipere debeant a patrono navis, ſemper ſe tenentes ad carius naullum, quod in ipſa nave fuerit naulizatum; quam penam Nobis pro Comuni Veneciarum mittere bona fide, quam cicius poterunt, teneantur. Si tollere non poterint penam illam, Nobis ſuis litteris intimabunt; & nos infra xv. dies poſtquam ſciverimus, dictam penam a patronis, quorum naves erunt, vel ab illis, quibus comiſſe fuerint, accipere, vel tolli facere teneamur; videlicet, a navibus, que caricabunt in Romaniam ſoldos XXXII. iperperorum pro omni iperpero; & a patronis navis, que caricabit ultra mare, pro omni bizancio ſoldos XXVIII., & a patronis navium que caricabunt Carbo, vel in Barbaria, ſoldos XVIII. pro omni biſancio; & a patronis navium, que caricabunt in Ciciliam, & in Calabriam, & in Apuliam, pro omni uncia auri libras VIIII. Si vero predicti rectores, vel conſiliarii eorum ire non poterint ad menſurandas naves, ſicut ſuperius continetur, duobus legalibus hominibus vel (1) comittant ab eis ſacramentum accipientes, quod naves ipſas bona fide legaliter menſurabunt; & ſi ultra Statutum navem aliquam invenerint caricatam, ſuperfluum caricatum quod miliaria vel cantaria fuerint extimabunt, dantes eis in ſcriptis totum illud ſuperfluum. Tunc autem rectores noſtri penam ipſam a patronis accipere debeant, vel Nobis ſignificare, ut eſt ſuperius denotatum. Et ſi iſti duo predicti ire recuſabunt ad naves menſurandas, tunc rectores noſtri poſſint ipſis penam vel penas imponere & auferre; & ſi tollere non poterunt, Nobis debeant ſuis litteris intimare, & Nos cum noſtro Conſilio infra xv. dies poſtquam Nobis notificaverit, penam illam vel penas tollere vel tolli facere teneamur. Si autem aliqua navis ad talem partem venerit, in qua rector pro Nobis & Comuni Veneciarum non fuerit, duo mercatores *qui* ad navem ſaornandam fuerant deputati, & duo ſcribani ejuſdem navis navem ipſam debeant menſurare; ſi vero navem ipſam ultra Statutum invenerint caricatam, quod miliaria vel cantaria fuerit illud ſuperfluum quod fuerit caricatum extimabunt, & illud ponentes in ſcriptis in ſuo reditu in Venecias Nobis infra octo dies poſtquam Venecias intraverint, preſentabunt; & ſi in viatico illo Venecias non venerint Nobis ſuis litteris, quam cicius poterunt, denotabunt, & eciam rectoribus ipſarum terrarum, & Nobis; & eis carius naulum, quod in ipſa fuerit naulizatum, ipſi rectores ſecundum ipſum naulum teneantur & debeant duplicem penam a patronis qui plus caricabunt, excutere, & accipere; & ſi excutere non poterunt, Nobis teneantur ſuis litteris denotare, & Nos cum noſtro Conſilio dictam penam infra xv. dies, poſtquam notificaverit accipere vel accipi facere teneamur. Hoc intelligimus de nave, & ligno alio cooperto de miliariis CC. & inde ſupra.

*Si naves menſurari non poterunt.*

LVII. Precipimus, ut omnes predicti qui naves menſurare tenentur ordine premiſſo eas iverint menſurare, impediente mare vel alia juſta cauſa non poterunt menſurare, ipſam debeant bona fide legaliter extimare; et ſi plus ipſam invenerint caricatam, ſecundum modum ipſum ſuperfluum extimabunt, et ordine ſuperius comprehenſo. Hoc intelligimus in nave et ligno de miliariis CC. et inde ſupra.

*Si navis fuerit menſurata quod nichil in nave poteſt poni.*

LVIII. Inponimus, quod poſtquam aliqua navis, ut ſupradictum eſt, fuerit extimata, vel menſurata, ſi aliquid in ipſa poſitum fuerit, patronus navis illius duplum repti nabuli pro quantitate poſita poſt menſurationem noſtro Comuni emendare debeat, nos ad carius naulum ſemper tenentes, quod in ipſa fuerit naulizatum. Hoc intelligimus in nave et omni ligno de CC. miliariis et inde ſupra.

*Quod inter duas covertas nichil habeat caricatum, niſi tantum imbolium, & victualia non debeat habere.*

LVIIII. Mandamus, quod nulla navis inter duas coopertas caricatum habeat, niſi tantum imbolium, exceptis victualibus que ponuntur in glavam pro illis hominibus qui ſunt in nave. Super coverta de ſupra nulla mercis mittatur, niſi zambeloti, et opera de ſeta; que omnia ſupradicta ſuper coverta deſupra cum voluntate mercatoris et patroni fuerint poſita, in patronorum cuſtodia non debeant permanere. Hoc intelligimus de omni nave et ligno de CC. miliariis et inde ſupra.

*De victualibus ponendis inter duas covertas.*

LX. Volumus, quod ſi navis aliqua de victualibus caricabitur in aliis partibus hujus modi (2) licitum ſit patrono illius navis inter duas covertas ponere de victualibus glava non impediente per noſtra Statuta ordinata. Hoc intelligimus in nave et ligno alio de miliariis CC. et inde ſupra.

*De*

(1) *Vel* ſuperfluit.

(2) *Hujus modi.*) Lege, *hujus mondi.*

*De mercibus in nave recipiendis.*

LXI. Injungimus, quod quando mercatores et marinarii juxta navem et scalam voluerint conducere suas merces, et ipsas patronis ad caricandum dare, antequam fiat hoc, ut convenienter possit recipi de noticia patroni, tunc patronus vel alius pro ipso permanendo eas recipere teneantur, & in navem eciam caricare suis expensis. Similiter suis expensis teneantur patroni suas naves discaricare & dare mercatoribus & marinariis integre suas merces, & in nave vel plato ponere, ubi navis discaricabitur. Patronus autem qui contra hoc fecerit, in duplum emendare teneatur mercatori vel marinario de omnibus que expendiderit pro suis mercibus tam caricando, quam discaricando. Et si patronus illud duplum emendare mercatori vel marinario recusabit, Nos cum nostro Consilio, postquam Nobis in noticia datum fuerit, infra xv. dies illud duplum tollere vel tolli facere, & dare mercatori vel marinariis teneamur. Hoc intelligimus de nave & omni alio ligno de cc. miliariis & inde supra.

*Quod patroni habeant in custodia merces mercatorum vel marinariorum per scriptum.*

LXII. Dicimus quod postquam merces in nave fuerint posite secundum tenorem & ordinem Statuti, vel buzonave, & alio ligno de cc. miliariis & inde supra, in patronorum custodia debeant permanere; & sicut in patroni custodia per scriptum merces receperit, ita eas per scriptum mercatori cum integritate restituere teneatur, excepto per forcium, per ignem, per fortunam temporis, aut quod extra projecte fuissent.

*Quando mercatores debent recipere merces suas.*

LXIII. Volumus, quod postquam navis vel aliud lignum de cc. milliariis & inde supra in aliquo loco portum fecerit, in quo debeat discaricare, patronus cum properaverit (1) merces mercatoris ad portum ad discaricandum, notificet mercatori ut suas merces recipiat; & tunc mercator ipso die, vel alio, suas merces recipere teneatur. Omnis mercator qui hoc non fecerit, libras III. omni die, quod plus steterit suas merces recipere, patrono illius navis solvere teneatur: salvo per impedimentum mali temporis, & de mercibus vastatis, quod in Veneciis nostri Consules, vel extra Venecias nostri rectores debeant diffinire.

*De vastatione mercimoniarum.*

LXIIII. Volumus, cum merces mercatoris, postquam in nave vastabuntur, si de restauratione dampni mercator concors esse non poterit cum patrono; tunc nostri Consules & rectores illius loci, in quo navis fuerit, illud dampnum, antequam merces extrahantur de nave, videre debeant, & stimare dampnum quod fit. Si vero dampnum in nave stimare non poterunt, merces discaricari faciant, ut illud dampnum stimare valeant. Facta existimatione, tunc dicti Consules vel rectores de illo dampno possint & debeant fieri satisfacere mercatori, secundum quod ipsis de jure videbitur convenire. Salvo si patronus posset probare, quod illud dampnum fuisset occaxione ignem extinguendi, vel fortunam temporis habuisset, propter quam patronus penam aliquam non incurat; que probatio fieri & cognosci debeat & determinari per Consules vel rectores predictos. Si vero merces aliter vastarentur, ed videbitur supradictis, quod occaxione patronorum evenisset, illi, cujus merces fuerant, fiant satisfieri secundum stimationem dampni. Et si dampnum aliquod in oleo, vino, melle, & cucaro, vel aliud liquidum eveniret, si videbitur supradictis, quod occaxione patronorum evenerit, ipsi secundum stimationem dampni facient satisfieri. Et si aliter extraherent suas merces, nulla restauratio fiat eis. Si rectores illius loci, in quo navis fuerit, non poterit satisfacere (2) mercatori, Nobis debeant suis litteris quam cicius poterunt intimare: similiter in Veneciis nostri Consules infra xv. dies Nobis debeant declarare; & Nos cum nostro Conscilio infra xv. dies postquam Nobis a Consulibus vel rectoribus nostris fuerit declaratum, mercatori secundum dampni stimationem satisfieri facere teneamur in duplum. Hoc intelligimus in nave, & omni ligno de milliariis cc. & inde supra.

*De mercibus que trahantur per pilum, quantum patroni solvere teneantur.*

LXV. Injungimus quod de omni saco bambacii de ultra mare qui de nave discarigabitur fuerit extractum per pilum, patronus ipsius navis libras VII. pro omni saco extracto per pilum, cujus sacus fuerit, debeat emendare: de omni saco de Romania, vel Calabria, libras IIII., & de omni saco de lana de Toniso, vel Barbaria, libras VI., & de omni saco de lana rota, libra IIII., & de omni saco & storra aliarum lanarum, soldos XL. Et si patroni recusarent solvere, Nos cum nostro Conscilio infra xv. dies postquam Nobis dictum fuerit, solvi facere teneamur, dantes

(1) *Properaverit.*) Forte, *preparaverit.*
(2) *Non poterit satisfacere.*) Lege, *non poterunt satisfieri facere.*

tes illi cujus facus vel storia fuerit. Hoc intelligimus in nave & omni ligno de cc. milliariis et inde supra.

*De cassellis in nave portandis.*

LXVI. Mandamus quod quilibet mercator, vel marinarius, aut miles, aut presbiter ipsius navis, tantum unam caselam habeat in ipsa nave ad mittendum in ipsa quidquid voluerit; & nullus servitor in ipsa nave caselam habeat.

*De mataraciis in nave portandis.*

LXVII. Dicimus quod omnes naulizati & marinarii potestatem habeant ponendi & portandi in nave unum mataracium de septem rotulis, & non plus; et si plus fuerit, de toto mataracio naulum solvat patrono: hoc ei locum habeat ut dictum est, si lectum non habuerit. Si lectum habuerit, & in nave posuerit mataracium, de ipso solvat naullum patrono.

*De portandis lignis in nave.*

LXVIII. Jubemus quod nullus mercator vel marinarius ligna portet in nave, nisi quanta ei fuerit suficiencia usque ad locum, ad quem est iturus; et totum lignum quod fuerit superfluum, patroni debeant habere. Hoc intelligimus in nave et omni ligno de cc. miliariis et inde supra.

*De vino in nave portando.*

LXVIIII. Confirmamus, ut ituri ultra mare per totam Barbariam unum biguncium de vino, et unum de aqua, et non plus, omnis eorum habere possit in nave, tam eundo quam redeundo, ad omnes alias partes hujus mondi, duas partes de biguncio de vino, et duas partes de biguncio de a. qua in nave portare debeat, et non plus. Quicunque plus portaverit, illud plus in suis miliariis vel cantariis debeat computari. Hoc intelligimus in nave et omni ligno de miliariis cc. et inde supra.

*De farina & biscoto in nave portando.*

LXX. Statuimus quod illi qui debent ire ultra mare, et ad omnes alias partes hujus mondi extra gulfum, quilibet de vobis portare possit duo staria et unam quartam inter farinam et biscotum tam eundo quam redeundo, eciam et in omni viatico, extra gulfum. Quicunque plus possuerit, totum illud plus in suis miliariis vel cantariis debeat computari.

(*Deest titulus.*)

LXXI. Volumus quod si aliquis plus in nave possuerit quod ponere non debeat, de illo plus in nave posito duplum nauli carioris patrono navis solvere teneatur. Hoc intelligimus in nave et omni ligno de cc. milliariis & inde supra.

*Quantum navis & ligna caricari debeant super crucem.*

LXXII. Affirmamus quod navis vel aliud lignum de milliariis cc. et inde supra, super crucem que plus est sub aqua debeat caricari tantum duobus pedibus & quarta, et hoc a primo die quo velum fecerit usque ad quinque annos; et a quinque annis usque ad septem tantum possit duobus pedibus caricari; et a septem annis supra, uno pede et medio possit caricari. Patronus qui contra hoc fecerit, nauli duplum de omni eo, quod plus caricaverit, nostro Comuni emendare teneatur de omni caro naulo quod in ipsa nave vel ligno fuerit naulizatum.

*De nave & lignis que caricabuntur de peregrinis.*

LXXIII. Mandamus quod navis aliqua in Veneciis vel extra Venecias, que tota peregrinis fuerit naulizata, licitum sit patrono ipsam carigare, sicut cum peregrinis in concordia fuerit. Si plus caricaverit, nostro Comuni in duplum debeat emendare. Hoc intelligimus in nave et alio ligno de cc. miliariis et inde supra.

*De lignis & nave que caricabuntur de victualibus.*

LXXIIII. Dicimus quod navis vel aliud lignum de cc. miliariis et inde supra, que caricabitur de victualibus, vel de sale, per culsum nostrum euntes aut venientes, ut cum naulizatis concordabunt, caricari debeant. Si autem plus caricaverit, illud quod receperit, in duplum nostro Comuni debeat emendare.

*De nave & ligno quod caricabitur extra Culsum Veneciarum.*

LXXV. Inponimus quod navis vel aliud lignum de cc. miliariis et inde supra, quod infra nostrum culsum navigaverit, et de mercibus caricaverit, tantum duobus et medio pedibus super crucem que magis est sub aqua debeat caricari; et hoc primo postquam velum fecerit usque ad septem annos. Si plus caricabit, duplum nauli de ipsa quantitate nostro Comuni debeat emendare, ita quod tenere debeamus ad carius naulum, quod in ipsa nave fuerit naulizatum. Navis que a septem annis supra fuerit, navigaverit per ipsum gulfum, tantum duobus pedibus super dictam crucem sub pena predicta debeat caricari.

*Idem.*

LXXVI. Confirmamus quod navis vel alia ligna de cc. miliariis et inde supra, que in culso occaxione eundi extra culsum de victualibus caricabunt, tantum duobus pedibus et medio super crucem que plus est sub aqua possint caricari, et hoc postquam velum

velum fecerit usque ad septem annos; a septem annis supradictis in antea, duobus pedibus tantum. Patronus qui contra hoc fecerit, naulum duplum de omni eo quod plus caricaverit, nostro Comuni debeat emendare, ita ut Nos semper teneamus ad carius naulum quod in ipso fuerit naulizatum.

*De valania caricanda.*

LXXVII. Volumus quod navis vel aliud lignum de cc. miliariis et inde supra, quod vel que caricabitur de valania, in quo vel in qua non fuerint mercatores, tantum duobus pedibus et dimidio debeant caricari. Valania tantum poni debeat ubi sibi melius placuerit, excepto super cooperta superiori, et glava, que debet dimitti per naves que veniunt de Romania.

*De adjuctorio in navi dando in necessitate.*

LXXVIII. Dicimus quod postquam navis de portu exiverit, et contingerit ut cum alia nave, cui fuerit aqua molata, vel fuerit periculata se viserit, (1) ipsam invenerit in aliquo portu, liceat patrono ejusdem navis, et illis qui fuerint in ipsa nave, de rebus ipsius navis ad suam voluntatem recipere cum consensu et voluntate majoris partis mercatorum et marinariorum, ponendo eas ubi melius vobis placuerit. Si autem propter hoc patronus plus caricaverit, penam aliquam non incurat. Patronus qui contra hunc ordinem fecerit, totum naulum quod recipient de rebus illis, nostro Comuni debeat emendare. Hoc intelligimus in nave et omni ligno de miliariis cc. et inde supra.

*De naulo non recipiendo.*

LXXVIIII. Ordinamus quod navis que de aliquo portu exiverit de aliqua parte, et intraverit in aliquo loco in quo naulum habere poterit, non debeat recipere aliquod naulum nisi cum majori parte de naulizatis et marinariis, de quo naulo navis quartam partem habeat, illius quod remanet, secundum usum dividatur: et quicunque contra hoc fecerit, ipsum naulum in duplum debeat emendare Comuni Veneciarum; salvis ordinamentis inter ipsos factis de ipso naulo; et nostra statuta salva, firma, et stabilita per omnia esse debeant.

*De glava in nave dimittenda.*

LXXX. Injungimus, quod naves que a Veneciis caricabuntur occaxione eundi extra culfum, glavam dimittere debeant a secundis stantis arboris de medio usque ad stantos qui sunt ultra portam. Hoc intelligimus in nave, et omni ligno de cc. miliariis et inde supra.

*De mercibus habendis inter duas covertas.*

LXXXI. Statuimus, quod naves que caricabuntur in Alexandria usque Sathaliam inter duas covertas merces habeant ab arbore de medio usque ad arborem de proda, set una camarela esse debeat ab arbore de medio usque ad portam inter stantes pro utilitate sarciorum ipsarum navium. Hoc intelligimus in nave et omni ligno de cc. miliariis et inde supra.

*De glava inter stantes quatuor dimittenda.*

LXXXII. Ordinamus, quod naves que caricabuntur a montibus de Barchis in antea usque ad Septam, vel Ciciliam, dimittere glavam debeant in quantum tenent quatuor stanti ipse porte de proda de latere in latere. Hoc intelligimus in omni ligno de cc. milliariis et inde supra.

*De glava.*

LXXXIII. Injungimus quod naves que veniunt de Romania extra culfum glavam dimittere debeant ab arbore de medio usque ad stantes qui sunt ultra portam. Hoc intelligimus in ligno et nave que sunt de milliariis cc. et inde supra.

*De marinariis retinendis qui navem relinquerint.*

LXXXIIII. Volumus quod si aliquis marinarius contra pactum convencionis voluerit relinquere navem, licitum sit patrono ipsum marinarium retinere, donec pactum convencionis adimpleat. Marinarius qui navem relinquerit per forcium vel fortive contra pactum convencionis, totum illud quod receptum habet per marinariciam, in duplum patrono redere teneatur; et insuper tantum plus quantum super hoc statuere aut diffinire voluerint judices ordinati. Hoc intelligimus in nave et omni ligno de milliariis cc. et inde supra.

*De pagamento non facto marinariis ad terminum.*

LXXXV. Ordinamus quod si patroni marinariorum ad statutum terminum non fecerint pacamentum, ex tunc in antea teneantur patroni ipsum pacamentum in duplum marinariis restaurare. Similiter si naulizati patronis ad statutum terminum non pacaverint, naulum in duplum ex tunc in antea patronis mercatores solvere teneantur, et insuper pro pena soldos II. pro libra; ubi non erit terminus constitutus, volumus sub pena predicta, quod secundum convenciones que facte sunt observetur.

*De juncta marinariorum & patronorum.*

LXXXVI. Statuimus quod navis naulizata ad partes Romanie eundum, vel ultra ma-

(1) *Se viserit.*) Forte addendum *aut*, & legendum: *aut ipsam invenerit* &c.

mare, vel ad alias partes hujus mondi, que cum marinariis ex pacto ybernare tenetur ibidem et Venecias reverti, et aliquid jungi debuerit navi et marinariis pro ybernare; et advenerit quod ipsa navis eundo in viatico ad partes alias de comuni voluntate debeat ybernare; statuimus quod in ipso loco in quo ybernaverit, totum illud marinariis jungatur et patronis, quod est ex pacto stabilitum ybernare (1) fuerat ordinatum: nichilominus statuentes ut patroni et marinarii quod statutum quod fuerat primo teneantur per omnia naulizantibus observare. Hoc intelligimus in nave et omni ligno de cc. milliariis et inde supra.

*Aliud capitulum.*

LXXXVII. Volumus quod navis naulizata ad partes Romanie, vel ultra mare, aut ad partes alias hujus mondi, ita ut in illo loco scapula esse debeat; et advenerit quod ipsa navis ad alias partes eundo et redeundo in viatico de voluntate omnium mercatorum et marinariorum, aut de voluntate majoris partis ipsorum debeat ybernare; statuimus quod in illo loco, in quo navis taliter ybernabit, quarta pars ipsius precii omnes debeant naulizati jungere patronis, et quartam partem marinaricie patroni marinariis jungere teneantur. Patroni et marinarii naulizatis quod ordinatum primo fuerat debeant observare. Hoc intelligimus in nave et omni ligno coverto de milliariis cc. et inde supra.

*De quinque hominibus constituendis super factis navium.*

LXXXVIII. Dicimus, quod patronus vel patroni omnis navis vel alius ligni extimate vel extimati milliariis cc. et inde supra, mercatoribus naulizate vel naulizati, que vel quod iverat (2) Ragusium vel inde in antea, seu Sipamtum vel inde in antea, tam eundo quam redeundo ita procurare debeat cum mercatoribus ipsius navis et ligni, quod in ipsa nave et ligno sint quinque homines constituti, ex quibus unus sit patronus constitutus, et alius nauclerius, et alii tres sint mercatores; illi mercatores qui fuerint accipi debeant per majorem partem mercatorum, et ellegi; et si patronus vel patroni hoc non possuerint coram mercatoribus, et ut dictum est procuraverint, penam incurant librarum c. pro omni eorum patronorum; et mercatores qui ad hanc ellectionem et hoc factum fuerint & contradixerunt, penam librarum x. pro omni mercatore incurat (3). Qui quinque supra dicti, vel major pars ipsorum potestatem habeant navigandi, armizandi, collandi, vellum ponendi, vellum mutandi, et temonarios elligendi, qui timonarii a marinariis (4) illud precium quod videbitur istis quinque; et in omnibus aliis que ad navis regimentum pertinebunt in navigando; salvis omnibus nostris capitulis que continentur in hoc Statuto; et salvo eo quod capitaneo in suo regimine est concessum. Et si aliquis istorum quinque supradictorum in dicto officio esse recusabit, nostro Comuni libras c. solvere teneatur; salvo si majori parti mercatorum videbitur quod justam habeant occaxionem. Si patronus vel patroni taliter facere contradicerent, quod isti supra dicti vel major pars eorum non possent complere sicut eis melius videretur quod datum est eis vel majori parti ipsorum, penam librarum ccc. incurant nostro Comuni pagandam. Et mercatores qui ad hoc contradicerent penam librarum x. pro omni, & marinarii soldorum xl. pro quolibet ipsorum penam incurant. Quam penam nostri Consules in Veneciis infra dies xv. postquam habuerint in noticia, accipere & excutere teneantur; & si aufere non poterunt, Nos cum nostro Conscilio infra dies xv. postquam Nobis dictum fuerit, ipsam penam faciemus tolli. Si fuerint in loco, in quo rector fuerit pro Nobis & Comuni Veneciarum, rector illius loci penam infra dies xv. postquam sciverit auffere & exigere teneatur; & si penam auffere non poterit, Nobis quam cicius poterit, suis litteris debeat intimare, & Nos cum nostro Conscilio infra dies xv. postquam in noticiam habuerimus, ipsam auffere vel auferri facere teneamur. Et istud idem dicimus de omnibus navibus Venetorum, & burgensium que fuerint Venetis naulizate in aliquibus partibus a predictis locis & confinibus in antea.

*De dapnis.*

LXXXVIIII. Ordinamus, quod si alicui navi vel ligno evenerit quod Deus avertat, de arboribus antenis & timonibus dapnum, illud sit in varea (5). Et hoc intelligimus in nave, & omni ligno de milliariis cc. & inde supra.

*Quod coredi concientur de marsupio patronorum.*

LXXXX. Et si isti corredi supra dicti dapnum aliquod habuerint qui convenienter valeant reparari, de avere patronorum reparacio illa fiat; & si de reparacione ista inter mercatores & patronos questio orire-tur,

(1) *Yvernare.*) Legendum reor: *dum ybernare.*
(2) *Iverat.*) *Iverit.*
(3) *Incurat.*) *Incurrant.*
(4) *Timonarii a marinariis.*) Addendum puto: *habebunt.*
(5) *Illud sit in varea.*) Recenti manu in Codice addita est particula *non*: *Illud non sit in varea.*

tur, scilicet quod patroni dicerent, ista reparacio non est necesse; & mercatores dicerent, sic est necesse, questio ista remaneat in sentencia capitanei vel capitaneorum cum illis a quibus super hoc consilium habere voluerit vel voluerint; salvo quem in libertatem capitanei vel capitaneorum sentencia debeat remanere. Si autem in loco fuerint, in quo rector pro Nobis & Comuni Veneciarum extiterit, in libertate rectoris vel rectorum illius loci remaneat predicta sentencia. Et si fuerint in loco, in quo capitaneus vel capitanei, rector vel rectores, non fuerint, remaneat in majori parte sentencia illorum quinque qui navem habuerint ad regendum. Similiter si contingeret quod propter fortunam temporis vel aliquod impedimentum capitaneus ire non posset ad videndam questionem predictam, remaneat sentencia in majori parte quinque supra dictorum. Et hoc intelligimus in nave & omni ligno de cc. milliariis & inde supra.

*Qualiter fieri debeant supra dicta coreda si taliter vastarentur quod reparari non possent, & questiones inde orirentur inter patronos & mercatores.*

LXXXXI. Si vero contingerit quod arbores, sive anthene, vel temones taliter vastarentur quod reparari non possent, si de hoc questio oriretur inter patronos & mercatores, videlicet quod patroni dicerent, hoc bene potest reparari, & mercatores dicerent, quod reparari non posset, remaneat hoc in sentencia capitanei vel capitaneorum. Si vero fuerint in loco, in quo rectoria pro Nobis vel Comuni Veneciarum extiterit, in libertate rectoris vel rectorum illius loci remaneat sentencia supra dicta. Et si fuerint in loco, in quo rector vel capitaneus pro Nobis non fuerit, in majori parte illorum quinque rectorum navis sentencia illa remaneat. Sentenciam vero istam predicti quinque dicere teneantur. Verum nanque si sentencia per istos supra dictos fuerit data, reparationem istam minime fieri posse, teneantur & debeant patroni vel patronus unum alium coredum, videlicet arborem, antenam, vel temonem emere, quod sit sufficiens illi navi. Ita tamen quod patroni teneantur tantum dare & solvere ante parte in ipsa arbore, anthena, vel timone qui comparabitur, quantum constiterat ipsa arbor, anthena, vel timon devastatus. Et si plus ipsa arbor, anthena, vel timon constiterit, illud plus de comuni avere navis & de ipsa nave solvatur. Volentes quod si plus constiterit arbor illa, anthena, vel timon, de eo quod constiterit arbor, anthena, vel timon devastatus, debeat esse ipsa arbor, anthena, vel timon sic emptus de comuni avere navis, & de ipsa nave. Et si arbor illa, anthena, vel timon plus non constiterit de eo quod constiterat arbor, anthena, vel timon vastatus, remaneat & esse debeat patronorum navis. Patroni vero qui contra hoc fecerint, penam librarum D. nostro Comuni solvere teneantur. Et si in aliis coredis dampnum aliquod evenerit, restitucio ipsius dampni fiat de comuni avere ipsius navis, & eciam de ipsa nave secundum usum. Et si coredum istud quod vastatum fuerit, decenter poterit reparari, tanta fiat restitucio ipsius dampni, quanta fuerit ejus pejoracio. Hoc intelligimus in nave & quolibet ligno cooperto de cc. milliariis & inde supra.

*Qualiter fieri debeat, si dampnum evenerit in coredis navium & aliorum lignorum occaxione cazandi, vel quod cazaretur ab aliis navibus.*

LXXXXII. Afferimus, quod si dapnum aliquod alicui navi in coredis ipsius navis evenerit occaxione cazandi aliquam navem, vel aliud lignum, vel quod ipsa cazaretur, dapnum illud sit in avariam averis ipsius navis, & eciam de nave secundum usum: salvo si videbitur quinque rectoribus navis vel majori parti eorum, quod dampnum illud supra dicta occaxione venisset. Hoc intelligimus in nave & quolibet ligno cooperto de cc. milliariis et inde supra.

*Qualiter fieri debeat si dampnum evenerit in coredis navium vel aliorum lignorum, que fuerint naulizate peregrinis.*

LXXXXIII. Affirmamus quod si alicui navi vel alio ligno de cc. milliariis et inde supra, que vel quod tota naulizata vel naulizatum fuerit peregrinis, dampnum aliquod evenerit in arboribus vel anthenis, seu vellis, vel temonibus, aut anchoris, sive barcha, vel alio coredo navis vel ligni, supersalientes et marinarii in ipsa nave vel ligno existentes restaurare de ipso dampno minime teneantur.

*Qualiter fieri debeat, si dampnum evenerit in coredis navium, vel aliorum lignorum, que naulizate fuerint mercatoribus, in quibus fuerint peregrini.*

LXXXXIIII. Dicimus, quod si in supra dictos coredis dampnum aliquod evenerit alicui navi, vel alicui ligno, de cc. milliariis et inde supra, mercatoribus ad milliaria vel cantharia naulizate vel naulizato, in qua vel in quo peregrini existent, fiat restitutio ipsius dampni secundum quod evenerit pro racione tocius quantitatis nauli peregrinorum et mercatorum. Statuentes quod partem peregrinorum ipsius dampni patroni navium debeant restaurare; excepto si dampnum illud esset in arboribus, vel anthenis, atque temonibus, quia dampnum

pnum illud in auria (1) esse non bebet, ut superius continetur.

*De pignore dando judicibus pro discordiis & diferenciis.*

LXXXXV. Mandamus de navibus que completo viatico suo ad portum aplicuerint, et alique discordie et differencie fuerint inter euntes in eisdem navibus, infra quintum diem postquam aplicuerint debeant dare peregrinis (2) pignus judici vel judicibus super hoc ordinato vel ordinatis ad ipsam difiniendam racionem; pignore vero dato absque condicione discaricari valeat ipsa navis. Nave discaricata infra xv. dies racio ex ipsis diferenciis vel discordiis exigatur. Et si infra xv. dies non pecietur ratio ex predictis, pignus reddatur illi qui illud dedit, ita ut ex tunc in antea nulla questio valeat inde moveri. Si vero in dando pignus insuficiens aliqua diferencia inter querentem et quesitum oriretur, tunc secundum quod judex vel judices super hoc electus vel electi statuerit vel statuerint, utraque pars debeat observare: salvis questionibus quas debent nostri Consules difinire. Hoc intelligimus in nave et quolibet ligno cooperto de cc. milliariis et inde supra.

*Qualiter observari debeat, si aliquis rebellus fuerit in dicto pignore dando.*

LXXXXVI. Decernimus, quod si aliquis rebelis fuerit tam in non dando pignus quam in dando pignus insuficiens secundum arbitrium judicis, vel judicum, ex tunc in antea liceat querenti racionem intromittere de bonis quesiti que sunt in nave, ut ipsis diferenciis atque discordiis valeat esse securus. Si autem bona ejus non fuerint in nave ipsius, judices debeant tollere tantum ex bonis ejus ubicunque fuerint, quantum eis bonum super hoc apparuerit; et per hoc non remaneat quod navis discarigetur. Hoc intelligimus in nave et quolibet ligno cooperto.

*Quod judices possint penam & penas imponere & auferre patronis, si non discarigaverint ad terminum eis impositum.*

LXXXXVII. Volumus, quod si patroni navium ad terminum eis in portum (3) naves non discaricarent, tunc nostri judices possint eis penam et penas imponere et auferre, que pene in nostrum Comune deveniant: et si eam vel eas auferre non possent, Nos cum nostro Consilio infra xv. dies postquam noticiam habuerimus, eas vel eam auferre vel auferri facere teneamur. Hoc intelligimus in nave et quolibet ligno cooperto.

*Quod judices elligantur in Veneciis pro istis statutis servandis.*

LXXXXVIII. Afferimus, ut pro nostris statutis servandis in Veneciis tres ydonei homines pro judicibus elligantur ad difiniendum omnes diferencias et discordias que inter euntes in navibus oriuntur: salvis questionibus, quas Nos Dux et nostri Consules debent difinire. Et eciam in quocunque loco, in quo potestas, vel duca, vel bajulus per Nos et Comune Veneciarum extiterit, dicte differencie atque discordie coram eis aut coram hiis quibus comiserint terminari debeant, et difiniri secundum tenorem nostri Statuti. Statuentes ut vocatus ad primum terminum super hiis diferenciis atque discordiis vocati (4) responsurus accedat. Hoc intelligimus in nave et quolibet ligno cooperto.

*De pena auferenda pro carico posito inter duas copertas.*

LXXXXVIIII. Mandamus quod si aliquod caricum positum fuerit inter duas coopertas, quicquid valuerit naulum ipsius carici in duplum nostro Comuni patronus debeat emendare, ita quod teneamur ad carius naulum; exceptis navibus de victualibus caricatis, et exceptis victualibus qui ponuntur in glava pro illis hominibus que vadunt in navibus.

*De pena auferenda pro mercimoniis positis supra coopertura.*

C. Ordinamus quod si navis vel aliud lignum plures coopertas habuerit, super cooperta superiori mercimonie alique non ponantur, excepto eo quod *per* (5) Nos superius est statutum. Si vero navis vel aliud lignum tantum unam coopertam habuerit, super illa cooperta mercimonie alique non ponantur, similiter excepto quod per Nos est superius declaratum. Quicunque vero contra hoc fecerit, de hoc quod positum fuerit supra dictam coopertam, duplum naulum mnostro omuni debeat emendare, ita quod tenere nos debeamus ad carius naulum quod naulum in nave vel ligno fuerit naulizatum. Et intelligimus quod equi sint mercimonia.

*De glava ingombrata contra tenorem statuti.*

CI. Dicimus quod si glava aliqua alicujus navis, vel alterius ligni, de cc. milliariis et inde supra, fuerit ingombrata contra tenorem nostri Statuti, duplum cariosis nauli in nave naulizati pro illa quantitate, que ingonbraret glavam, patronus illius navis vel alterius ligni nostro Comuni debeat emendare.



(1) *In auria.*) *In avaria, in varea.*
(2) *Peregrinis.*) *Peregrini.*
(3) *In portum.*) *Impositum.*
(4) *Vocati.*) *Vocanti.*
(5) *Per.*) Vox a me suppleta.

*De navibus & aliis lignis euntibus ultro marinas partes vel alias partes, causa disfaciendi ibidem.*

CII. Inponimus de navibus euntibus ad partes ultro marinas vel ad alias partes occaxione disfaciendi ibidem, in quibus non extiterint mercatores, secundum ordinem quem a Nobis, vel a majori parte nostri Consilii, vel a bajulo, aut potestate, vel duca receperint, ita facere teneantur. Quicunque vero contra hoc fecerint (1) nostro Comuni libras centum pro quolibet centenario milliari de eo quod fuerit extimata debeat emendare. Hoc intelligimus in nave et quolibet ligno cooperto.

*De navibus & aliis lignis euntibus ad aliquem locum pro ybernare, in quibus non fuerint mercatores.*

CIII. Injungimus quod navis in qua non extiterint mercatores ad aliquem locum pro ybernare itura, secundum ordinem quem a Nobis vel a majori parte nostri Consilii receperit, ita facere teneantur. Quicunque contra hoc fecerit cadat in penam, quam Nos Dux cum nostro Consilio ei aufere voluerimus. Hoc intelligimus in nave et quolibet ligno cooperto.

*Quantum marinarii navium & aliorum lignorum que naufragium paciuntur com patronis & mercatoribus stare debent ad reparandum res & merces ipsarum navium et lignorum.*

CIIII. Statuimus, quod marinarii navis naufragium pacientis com patronis et mercatoribus ipsius navis per xv. dies postquam naufragium passa fuerit stare et moram facere teneantur ad recuperandum res et merces et navem ac sarcia navis ejusdem legaliter et bona fide; et hoc si patroni vel mercatores, vel major pars eorum, voluerit vel voluerint; de rebus, quas infra spacium illud invenerint, per centenarium tres habentes et non plus. Si quis vero marinarius contra hoc fecrit, totam marinariciam quam a patronis suscepit nostro Comuni debeat emendare: in Veneciis Advocatores Comunis, vel alibi rectores, qui pro Nobis et Comuni Veneciarum extiterint, pro ipsa pena solvenda ipsum possint et debeant convenire. Hoc intelligimus in nave et quolibet ligno cooperto.

*Quod cooperta inferior navium & aliorum lignorum de cc. milliariis & inde supra levari non possit, postquam ipse naves et ligna fuerint complete.*

CV. Affirmamus quod postquam navis de cc. milliariis, aut banzonus, aut buzonavis de cc. milliariis et inde supra laboratus fuerit et completus. ejus cooperta inferiori (2) amodo in anthea sub pena librarum cc. levari non possit, quam penam Nos cum nostro Consilio infra xv. dies postquam habuerimus in noticia auferre vel auferri facere teneamur. Et *si* (3) amodo in anthea levaretur, in loco in quo prime cruces fuerunt semper debeat mensurari, nihilominus penam solventes. Si vero hic retro levata fuisset, in loco in quo prime cruces fuerunt semper debeat mensurari.

*Qualiter non debet fieri gaita per servientes in navibus & aliis lignis.*

CVI. Asserimus quod nullus mercator nec patronus nec marinarius, nec supra salientis alicujus navis guaitam pro se fieri faciat per aliquem servientem sub pena librarum quinque nostro Comuni solvenda pro qualibet vice, cujus pene quintum accusatori concedimus. Hoc intelligimus in nave & quolibet ligno cooperto.

*De dampnis que evenerint causa libacionis.*

CVII. Affirmamus quod si navis in Ystoria (4) libaverit vel supra portum aut in alio loco, vel aliquid ex mercibus extraheretur de nave com consensu & voluntate majoris partis mercatorum & patronorum ipsius navis utilitate, si vero aliquod dampnum evenerit in illo avere sic de nave extracto, dampnum illud sit in comune avere navis, & eciam expense que fuerint causa libationis; salvis condictionibus qui inter fratres mercatores fuerint facte & patronos. Hoc intelligimus in nave & quolibet ligno cooperto.

*De dapnis que evenerint causa robarie.*

CVIII. Volumus quod si navis vel aliud lignum robata fuerit vel robatum, dapnum illud sit comuni avere navis. Statuentes ut si aliquod tempus dictum dapnum recuperaretur, in ipsum comune avere debeat redumdare.

*De convencionibus factis inter patronos & naulizatos, & alios de navibus et lignis.*

CVIIII. Precipimus ut omnes convenciones que facte fuerint inter patronos & naulizatos ac sorcerios vel marinarios navium, vel inter omnes alias personas in eisdem navibus existentes, firme & stabiles debeant permanere; salvis omnibus nostris statutis vel ordinamentis que integraliter observentur. Hoc intelligimus in nave & quolibet ligno cooperto.

De

(1) *Fecerint.*) *Fecerit.*
(2) *Inferiori.*) Legendum reor, *inferior.*
(3) *Si.*) Vox a me suppleta.
(4) *In Ystoria.*) Forte, *In Ystria.*

*De advocatoribus qualiter placitare debent et auferre penam vel penas ab hiis qui iverint contra nostra statuta.*

CX. Injungimus quod in Veneciis Advocatores Comunis ab illis hominibus qui iverint contra nostra statuta tollere debeant & placitare pro nostro Comuni ea omnia in quibus ipsi ceciderint; & nostri Judices ad cognoscendam veritatem super hoc a quibuscunque eis melius placuerit plenissimam potestatem habeant qui pro Comuni Veneciarum extiterint; salvis omnibus que debemus Nos Dux & nostri Consules diffinire.

*De termino ad quem pacamentum fieri debet patronis et marinariis.*

CXI. Mandamus quod mercatores per muduam Agusti extra culsum ituri totum pacamentum quod ex pacto in Veneciis facere debent patronis, quarto die exeunte Julii sub pena soldorum duorum pro qualibet libra eisdem facere teneantur. Secundo vero die exeunte Julio eodem modo sub pena predicta patroni pacamentum marinariis facere teneantur.

*De termino statuto de navibus et aliis lignis extrahendis extra portum.*

CXII. Volumus quod omnes naves per muduam Augusti extra culsum iture taliter sint parate, ut usque ad medium mensem Augusti omni occaxione cessante patroni navium eas extra portum Sancti Nicolai trahere possint ad viaticum suum sine dillacione faciendum. Et hoc facere teneantur sub pena soldorum xx. pro quolibet milliario quod de hoc navis fuerit extimata; quam penam patroni navium contra hoc facientes nostro Comuni debeant emendare. Hoc intelligimus in nave & quolibet ligno cooperto de cc. milliariis & inde supra.

*Qualiter naves et alia ligna que facte fuerint extra Venecias extimari debent.*

CXIII. Mandamus quod si aliquis Venetus faceret fieri navem in terris in quibus rector pro Nobis extiterit, que extimationis cc. milliarium vel plurium esse videretur, rector illius loci navem illam secundum tenorem nostri Statuti debeat extimare, dando ei illum ordinem quem naves Venetorum habent secundum formam Statuti. Si vero fieri faceret navem in terris, in quibus rector pro Nobis & Comuni Veneciarum non fuerit, cum pervenerit ad locum in quo rector pro Nobis extiterit, rector illius loci navem illam secundum tenorem nostri Statuti debeat extimare, dando ei ordinem illum quem alie naves Venetorum habent secundum formam Statuti. Ordinantes quod navem illam alicui forensi vendere non debeat; & si vendiderit, cadat in penam in quam cadunt illi qui vendunt naves que sunt Veneciis extimate. Sed si eam Veneto voluerit vendere & fuerit in loco in quo rector pro Nobis extiterit, eam vendere non possit, nisi prius fecerit, quod rector illius loci ab illo, qui navem illam emere voluerit, accipiat sacramentum secundum quod faciunt illi qui emunt naves in Veneciis factas. Si vero fuerit in loco in quo rector pro Nobis non fuerit, & eam Veneto vendere voluerit, prius ab eo accipiat sacramentum secundum quod faciunt illi qui emunt naves in Veneciis factas. Statuentes quod ille qui navem Veneto vendiderit faciat fieri breviarium de sacramento, secundum quod juraverit ille qui navem illam emerit, & Venecias quam cicius potest ducere vel mittere teneantur; & infra xv. dies postquam breviarium fuerit in Veneciis, nostris Consulibus debeat presentari. Quicunque contra hoc fecerit cadat in penam, in quam cadunt illi qui vendunt naves Veneto factas in Veneciis. Hoc inteligimus in nave, & quolibet ligno cooperto.

*Qualiter naves & alia ligna computari debent ad caricandum in cantariis.*

CXIIII. Ordinamus quod navis de milliariis mille computetur de cetero ad caricandum de cantariis mille quinqueginta, s. (1) navis que caricaverit in ultra maris partibus; et navis de DCCCCLXXXX. milliariis computetur de Kanthariis MXXXVIII.,
de milliariis DCCCCLXXX. Kantharia MXXVI.,
de milliariis DCCCCLXX. Kantharia MXIIII.,
de milliariis DCCCCLX. Kantharia MII.,
de milliariis DCCCCL. Kantharia DCCCCLXXXX.,
de milliariis DCCCCXXXX. Kantharia DCCCCLXXVIII.,
de milliariis DCCCCXXX. Kantharia DCCCCLXVI.,
de milliariis DCCCCXX. Kantharia DCCCCLIIII.,
de milliariis DCCCCX. Kantharia DCCCCXXXXII.,
de milliariis DCCCC. Kantharia DCCCCXXX.,
de milliariis DCCCLXXXX. Kantharia DCCCCXVIII.
de milliariis DCCCLXXX. Kantharia DCCCCVI.,
de milliariis DCCCCLXX. Kantharia DCCCLXXXXIIII.,
de milliariis DCCCLX. Kantharia DCCCLXXXII.,
de milliariis DCCCL. Kantharia DCCCLXX.,



(1) S.) Forte, *Scilicet*.

de milliariis DCCCXXXX. Kantharia DCCCLVIII.,
de milliariis DCCCXXX. Kantharia DCCCXXXXVI.,
de milliariis DCCCXX. Kantharia DCCCXXXIIII.,
de milliariis DCCCX. Kantharia DCCCXXII.,
de milliariis DCCC. Kantharia DCCCX.,
de milliariis DCCLXXXX. Kantharia DCCLXXXXVIII.,
de milliariis DCCLXXX. Kantharia DCCLXXXVI.,
de milliariis DCCLXX. Kantharia DCCLXXIIII.,
de milliariis DCCLX. Kantharia DCCLXII.,
de milliariis DCCL. Kantharia DCCL.,
de milliariis DCCXXXX. Kantharia DCCXXXVIII.,
de milliariis DCCXXX. Kantharia DCCXXVI.,
de milliariis DCCXX. Kantharia DCCXIIII.,
de milliariis DCCX. Kantharia DCCII.,
de milliariis DCC. Kantharia DCLXXXX.,
de milliariis DCLXXXX. Kantharia DCLXXVIII.,
de milliariis DCLXXX. Kantharia DCLXVI.,
de milliariis DCLXX. Kantharia DCLIV.,
de milliariis DCLX. Kantharia DCXXXXII.,
de milliariis DCL. Kantharia DCXXX.,
de milliariis DCXXXX. Kantharia DCXVIII.,
de milliariis DCXXX. Kantharia DCVI.,
de milliariis DCXX. Kantharia DLXXXXIIII.,
de milliariis DCX. Kantharia DLXXXII.,
de milliariis DC. Kantharia DLXX.,
de milliariis DLXXXX. Kantharia DLVIII.,
de milliariis DLXXX. Kantharia DXXXXVI.
de milliariis DLXX. Kantharia DXXXIIII.,
de milliariis DLX. Kantharia DXXII.,
de milliariis DL. Kantharia DX.,
de milliariis DXXXX. Kantharia CCCCLXXXXVIII.,
de milliariis DXXX. Kantharia CCCCLXXXVI.
de milliariis DXX. Kantharia CCCCLXXIIII.,
de milliariis DX. Kantharia CCCCLXII.,
de milliariis D. Kantharia CCCCL.
de milliariis CCCCLXXXX. Kantharia CCCCXXXVIII.,
de milliariis CCCCLXXX. Kantharia CCCCXXVI.,
de milliariis CCCCLXX. Kantharia CCCCXIIII.
de milliariis CCCCLX. Kantharia CCCCII.,
de milliariis CCCCL. Kantharia CCCLXXXX.,
de milliariis CCCCXXXX. Kantharia CCCLXXVIII.,
de milliariis CCCCXXX. Kantharia CCCLXVI.,
de milliariis CCCCXX. Kantharia CCCLIIII.,
de milliariis CCCCX. Kantharia CCCXXXXII.,
de milliariis CCCC. Kantharia CCCXXX.,
de milliariis CCCLXXXX. Kantharia CCCXVIII.,
de milliariis CCCLXXX. Kantharia CCCVI.,
de milliariis CCCLXX. Kantharia CCLXXXXIIII.,
de milliariis CCCLX. Kantharia CCLXXXII.
de milliariis CCCL. Kantharia CCLXX.,
de milliariis CCCXXXX. Kantharia CCLVIII.,
de milliariis CCCXXX. Kantharia CCXXXVI.,
de milliariis CCCXX. Kantharia CCXXXIIII.,
de milliariis CCCX. Kantharia CCXXII.,
de milliariis CCC. Kantharia CCX.,
de milliariis CCLXXXX. Kantharia CC.,
de milliariis CCLXXX. Kantharia CLXXXX.,
de milliariis CCLXX. Kantharia CLXXX.,
de milliariis CCLX. Kantharia CLXX.,
de milliariis CCL. Kantharia CLX.,
de milliariis CCXXXX. Kantharia CL.,
de milliariis CCXXX. Kantharia CXXXX.,
de milliariis CCXX. Kantharia CXXX.,
de milliariis CCX. Kantharia CXX.,
de milliariis CC. Kantharia CX.

*Hec ſunt merces que poni debent pro ſaorna.*

CXV. Hec ſunt merces que pro ſaorna ponuntur; videlicet plumbum, ferum, ſtagnum, & ramum non laboratum.

*Hec ſunt merces de quibus tantum debet poni pro ſaorna quantum videbitur illis qui navem vel aliud lignum ſaornabunt.*

CXVI. Hec ſunt merces de quibus tantum debet poni pro ſaorna quantum videbitur illis qui navem ſaornabunt; ſilicet vitreum in maſa, ſmerilum, aut pigmentum, vitreolum, alumen de roza, alumen album de Alexandria.

*De mercibus que poni debent pro carico.*

CXVII. Hec ſunt merces que poni debent pro carico, ſilicet Galla, Moltoline, Infilachis, Bocarani, Canavacia, Pani de lino, Piper, Incenſum, Endegum, Zinziber, Bedoana, Zucarum in capellis & ſine caſſis, Mira, Laca, Gomarabica, Aloe, Nuces muſcate, Garofalli, Gardamoni, Melegete, Canfora, Auriſium, Sandalli, Mirabolani, Gallenga, Simoniacum, Cubebe, Piper lungum, Armoniacum, Mandule fracte, Seta & opera ſete, Cera, Pulvis zucari in ſachis, Mel, Vinum,

num, Granum & tota alia blava excepto ordeo, Oleum cum vasellis metra. XXII. pro milliario, et Oleum cum udris metra. XXVIII. pro milliario.

*De mercibus que poni debent tres de carico pro quatuor de carico.*

CXVIII. Hec sunt merces que poni debent tres de carico pro quatuor de carico; Becune crude cum pilo et sine pilo, Moltoline crude, Toffoni crudi, et Mezalana.

*De mercibus quibus debent duo milliaria de carico pro tribus de carico.*

CXVIIII. Hec merces debent poni duo milliaria de carico pro tribus de carico; scilicet Moltoline, Tutalana.

*De mercibus que ponuntur in cantaria tres pro duobus cantariis imbolii.*

CXX. Hec merces ponuntur in caricum tria Kantaria pro duobus cantariis imbolii; silicet Verzi, Linum, Canella, Cuminum, Mazi, Anisi, Cambeloti, Ordeum, Nuces, Nucele, Mandole cum scorzo, Zucarum cum cassis.

*De mercibus que ponuntur pro imbolio.*

CXXI. Hec merces pro imbolio ponuntur; silicet Becune, Moltoline conzate, Agneline, Leporine, Mastici, Grana, Pani de lana, Bambacium, Lana lavata.

*De coris sicis qualiter poni debent.*

CXXII. Coria sica ponantur quatuor de carico pro quinque de carico.

*De mercibus non spacificatis qualiter poni debent.*

CXXIII. Omnes alie merces que non sunt superius in istis capitulis spacificate ponantur secundum quod mercatores in concordia evenerunt cum patronis. Hec autem omnia jubemus et volumus observari. Salvis nostris statutis de navibus caricandis super crucem. Salvis eciam omnibus ordinamentis navium et statutis.

*Quantum mercatores accipere possunt pro expensis ex denariis quos habent.*

CXXIIII. Ordinamus quod omnes mercatores tam Veneti quam burgenses qui ad aliquas partes hujus mondi vadunt cum mercato, possint accipere et habere pro vestimentis et calciamentis et omnibus suis aliis arnesiis soldos xx. pro centenario in anno a libris C. usque a tria millia librarum completa. Et si plus uno anno steterint, plus accipiant pro racione. Si vero minus steterint, minus accipiant pro racione. Et si aliquis plus librarum tria millia habuerit in mercato, de illo plus nihil accipere possit, nec debeat. Set id quod sibi evenit de libris tribus millibus, videlicet libras xxx., sicut dictum est, dividere et computare debeat comuniter inter totum avere quod habuerit. Insuper vero omnibus mercatoribus arma omnia, et expensas pro cibo et potu factas, et eciam solutionem quam debent facere servitores, super colleganciam habere concedimus.

*De banderiis quas mercatores habere & portare tenentur.*

CXXV. Dicimus ut quilibet mercator qui habuerit in mercato libras M. et plus usque ad tria millia libras completas habere teneantur ex denariis, quos eis pro vestimentis et calciamentis et aliis arnesiis concedimus, supra unam banderiam pro quolibet milliario. Et si plus trium millium librarum habuerit, pro illo plus non teneantur habere aliquam banderiam. Quicunque vero contra hoc fecerit, penam librarum trium pro qualibet banderia incurrat; que pena in nostrum Comune debeat devenire.

*Capitulum de bertescbis.*

CXXVI. Ordinamus quod nulla navis nec aliud lignum de CC. milliariis et inde supra habere debeat a modo in anthea supra coredorum ab arbore de medio usque ad vanum supra camarelas plus de una bertescha sub pena librarum quinqueginta pro qualibet nave vel ligno pro quolibet viatico. Et patroni navium et aliorum lignorum de CC. milliariis et inde supra, que habent plus de una bertesca supra dictum coredorium, debeant ipsam bertescam destruere et removere sub eadem pena quinqueginta librarum denariorum pro quolibet viatico, que pena in Comune nostrum debeat devenire. Et Nos cum nostro Conscilio ipsam penam ab omnibus contrafacientibus debeamus auferre qualibet vice qua contrafecerint infra octo dies postquam aliquem contrafecisse sciverunt. (1)

*Capitulum super peregrinis.*

CXXVII. Preterea statuimus quod naves que de partibus Syrie cum peregrinis exiverint, debeant exire et collare secundum quod patroni ipsarum navium fuerint in concordia et pacto cum eisdem peregrinis, nisi remaneret justo impedimento temporis. Et patroni navium teneantur se presentare et jurare coram bajulo, ac comite, vel rectore nostro qui ibidem fuerit pro tempore sub pena tocius medietatis nauli quod receperit (2) a peregrinis, quod legaliter et bona fide portabunt et conducent peregrinos suarum navium ubi ire debent, prout cum eis ordinaverint et pactum fecerint, et quod personas et res eorum salvabunt et cu-



(1) *Seiverunt.*) Lege, *Sciverimus*.

(2) *Receperit.*) *Receperint*.

custodient, Et si acciderit illos aplicare in aliqua terra vel loco Romanie aut in alia terra vel parte, et tres partes ipsorum peregrinorum voluerint exire de navi et ire viam suam, et quarta pars voluerit ire viaticum suum, patroni navium teneantur eos conducere et portare secundum eorum pactum et convencionem, tanquam omnes peregrini essent in navi. Et si in navi remanserit minus de quarta parte peregrinorum, aut patroni portent eos et conducant ad locum prout convenerunt cum ipsis peregrinis, vel redant eis et restituant totum naulum quod ab eis receperunt. Si quis vero patronus predicta vel aliquid predictorum non observaverit, nostro Comuni solvere teneatur pro pena soldos xx. Veneciarum parvi pro unoquoque milliario de quanto navis fuerit extimata, quam penam Nos et nostrum Conscilium exigere teneamur. Et hoc inteligimus in nave et quolibet ligno de cc. milliariis et inde supra.

*Capitulum generale de penis tollendis patronis, tam illis quorum sunt naves, quam illis quibus sunt comisse.*

CXXVIII. Statuimus quod in predictis Statutis nostris navium, ubicunque dicitur quod patroni navium incurant in aliquam penam tam Comuni Veneciarum, quam mercatoribus, quam marinariis, quam eciam aliis personis modo aliquo, si non observaverint ea que facere et observare tenentur secundum ipsa statuta, naves ipse non fuerint ipsorum patronorum, sed fuerint sibi comisse, penam vel penas ipsas ipsi patroni solvere cogantur et debeant de suo mobili; habuerit (1) unde possint ipse pene vel pena persolvi, patroni quorum naves fuerint cogantur et debeant predictas penas vel penam persolvere, vel id quod defecerit, de suo mobili, et immobili, si mobile ad solvendum non suficeret. Quas penas Nos Dux cum nostro Consilio vel officiales nostri exigere vel auferre teneamur, secundum quod supra dicta statuta declarant.

*De potestate quam habet Dominus Dux & Consilium minus & majus declarandi obscuritates que essent in dictis statutis.*

CXXVIIII. Si autem in predictis Statutis nostris aliqua obscuritas alicubi fuerit, potestatem habemus Nos Dux cum nostro Consilio minori & majori declarandi et reformandi ipsas obscuritates, sicut bonum videbitur.

(1) *Habuerit.*) Supple: *Si vero aliquis non habuerit.*



# APPENDIX.

# IN APPENDICEM

## *MONITUM COLLECTORIS.*

---

ANtiquiorem Legis Salicæ Pactum Volumine II. exhibui juxta exemplar ab Heroldo editum, quod omnium elegantissimum esse censetur. Alia tamen extant exemplaria, tam multis variantibus onusta, ut hæc ad imas paginas tunc referre onerosum nimis fuisset & intricandis potius quam illustrandis legibus idoneum. Verum cum exinde celeberrima Salica Lex insignes suscipiat animadversiones atque incrementa, juvat Appendicis loco inserere apographa duo sphalmatibus quidem lurida, manca, plerumque nec intelligibilia, ex codicibus tamen remotissima antiquitate venerandis deprompta, & collationi instituendæ sat utilia, spectata præsertim monumentorum hujuscemodi caritate.

Alterum ex vetustissimo Bibliothecæ Regiæ Parisiensis Codice eductum publici juris factum fuit Volumine II. Thesauri Antiquitatum Teutonicarum Johannis Schilteri. Alterum eruditis subnexis adnotationibus Eccardus edidit (1) ad fidem Codicis Guelpherbytani, quem ipse judicavit exaratum statim post extinctionem Merovingicæ familiæ.

De quo Codice hæc inter cætera habet idem eruditissimus Scriptor (2): *Qui in origines linguæ Gallicæ inquirunt, ex hoc exemplari non parum proficient & perspicient, quomodo latinus sermo ita sensim a Provincialibus inflexus sit, ut tandem alia plane prodierit lingua.* Quæ mihi animum adjiciunt, ut ex hoc quoque capite commendem librum Romanæ Legis superiore Volumine editum, ex quo multo magis profecturum credo studiosum virum inquirentem in origines linguæ Italicæ, atque in vergentes ad ipsam inflexiones.

Præmitto legalem fasciculum *de verborum significatione* ex Isidoro desumptum, cujus rationem habuisse Francos, postquam Romanis institutis ex parte se aptaverant, probat Tiliana Salicæ Legis editio, ex qua ego ipsum, prout ibidem legitur, deprompsi, ut & editio legis ejusdem Heroldina, in cujus fronte, & legis Alamannorum Goldastina, in cujus calce ipsius tractatuli lacinia descripta legitur.

Lex in Guelpherbytano codice occurrens invitat me, ut saltem breviter agam de re, quæ quamvis magni momenti non sit, alios tamen scriptores multo doctiores, & eruditiores detinuit. Lex agit *de capillatoria*; præcipiens quod munera data occasione capillatoriæ quasi bona castrensia non computentur in collatione bonorum. *Si quis pater* (3), *aut parentis . . . quando filius suus ad capilatorias ficiret, quod quid donato fuiret, extra parte hoc teniat &c.*

Tonsuræ cæremoniam Francis solemnem, donisque comitatam fuisse ex hac lege colligimus. Cujusce rei Paulus Diaconus nobile refert exemplum, hæc scribens de Karolo Martello (4): *Karolus Princeps Francorum Pipinum suum filium ad Liutprandum* (Langobardorum Regem) *direxit, ut ejus JUXTA MOREM capillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens ei pater effectus est, multisque eum ditatum regiis muneribus genitori remisit.* Inde quoque edocemur, hanc habitam fuisse ut adoptionem honorificam, qua tonsor *pater*, seu, ut nos dicimus, *patrinus* attonsi constituebatur.

Hujusce adoptionis morem viguisse & inter Langobardos probat infelix Tasonis Ducis exemplum, cui perfidus Patricius & Exarcha Gregorius promiserat (5), *ut ei barbam SICUT MORIS EST, incideret, eumque sibi filium faceret.*

---

(1) Ecc. Leg. Franc. Sal. & Rip. pag. 119. seqq.
(2) Eccardus Præf. in Leg. Sal.
(3) Lex Salica ex Codice Guelph. cap. LXIX.
(4) Paulus Diaconus lib. VI. cap. 53. (5) Idem lib. IV. cap. 40.

*ceret*. Inter nostrates quoque tonsuram inter maxime solemnes cæremonias recensitam esse deprehendimus tum ex præfati Tasonis facto, tum ex lege Romana a me edita, qua inter publicorum gaudiorum solemnia *Barbatoria Regis* memoratur (1).

Cum vero hic de *barbatoria* sermo sit, & in Salica lege de *capillatoria*, inter Francos & Italos discrimen intercessisse videtur, quod apud nos potiori usu cæremonia celebrari consueverit tonsura barbæ, apud illos vero tonsura capillorum.

Cæterum rem egregie illustrarunt Hadrianus Valesius, Mabillonius, Cangius, aliique. Merito creditur, tonsuram inter religiosas cæremonias habitam quondam fuisse, ejusque originem ab antiquis Romanis, Græcisque adhuc in ethnicismo degentibus, & comæ aut barbæ primitias Numini sacrantibus, atque in primo adolescentiæ flore, vel in sacris nuptialibus offerentibus esse deducendam, cujus vestigia in Christianismum transiere.

Ego tamen ex instituto meo nonnulla tantum de Barbaris Germanicæ originis in medium afferam. Barbam, comamque devovere & ipsis insuetum non fuit heroico sacramento; quod videlicet non dimitterent, nisi egregio perpetrato facinore. Testem habemus Tacitum (2): *Et aliis Germanorum populis usurpatum rara & privata cujusque audentia apud Cattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque summittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum, obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem & spolia revelant frontem, seque tum demum pretia nascendi retulisse, dignosque patria ac parentibus ferunt. Ignavis & imbellibus manet squallor.* Tale votum emiserat Julius Civilis Batavorum dux, ut ex eodem Tacito discimus (3): *Civilis barbaro voto post cœpta adversus Romanos arma propexum, rutilatumque crinem patrata demum cæde legionum deposuit.* Et Paulus Diaconus refert (4), quod *sex millia Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt se, neque barbam neque capillos incisuros, nisi se de hostibus Suavis ulciscerentur.*

Votum religione, rituque aliquo intercedente persolutum fuisse indubius credo. Unum profecto affert exemplum Snorro Sturlæ filius, ritui, de quo superius verba fecimus, de Pipino & Tasone loquentes, haud modice analogum.

Dixerat Haraldus Rex (5), *se jam votum nuncupare, fidemque Deo suo conditori, rerumque omnium moderatori, adstringere, fore ut comam nunquam poneret, aut pecteret, antequam totam suam fecisset Norvegiam, omnibus cum censibus, redditibus, omnique imperio; si id non procederet, vitam positurus.*

Hoc fuerat votum; en voti solutionem (6): *Convivio in Moria apud Rognvaldum Jarlum interfuit Haraldus Rex, totius jam Norvegiæ Dominus. Hic balneo usus, cum capillos suos pecti fecerat Rex, comam Regis Haraldi totondit Rognvaldus Jarlus. Antea decem per annos intonsam, & impexam comam gestaverat, quo tempore eum Haraldum cognominarunt LUFA* (crines horridum). *Deinceps vero novo insignitum nomine, Haraldum HAARFAGER* (Pulchricomum) *eum vocavit Rognvaldus, omnibus qui videbant fatentibus, veritati hoc maxime congruere nomen: ornabat enim eum magna non minus & prolixa, quam decora coma. Erat Rognvaldus Moriarum Jarlus, Haraldo Regi omnium amicorum maxime carus, cui rex impensum habuit honorem.*

Insignem Procerem sibi maxime acceptum adiit Rex, a quo comæ tonsuram reciperet. Ipse *Jarli* titulus, quo Rognvaldus donatur, egregiam viri dignitatem designat, cum titulus ipse ab initio illis concederetur (7), qui aut regio stemmate orti erant, aut affinitate domui regnatrici annexi. Profecto Rognvaldi filio Haraldus conjugem junxit filiam suam (8). Magnæ Britanniæ, & Hiberniæ Pares ex ordine Comitum hodiedum eodem honorantur vocabulo: *Earls*.

Tonsor Rognvaldus quasi adscititii Patris, seu Patrini jure & munere fungens

(1) Lex Romana lib. VIII. cap. 4. (2) Tacitus Germ. cap. XXXI.
(3) Idem Hist. lib. IV. (4) Paulus Diaconus lib. III. c. 7.
(5) Snorro in Haraldo Pulchricomo cap. IV.
(6) Idem ibid. c. XXIII. XXIV. (7) Vide Ihre Glossar. hac voce.
(8) Snorro l. c. cap. XXX.

gens Haraldo nomen indidit *Pulchricomum* , quo ſubinde cognominatus adhuc in Norvegicis faſtis *Haraldus Pulchricomus* celebris eſt. Hoc honori datum. Alias vidimus (1), pueros ethnico baptiſmo ablutos nomine donatos fuiſſe ab eo qui baptiſtæ præſtabat officium; & fuiſſe tunc temporis conſuetudinem ab hominibus præſertim inſignioris ordinis ſervatam, *ut ſtudioſe eos quærerent, quibus infantem aqua luſtrandi, aut nomen imponendi committerent negotium*. Quemadmodum ferme apud nos inter ingenuas, nobileſque familias honorifice deligi ſolent, qui in baptiſmate ſuſceptoris, ſeu patrini munus expleant.

Allegata narratione Snorro non memorat munera; quæ tamen honoris cauſa a Rognvaldo collata Haraldo fuiſſe ambigendum non eſt: gentis enim conſuetudo poſcebat, ut impoſitio nominis firmaretur collatione muneris. Cum Olafus Trygguæ filius, Norvegiæ Rex, Poetæ cuidam *Halfredo* Chriſtiano ritu baptizato ſuſceptor fuiſſet, eumque ſubinde appellaſſet *Vandræda-Sckalld* (*Poetam difficultates nectentem*), interrogat Halfredus (2), *quo dono novum additum nomen firmare vellet Rex, ſi* Vandræda-Skalld *eſſet dicendus. Donavit eum Rex gladio, cui non erat vagina &c.* Inoleti moris apertiſſimam fidem facit Edda Mithologica (3) referens, quod cum pauper quidam adoleſcens *Voggus* nomine Hrolfum celeberrimum in Ethniciſmo Daniæ Regem per irriſionem appellaſſet *Krake*, Rex lepide reſpondit: *Tu adoleſcens cognomen mihi dediſti, ut* Hrolfus Krakius *appeller. Sed MORIS EST, ut cognomina dono aliquo confirmentur. Tu vero quod dones nihil habere video.*

Compara nunc Haraldum Pipino, Liutprando Rognvaldum; & utrinque tibi ſeſe offeret tonſoris dignitas, Patrini officium, collatum munus.

Hiſce præpropere ſcriptis plura non addo; res enim tanti facienda non eſt, & feſtinantia præli urget, ut finem imponam.

---

(1) Vol. III. hujus Collect. pag. 93.
(2) Snorro in Olafo Trygguæ filio cap. XC.
(3) Edda Mithologica LXIII. Vide Stephanum Stephanium in notis ad Saxonem Grammaticum pag. 74. & Thormodum Torfæum in Hiſtoria Hrolfi Krakii cap. XXII.



C A-

# CAPITULA

## Ex Isidori Junioris Hispalensis Episcopi Etymologiarum Libro V.

*De Auctoribus Legum.*

MOyses gentis Hebrææ primus omnium divinas leges sacris literis explicavit. Foroneus Rex Græcis primus leges, judiciaque constituit. Mercurius Trimegistus primus leges Ægyptiis tradidit. Solon primus leges Atheniensibus dedit. Lycurgus primus Lacedæmoniis jura legum ex Apollinis auctoritate confinxit. Numa Pompilius, qui Romulo successit in regno, primus leges Romanis edidit. Deinde cum populus seditiosos Magistratus ferre non posset, Decemviros legibus scribendis creavit, qui leges ex libris Solonis in latinum sermonem translatas, XII. Tabulis exposuerunt. Fuerunt autem hi Ap. Claudius, T. Genutius, P. Sestius, L. Veturius, C. Julius, A. Manlius, P. Sulpitius, P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Posthumius. Hi Decemviri legum conscribendarum electi sunt. Leges autem redigere in libris primus Consul Pompejus instituere voluit, sed non perseveravit obtrectatorum metu. Deinde Cæsar cœpit id facere, sed ante interfectus est. Paulatim autem antiquæ leges vetustate, & incuria exoleverunt: quarum etsi nullus jam usus est, notitia tamen necessaria videtur. Leges novæ a Constantino Cæsare cœperunt, & reliquis succedentibus: erantque permixtæ, & inordinatæ. Postea Theodosius minor Augustus ad similitudinem Gregoriani & Hermogeniani, Codicem factum constitutionum a Constantini temporibus sub proprio cujusque Imperatoris titulo disposuit, quem a suo nomine Theodosianum vocavit.

*De Legibus divinis, & humanis.*

Omnes autem Leges aut divinæ sunt, aut humanæ. Divinæ natura, humanæ moribus constant. Ideoque hæ discrepant, quoniam aliæ aliis gentibus placent. Fas lex divina est, Jus lex humana. Transire per agrum alienum fas est, jus non est.

*Quid differunt inter se jus, leges, & mores.*

Jus generale nomen est. Lex autem juris est species. Jus autem dictum, quia justum est. Omne autem jus legibus, & moribus constat. Lex est constitutio scripta. Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scripta. Nam lex a legendo vocata, quia scripta est. Mos autem longa consuetudo est, de moribus tantummodo tracta: consuetudo autem est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex: nec differt scriptura, an ratione consistat, quando & ratio legem commendat. Porro si ratione lex constat, lex erit omne jam quod ratione constiterit, dumtaxat quod Religioni congruat, quod disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat. Vocata autem consuetudo, quia in communi usu est.

*Quid sit Jus naturale.*

Jus autem naturale est, aut civile, aut gentium. Jus naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur, ut viri, & fœminæ conjunctio, liberorum susceptio & educatio, communis omnium possessio, & omnium una libertas, acquisitio eorum, quæ cælo, terra, marique capiuntur. Item depositæ rei, vel commodatæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. Nam hoc aut si quid huic simile est, nunquam injustum, sed naturale æquumque habetur.

*Quid sit Jus civile.*

Jus civile est, quod quisque populus, vel quæque civitas sibi proprium humana, divinaque causa constituit.

*Quid sit Jus gentium.*

Jus gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, pacis induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita. Et inde jus gentium, quia eo jure omnes fere gentes utuntur.

*Quid sit Jus militare.*

Jus militare est belli inferendi solennitas, fœderis faciendi nexus, signo dato congressio in hostem vel commissio, item signo dato receptio, item flagitii militaris disciplina, si locus deseratur. Item stipendiorum modus, dignitatum gradus, præmiorum honor, veluti cum coronæ, vel torques donantur. Item prædæ decisio, & pro personarum qualitatibus, & laboris justa divisio, ac principis portio.

*Quid sit Jus publicum.*

Jus publicum est in sacris, & in Sacerdotibus, et in Magistratibus.

*Quid sit Jus Quiritum.*

Jus Quiritum est proprie Romanorum, quod nulli tenent, nisi Quirites, idest Roma-

mani, tamquam de legitimis hæreditatibus, de cretionibus, de tutelis, de usucapionibus: quæ jura apud nullum alium populum reperiuntur, sed propria sunt Romanorum, et in eosdem solos constituta. Constat autem Jus Quiritum ex legibus, et plebiscitis, constitutionibus principum, et edictis, sive prudentium responsis.

*Quid Lex.*

Lex est constitutio populi, qua majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt.

*Quid Scita plebium.*

Scita sunt, quæ plebes tantum constituunt, et vocata scita, quod ea plebs sciat; vel quod sciscitatur, et rogat, ut fiant.

*Quid Senatusconsultum.*

Senatusconsultum est, quod tantum Senatores populis consulendo decernunt.

*Quid Constitutio, & Edictum.*

Constitutio vel Edictum, quod Rex, vel Imperator constituit, vel edicit.

*Quid Responsa prudentium.*

Responsa sunt, quæ Jurisconsulti respondere dicuntur consulentibus; unde et responsa Pauli dicta. Fuerunt enim quidam prudentes et arbitri æquitatis, qui constitutiones civiles juris compositas ediderunt, quibus diffidentium lites contentionesque sopirent.

*De Legibus consularibus, & Tribunitiis.*

Quædam etiam leges dicuntur ab his, qui condiderunt, ut Consulares, Tribunitiæ, Juliæ, Corneliæ. Nam et sub Octaviano Cæsare suffecti Consules, Papius et Pompejus legem tulerunt, quæ a nominibus eorum appellatur Papia Pompeja, continens patrum præmia pro suscipiendis liberis. Sub eodem quoque Imperatore Falcidius Tribunus plebis legem fecit, ne quis plus extraneis in testamento legaret, quam ut quarta pars superesset hæredibus, ex cujus nomine lex Falcidia nuncupata est. Aquilius quoque legem condidit, quæ hactenus Aquilia nuncupatur.

*De Lege Satira.*

Satira vero lex est, quæ de pluribus rebus simul loquitur, dicta a copia rerum, quasi a satietate. Unde et Satiram scribere est poemata varia condere, ut Horatii, Juvenalis, et Persii.

*De Legibus Rhodiis.*

Rhodiæ leges navalium commerciorum sunt ab insula Rhodo cognominatæ, in qua antiquitus mercatorum usus fuit.

*De privilegiis.*

Privilegia autem sunt leges privatorum quasi privatæ leges. Nam privilegium inde dictum, quod in privato feratur.

*Quid possit Lex.*

Omnis autem Lex aut permittit aliquid, ut, Vir fortis petat præmium: aut vetat, ut, Sacrarum Virginum nuptias nulli petere liceat; aut punit, ut, Qui cædem fecerit, capite plectatur. Ejus enim præmio aut pœna vita moderatur humana.

*Quare Lex facta sit.*

Factæ sunt autem Leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis formidato supplicio refrænetur nocendi facultas.

*Qualis debeat fieri Lex.*

Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.

*De causis.*

Pragma græcum est, quod latine causa dicitur. Unde et pragmatica negotia dicuntur, et actor causarum et negotiorum pragmaticus nuncupatur.

*De testibus.*

Testes sunt, a quibus quæritur veritas in judicio. Quos quisque ante judicium sibi placitis alligat, ne cui sit postea liberum aut dissimulare, aut subtrahere se, unde & alligati appellantur. Item testes dicti, quod testamento adhiberi solent, sicut signatores, qui testamentum signant.

*De Instrumentis legalibus.*

Voluntas est generale nomen omnium legalium instrumentorum, quæ quia non vi, sed voluntate procedit, ideo tale nomen accepit.

Testamentum vocatum, quia nisi testator mortuus fuerit, nec confirmari potest, nec sciri quid in eo scriptum sit, quia clausum & obsignatum est. Inde dictum Testamentum, quia non valet nisi post testatoris monumentum. Unde & Apostolus, Testamentum, inquit, in mortuis confirmatur. Testamentum sane in Scripturis Sanctis non hoc solum dicitur, quod non valet nisi testatoribus mortuis, sed omne pactum & placitum testamentum vocabant. Nam Laban & Jacob testamentum fecerunt, quod utique etiam inter vivos valeret. Et in Psalmis legitur: Adversus te testamentum dis-

dispofuerunt, hoc eft, pactum; & innumerabilia talia.

Tabulæ teftamenti inde appellatæ funt, quia ante chartæ & membranarum ufum in dolatis tabulis non folum teftamenta, fed etiam epiftolarum alloquia fcribebantur. Unde & portitores earum tabellarii vocabantur.

Teftamentum juris civilis eft quinque teftium fignis fubfcriptione firmatum.

Teftamentum Juris prætorii eft feptem teftium fignis firmatum; fed illud apud cives fit, inde civile: illud apud Prætores, inde juris prætorii.

Teftamentum autem fignare notare eft, id eft, ut notum fit quod fcriptum eft.

Holographum teftamentum eft manu auctoris totum confcriptum, atque fubfcriptum; unde & nomen accepit. Græci enim ὅλον totum, γραφὴν literam vocant.

Irritum teftamentum eft, fi is, qui teftatus eft, capite diminutus eft, aut fi non rite factum fit.

Inofficiofum teftamentum eft, quod fruftra liberis exhæredatis fine officio naturalis pietatis in extraneas perfonas redactum eft.

Ruptum teftamentum inde vocatum, eo quod nafcente pofthumo, neque exhæredato nominatim, neque hærede inftituto dirumpitur.

Suppreffum teftamentum eft, quod in fraude hæredum vel legatariorum, feu libertorum non eft palam prolatum. Quod fi non latet, tamen fi prædictis perfonis non proferatur, fupprimi tunc videtur.

Nuncupatio eft, quum in tabulis cerifque teftator recitat, dicens: Hæc ut in tabulis cerifque fcripta funt, ita dico, ita lego. Itaque vos, Cives Romani, mihi teftimonium perhibete. Et hoc dicitur nuncupatio. Nuncupare enim eft palam nominare, & confirmare.

Jus liberorum & conjugum fine liberis invicem pro loco pignorum hæreditatis alterna confcriptio.

Codicillus, ut veteres ajunt, fine dubio ab auctore dictus, qui hoc fcripturæ genus inftituit. Eft autem fcriptura nulla indigens folennitate verborum, fed fola teftatoris voluntate qualifcumque fcripturæ fignificatione expreffa. Cujus beneficio voluntatibus defunctorum conftat effe fubventum propter legalium verborum difficultatem, aut certe propter neceffitatem adhibendorum folennium, ita ut qui fcribit titulum ejufdem fcripturæ Codicillum vocet. Sicut autem Codicillus fit vice teftamenti, ita epiftola vice Codicillorum.

Cretio eft certus dierum numerus, in quo inftitutus hæres aut adit hæreditatem, aut finito tempore cretionis excluditur, nec liberum eft illi ultra capiendæ hæreditatis. Cretio appellata eft quafi decretio, id eft, decernere vel conftituere, ut puta: ille hæres mihi efto: additurque, cernitoque infra dies tot. Adeundarum autem hæreditatum centefimus ftatutus erat dies, quibus non eft cretio addita.

Fideicommiffum dictum, ut fiat quod a defuncto committitur. Nam fides dicta eo quod fiat, quod tamen non directis verbis, fed precationibus expofcitur.

Pactum dicitur inter partes ex pace conveniens fcriptura, legibus ac moribus comprobata: & dictum eft pactum, quafi ex pace factum, ab eo, quod eft pango, unde &, pepigit fœdus.

Placitum quoque fimiliter ab eo quod placeat: alii dicunt pactum effe, quod volens quifque facit: placitum vero etiam nolens compellitur, veluti quando quifque paratus fit in judicio ad refpondendum: quod nemo poteft dicere pactum, fed placitum.

Mandatum dictum, quod olim in commiffo negotio alter alteri manum dabat.

Ratum vero quafi rationabile & rectum; unde & qui pollicetur dicit: Ratum me effe profiteor, hoc eft, firmum atque perpetuum.

Rite autem effe, non recte, fed ex more.

Chirographum, cautio vel confcriptio duarum inftar chartarum. Græce enim manu fcriptum dicitur cautio.

Emptio, & venditio eft rerum commutatio, atque contractus ex convenientia veniens. Emptio autem dicta, quod a me tibi fit: venditio quafi venundatio, id eft, a nundinis.

Donatio eft cujuslibet rei tranfactio. Dictam autem dicunt donationem, quafi doni actionem, & dotem quafi do item. Præcedente enim in nuptiis donatione, dos fequitur. Nam antiquus nuptiarum erat ritus, quo fe maritus & uxor invicem emebant, ne videretur uxor ancilla, ficut habemus in jure. Inde eft, quod præcedente donatione viri, fequitur dos uxoris. Donatio ufufructuaria ideo dicitur, quia donator ex ea ufumfructum adhuc retinet, fervato cui donatum eft, jure. Donatio directa ideo nuncupatur, quia & jure, & ufu ftatim tranfit in alterum, nec ultra aliquid inde ad jus donatoris retorquetur.

Condiciones proprie teftium funt, & dictæ condiciones a condicendo, quafi condictiones, quia non ibi teftis unus jurat, fed vel duo vel plures. Non enim in unius ore, fed in duorum, aut trium teftium ftat omne verbum. Item condiciones, quod inter fe conveniat fermo teftium, quafi condictiones.

Stipulatio eft promiffio vel fponfio. Unde & promiffores ftipulatores vocantur. Dicta autem ftipulatio a ftipula. Veteres enim quando fibi aliquid promittebant, ftipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes fponfiones fuas agnofcebant; five quod ftipulum, juxta Paulum Juridicum, firmum appellavere.

Sacramentum eft pignus fponfionis. Voca-

catum autem sacramentum, quia violare quod quisque promittit perfidiæ est.

*De Rebus.*

Hæreditas est res, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit, vel legato testamento, vel possessione retenta. Dicta autem hæreditas a rebus aditis, sive ab ære, quia qui possidet agrum, & censum solvit: inde & res.

Res sunt, quæ in nostro jure consistunt. Jura autem sunt, quæ a nobis juste possidentur, nec aliena sunt. Dicta autem res a recte habendo: jus a juste possidendo. Hoc enim jure possidetur, quod recte: hoc recte, quod bene. Quod autem male possidetur, alienum est. Male autem possidet, qui vel suis male utitur, vel aliena præsumit. Possidet autem juste, qui non irretitur cupiditate. Qui autem cupiditate tenetur, possessus est, non possessor.

Bona sunt honestorum seu nobilium, quæ proinde bona dicuntur, ut non habeant turpem usum, sed iis homines ad res bonas utantur.

Peculium proprie minorum est personarum, sive servorum. Nam peculium est, quod pater, vel dominus filium suum, vel servum pro suo jure tractare patitur. Peculium autem a pecudibus dictum, in quibus veterum constabat universa substantia.

Bonorum possessio est jus possessionis, certo ordine, certoque titulo acquisita.

Intestata hæreditas est, quæ testamento scripta non est: aut si scripta sit, jure tamen nequaquam est edita.

Caduca inde dicuntur, quia ejus heredes ciderunt.

Familiæ hercifcundæ est divisio hæreditatis inter hæredes. Hercifcunda enim apud veteres divisio nuncupatur.

Communi dividundo est inter eos, quibus communis res est, quæ actio jubet postulantibus his arbitrum dari, cujus arbitratu res dividantur.

Finium regundorum actio dicta, eo quod per eam regantur fines utrique ne dissipentur, dummodo non angustiore quinque pedum loco ea controversia sit.

Locatio est res ad usum data cum definitione mercedis.

Conductio est res in usum accepta cum constituta mercede.

Res credita est, quæ in obligationem ita deducta est, ut ex tempore, quæ contrahebatur, certum sit eam deferre.

Usura est incrementum fœnoris ab usu æris crediti nuncupata.

Commodum est id, quod nostri juris est, & ad alios temporaliter translatum est cum modo temporis, quamdiu apud eum sit: unde & commodum dictum est.

Precarium est, dum prece creditor rogatus permittit debitorem in possessione fundi sibi obligati demorari, & ex eo fructus capere. Et dictum precarium, quia prece auditur, quasi precadium, *r* pro *d* litera commutata.

Mutuum appellatum est, quia id, quod a me tibi datur, ex meo tuum fit.

Depositum est pignus commendatum ad tempus, quasi diu positum. Deponere autem quis videtur, cum aliquid metu furti, incendii, naufragii, apud alium custodiæ causa deponit.

Interest autem in loquendi usu inter pignus & arram. Nam pignus est quod datur propter rem creditam, quæ dum redditur, statim pignus aufertur. Arra vero est, quæ primum pro re bonæ fidei contractu empta ex parte datur, & postea completur. Est enim arra complenda, non auferenda. Unde qui habet arram, non reddit sicut pignus, sed desiderat plenitudinem: & dicta arra a re, pro qua traditur.

Item inter pignus, & fiduciam, & hypothecam hoc interest. Pignus enim est, quod propter rem debitam obligatur, cujus rei possessionem solam ad tempus consequitur creditor: cæterum dominium penes debitorem est. Fiducia est, cum res aliqua sumendæ mutuæ pecuniæ gratia vel mancipatur, vel in jure creditur.

Hypotheca est, cum res aliqua commodatur sine depositione pecuniæ, vel pignoris, pacto vel cautione sola interveniente.

Momentum dictum a temporis brevitate, ut tam cito, quam statim salvo negocio reformetur: nec in ullam moram produci debeat, quod repetitur: sicut nec ullum spatium est momenti, cujus tam brevis est temporis punctus, ut in aliquam moram nullo modo producatur.

Instrumentum est, unde aliquid construimus, ut cultrus, calamus, ascia. Instructum, quod per instrumentum efficitur, ut baculus, codex, tabula. Usus, quo in re instructa utimur, ut in baculo inniti, in codice legere, in tabula ludere. Sed & ipse fructus agrorum, quia eo utimur, usus vocatur. Hæc sunt illa tria.

Usufructus autem vocatur, quia solo usu habetur ejus fructus, manente apud alium jure.

Usucapio est ademptio dominii per continuationem justæ possessionis, ut biennii, aut alicujus temporis.

Mancipatio dicta est, quia manu res capitur. Unde oportet eum, qui mancipium accipit, comprehendere idipsum, quod de mancipio datur.

Cessio est propriæ rei concessio, sicut est illud: Cedo juri propinquitatis. Cedere enim dicimus quasi concedere, id est, quæ propria sunt. Nam aliena restituimus, non cedimus. Nam cedere proprie dicitur, qui contra veritatem alteri consentit; ut Cicero, Cessit, inquit, amplissimi viri auctoritati, vel potius paruit.

Interdictum est, quod a judice non in per-

perpetuum, ſed pro reformando momento ad tempus interim dicitur ſalva propoſitione actionis ejus.

Precium vocatum eo, quod prius illud damus, ut pro ejus vice rem, quam appetimus, poſſidere debeamus.

Commercium dictum a mercibus, quo nomine res venales appellamus. Unde & mercatus dicitur cœtus multorum hominum, qui res vendere, vel emere ſolent.

Integri reſtitutio eſt cauſæ, vel rei reparatio. Cauſa redintegratur, quæ vi poteſtatis expleta non eſt. Res redintegratur, quæ vi poteſtatis ablata atque extorta eſt.

*De Criminibus in Lege conſcriptis.*

Crimen a carendo nomen habet, ut furtum, falſitas, & cætera, quæ non occidunt, ſed infamant. Facinus dictum a faciendo malum, quod noceat alteri.

Flagitium a flagitando corruptelam libidinis, quia noceat ſibi. Hæc ſunt duo genera omnium peccatorum.

Vis eſt virtus poteſtatis, per quam cauſa, ſive res vel aufertur, vel extorquetur.

Vis privata eſt, ſi quiſque ante judicium armatis hominibus quemquam a ſuo dejecerit vel expugnaverit.

Vis publica eſt, ſi quis civem ante populum vel judicem, vel regem appellantem necaverit, aut torſerit, ſive verberaverit, vel vinxerit.

Dolus eſt mentis calliditas, ab eo quod deludat. Aliud enim agit, & aliud ſimulat. Petronius aliter æſtimat, dicens: Quid eſt judicis dolus? Nimirum ubi aliquid factum eſt, quod legi dolet. Habetis dolum, accipite nunc malum.

Calumnia eſt jurgium alienæ litis, a calvendo, id eſt, decipiendo dicta.

Falſitas appellata a fando aliud quam verum eſt.

Injuria eſt injuſtitia. Hinc eſt illud Virgilii: Cum Turni injuria Martem admonuit. Injurius, qui audet aliquid contra ordinem juris.

Seditio dicitur diſſenſio civium, quod ſeorſum alii ad alios eunt. Nam hi maxime turbatione rerum & tumultu gaudent.

Sacrilegium proprie eſt ſacrarum rerum furtum, poſtea & in idolorum cultu hæſit hoc nomen.

Adulterium eſt illuſio alieni conjugii, quod quia alter alterius thorum commaculavit, adulterii nomen accepit.

Stuprum, raptus proprie eſt, illicitus coitus, a corrumpendo dictus. Unde Virgilius: Rapto potitur, id eſt, ſtupro fruitur.

Homicidii vocabulum compoſitum eſt, ex homine & cæde. Qui enim cædem in hominem feciſſe compertus erat, homicidam veteres appellabant.

Parricidii actio non ſolum in eum dabatur, qui parentem, id eſt, qui patrem vel matrem interemiſſet, ſed & in eum, qui fratrem occiderat. Et dictum parricidium quaſi parentis cedium.

Interneciei judicium in eum dabatur, qui falſum teſtamentum fecerat, & ob id hominem occiderat. Accuſatorem ejus bonorum poſſeſſio ſequebatur. Interneciei autem ſignificatio eſt, quaſi hominis quædam enecatio. Nam præpoſitionem *inter* præponebant. Nevius: Mare interbibere; & Plautus: Interluere mare, id eſt, ebibere, & eluere.

Furtum eſt rei alienæ clandeſtina contrectatio: a furvo, id eſt, fuſco vocatum, quia in obſcuro fit. Furtum autem capitale crimen apud majores fuit ante pœnam quadrupli.

Pervaſio eſt rei alienæ manifeſta præſumptio.

Furtum autem earumdem rerum fit, quæ de loco in locum transferri poſſunt. Pervaſio autem & earum, quæ transferuntur, & earum quæ immobiles ſunt.

Inficiatio eſt negatio debitæ rei, cum a creditore depoſcitur.

Item & abjuratio, id eſt, rei creditæ negatio.

Ambitus judicium in eo eſt, qui largitione honorem capit, & ambit, amiſſurus dignitatem, quam munere invadit.

Peculatus judicium in eos dicitur, qui fraudem ærario faciunt, publicamque pecuniam intervertunt. Nam a pecunia peculatus eſt dictus. Non autem ſic judicatur furtum rei publicæ ſicut rei privatæ. Nam ille ſic judicatur ut ſacrilegus, quia fur eſt ſacrorum.

Repetundarum accuſatus, qui pecunias a ſociis cepit. In hoc judicio reus ſi ante moriatur, in bona ejus judicium redditur.

Inceſti judicium in virgines ſacratas, vel propinquas ſanguine conſtitutum eſt. Qui enim talibus miſcentur, inceſti, id eſt, incaſti habentur.

Majeſtatis reatu tenentur hi, qui rem publicam prodiderunt, vel cum hoſtibus conſenſerunt.

Piaculum dictum pro eo, quod expiari poteſt. Commiſſa ſunt enim quæ erant quoque ordine expianda.

*De Pœnis in Legibus conſtitutis.*

Dupliciter malum appellatur, unum quod homo facit, alterum quod patitur. Quod facit, peccatum eſt: quod patitur, pœna. Malum autem tunc plenum eſt, cum & præteritum eſt, & impendit, ut ſit & dolor & metus: pœna dicta, quod puniat. Eſt autem epitheton nomen, & ſine adjectione non habet plenum ſenſum. Adjicis pœnam carceris, pœnam exilii, pœnam mortis, & imples ſenſum.

Supplicium proprie dicitur, non qui quoquomodo punitur, ſed qui ita damnatur, ut bona ejus conſecrentur, et in publicum redigantur. Nam ſupplicia dicebantur ſupplicamenta, et ſupplicium dicitur, de cujus

jus damnatione delibatur aliquid Deo; unde et supplicare.

Octo genera pœnarum in legibus contineri Tullius scribit, id est, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, servitutem, et mortem. His namque pœnis vindicatur omne perpetratum peccatum.

Damnum a diminutione rei vocatum.

Vincula a vinciendo, id est, artando dicta, eo quod constringant, atque retineant vel quia vi ligant colla.

Compedes dicti, quia continent pedes.

Pedicæ sunt laquei, quibus pedes illaqueantur, dictæ a pedibus capiendis.

Catenæ autem, quod capiendo teneant, utraque vestigia ne progrediantur. Item catenæ, quod se capiendo teneant plurimis modis.

Manicæ sunt vincula, quibus manus capiuntur; licet et manicæ tunicarum sint.

Nervus est ferreum vinculum, quo pedes, vel etiam cervices impediuntur.

Boja est torques damnatorum; quasi jugum boum, ex genere vinculorum est.

Carcer est, in quo custodiuntur noxii: et dictus carcer, quod eo homines coerceantur, includanturque: quasi arcer ab arcendo scilicet. Locum autem, in quo servantur noxii, carcerem dicimus numero tantum singulari. Unde vero emittuntur quadrigæ, carceres vocamus numero tantum plurali.

Verbera dicta, quia cum agitantur aerem verberant. Hinc flagra et plagæ, et flagella, quia cum flatu et strepitu in corpore sonant. Nam plagæ quasi flagæ; sed plagæ et flagra primæ positionis sunt, flagella autem per diminutionem dicta.

Anguilla est, qua coercentur in scholis pueri, quæ vulgo scutica dicitur.

Fustes sunt, quibus juvenes pro criminibus feriuntur, appellati quod præfixi in fossis stent; quos palos rustici vocant.

Vectes dicti, quod manibus vectentur, unde ostia saxaque velluntur, sed hi ad pœnas legum non pertinent.

Virgæ sunt summitates frondium, arborumque, dictæ quod virides sint, vel quod vim habeant arguendi: quæ si lenis fuerit, virga est: si certe nodosa vel aculeata, scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infigitur.

Ictus proprie flagellorum sunt, ab agitando vocati.

Ungulæ dictæ quod effodiant. Hæ & fidiculæ, quia his rei in equuleo torquentur, ut fides inveniatur. Eculeus autem dictus quod extendat.

Tormenta vero quod torquendo mentem inveniant.

Est et Latumium supplicii genus ad verberandum aptum, inventum a Tarquinio Superbo ad pœnas sceleratorum. Iste enim prior latumias, tormenta, fustes, metalla atque exilia adinvenit, & ipse prior ex Regibus exilium meruit.

Talio est similitudo vindictæ, ut taliter quis patiatur, ut fecit. Hoc enim et natura, & lege est institutum, ut lædentem similis vindicta sequatur: unde & illud est legis: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Talio autem non solum ad injuriam referendam, sed etiam pro beneficio reddendo ponitur. Est enim communis sermo & injuriæ & beneficentiæ.

Ignominium dictum, eo quod desinat habere honestatis nomen is, qui in aliquo crimine deprehenditur. Dictum autem ignominium quasi sine nomine, sicut ignarus sine scientia, sicut ignobilis sine nobilitate.

Hoc quoque & infamium, quasi sine bona fama.

Fama autem dicta, quia fando, id est, loquendo pervagatur, per traduces linguarum, & aurium serpens. Est autem nomen, & bonarum rerum & malarum. Nam fama felicitatis interdum est, ut illud: *Est illustris fama, quod laus est*. Malorum, ut Virgilius: *Fama malum, quo non aliud velocius ullum*. Famæ autem nomen certilocum minime habet, quia plurimum mendax est, adjiciens multa, vel demutans de veritate; quæ tamdiu vivit, quamdiu non probatur. At ubi probaveris, esse fama cessat: & exinde res nominatur, non fama.

Exilium dictum, quasi extra solum. Nam exul dicitur qui extra solum est. Unde postliminio redeuntes, hoc est, de exilio reducendi, qui sint ejecti in injuriam, id est extra limen patriæ. Dividitur autem exilium in relegatis & deportatis. Relegatus est, quem bona sua sequuntur. Deportatus, quem non sequuntur.

Proscriptio, exilii procul damnatio, quasi porro scriptio. Item proscriptus, quia palam scriptus.

Metallum est ubi exules deputantur ad eruendam venam, marmoraque secanda in crustis.

Servitus a servando vocata. Apud antiquos enim qui in bello a morte servabantur, servi vocabantur. Hæc est sola malorum omnium postrema, quæ liberis omni supplicio gravior est. Nam ubi libertas periit, una ibi perierunt & omnia.

Mortium vero diversi casus, ex quibus crux vel patibulum, in quo homines adpensi cruciantur, vel patiuntur; unde & nomina habent. Patibulum enim vulgo furca dicitur, quasi ferens caput; suspensum enim & strangulatum hæc exanimat: sed patibuli minor pœna, quam crucis. Nam patibulum adpensos statim exanimat; crux autem suffixos diu cruciat. Unde & in Evangelio latronibus ut morerentur, & de ligno ante sabbatum deponerentur, crura confracta sunt, quia ligno suspensi cito mori non poterant.

In ipso quoque genere necis differunt. Crudelius est enim in aqua spiritum torquentis extingui, ignibus uri, frigore & fame necari, canibus & bestiis exponi. Nam ferro mori, ætas quoque major optavit. Gladius enim sine graviori cruciatu compendiosa morte vitam finire novit.

Culeum est parricidale vasculum ab occulendo, id est, claudendo dictum. Est autem uter ex corio factus, in quo parricidæ cum simia & gallo & serpente inclusi in mare præcipitantur.

Omnium autem istarum mortium genus animadversio nominatur. Animadversio enim est, quando judex reum punit; & dicitur animadvertere, id est, animum illuc vertere, intendere utique ad puniendum reum, quia judex est.

Ideo autem Romani aquam & ignem interdicebant quibusdam damnatis, quia aer & aqua cunctis patent, & omnibus data sunt; ut illi non fruerentur, quod omnibus per naturam concessum est.

# LEX SALICA

## EX CODICE PARISIENSI.

## IN CHRISTI NOMINE INCIPIT PROLOGUS LEGIS SALICÆ.

GEns Francorum inclita auctore Deo condita fortis in arma firma pace freta profundo in consilio, Corporea nobilitas incolumna candore forma egregia audax velox & aspera a catholica fide conversa, immunis ab herese, dum adhuc teneretur a barbaro inspirante Deo inquirens scientiæ clavem juxta morum suorum qualitatem desiderans justitiam custodens pietatem dictaverunt Salicam legem per proceres ipsius gentes qui nunc temporis ejusdem aderant rectores electi de pluribus viris quatuor his nominibus, Vuisogastis, Bodogastis, Salegastis, & Uvidegastis in loca cognominantia Salechagine, Bodogagine, Uvidochami. Qui per tres mallos convenientes omnes causarum origines sollicite discutiendo tractatis de singulis judicium decreverunt hoc modo. Ad ubi Deo favente Rex Francorum Chlodoveus torrens & pulcher primum recepit Catholicum baptismum & quod minus inspecto habebat idoneum pro culpis regis Chlodoveo & Childoberto & Chlothario fuit lucidis emendatum. Vivat quis francos diligit. Christus eorum regnum custodiat rectores eorumdem lum, suæ gratiæ repleat exercitum protegat fidem monumenta tribuat pacis gaudia & felicitatis tempora dominantium Dominus Jesus Christus pietatem concedat. Hæc estque gens fortis dum est robore valida Romanorum jugum durissimum de suis cervicibus excusserunt pugnando. Atque post agnitiones Baptismum Sanctorum Martirum corpora quæ Romani igne cremaverunt vel ferro truncaverunt vel bestiis laceraverunt projecerunt Francis super eos aurum & lapides pretiosas ornaverunt. Tantum.

### INCIP. CAPITULA LEGIS SALICÆ.



XX.

# INCIPIT LEX SALICA.

PRIMUS TITULUS.

*I. De Manire.*

SI quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit & non venerit: Si eum funnis non detinuerit funt din. DC. qui fac. folid. XV. culpabilis judicetur. Ille vero qui alium mannit & ipse non venerit si eum funnis non detenuerit funt din. DC. qui fac. folid. XV. cui mannuit componat.

*II. De furt. porcorum.*

Si quis porcellum lactantem de franne furaverit & ei fuerit adprobatum malb. chrinne chultis. din. CXX. qui faciunt solidos III. culpabilis judicetur.

Si quis porcellum furaverit qui fine matre vivere poffit & ei fuer. adprobatum malb. chrinnis thetica s. din. XL. q. f. fol. I. culp. judicetur excepto capitale & dilatura.

Si quis porcellum furaverit bimum ingifmus sui anni id est fol. LXV. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si q. verrum fur. malb. Criftiano s. den. DCC. qui f. fol. XVII. s. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si quis scrovam ducariam furaver. malb. reodemia s. den. DCC. qui f. fol. XVII. s. cul. jud. excep. cp. & dil.

Si quis majalo facrivo fur. & ille qui illum perdidit cum testibus potuerit adprobare quod facrivos fuiffet hoc est votivus malb. bracho cahimo s. den. DCC. q. f. fol. XVII. s. cul. jud. excep. cap. & dil.

Si quis majalem qui facrivus non fuerit fur. malb. bratho five babane s. den. DC. q. f. fol. XV. excep. cap. & dil.

Si quis degregem quindecim porcus fr. malb. taxata s. den. ICCCC. q. f. fol. XXXV. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si quis XXV. porcus furaverit malb. funiftit s. den. IID. q. f. fol. LXII. s. culp. jud. excep. cap. & dil. qui lex usque quinquaginta porcus excep. cap. & dil. omnium judicium terminantur.

*III. De furtis animalium.*

Si quis vitulum lactantem fur. malb. podor aut frico s. den. CXX. qui faciunt fol. III. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si quis anniculum usque ad bimatum fur. malb. thinzim & podæ funt den. DC. q. f. fol. XV. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si quis bovem aut vaccam fur. malb. podor s. den. I. CCCC. q. f. fol. XXXV. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si quis taurum grege regente fur. hoc est trespellium qui de treffullas communis vacas tenuerit & nunquam junctus fuiffet chegmeneteo s. den. IDCCC. q. f. fol. XLV. excep. cap. & dil.

Si quis XII. animalia fur. malb. soniftit s. den. IID. q. f. fol. LXII. s. culp. judicetur excep. cap. & dil. & usque ad XX. unum judicium terminantur.

*IV. De furtis ovium.*

Si quis agnum fur. lem den. VII. q. fac. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si quis anniculum vel bimum vervicem fur. malb. inyzimus s. den. CXX. q. f. fol. III. culp. jud. excep. cap. & dil.

Certe si duos aut tres fur. malb. fretufchaeto s. den. ICCCC. q. f. fol. XXXV. culp. jud. excep. cap. & dil. Qui numerus usque ad XL. vervices convenit observare.

Si quis vervices XL. aut amplius fur. malb. freto s. den. IID. q. f. fol. LXII. s. culp. jud. excep. cap. & dil.

*V. De furtis caprarum.*

Si quis tres capras fur. malb. aper s. den. CXX. q. f. fol. III. culp. jud. excep. cap & dil.

Si quis super tres capras fur. malb. chanchus s. den. DC. q. f. fol. XV. culp. jud. excep. cap. & dil.

*VI. De furtis canum.*

Si quis seufum Magiftrum fur. malb. fluuvicus hus cornutu nechanna s. den. DC. q. f. fol. XV. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si quis veltrum agatario fur. malb. chunabana s. den. DC. q. f. fol. XV. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si quis canem paftoralem fur. malb. leudardo s. den. CXX. qui f. fol. III. culp. jud. excep. cap. & dil.

*VII. De furtis avium.*

Si q. acceptorem de arbore fur. malb. hocticla s. den. CXX. qui f. fol. III. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si q. acceptorem de intro clave fur. malb. orto fugia s. den. IDCCC. q. f. fol. XLV. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si q. acceptorem de pertica fur. malb. veganus ante te s. den. DC. q. fac. fol. XV. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si q. sprevario fur. malb. fundelino funt den. CCXL. q. f. fol. VI. culp. jud. excep. cap. & dil.

Si q. anfera domeftica avaneta fur. malb. fundelino funt den. CXX. q. fac. fol. III. cul. jud. excp. cap. & dil.

Si q. grui aut cicenum domefticum fur. malb.

malb. hora fuda s. d. cxx. q. f. sol. III. cul. jud. excp. cap. & dil.

Childebertus Rex Francorum inlust. Cum in Domini nomine omnes Cal. Marti de quascunque conditiones una cum nostris obtimatibus pertractavimus ad unamquemque notitiam volemus pervenire. Ita Deo propitiante Antonaco Cal. Marti Anno XX. regni nostri. Convenit ut nepotes ex filio vel ex filia ad aviaticas res cum avunculo vel amitas sic venirent tanquam si mater aut pater vivi fuissent de illos tamen nepotes istud placuit observare que de filio vel de filia nascuntur non qui de fratre. In sequenti hoc convenit una cum leodos nostros decrevimus ut nullus incestum usum sibi sociare conjugibus hoc est fratris sui uxorem nec uxoris sui sororem nec uxorem aut parentes consanguineis uxorem patris si quis acceperit mortem periculum incurrat & de præteritis conjunctionibus, quæ inceste videntur per prædicationem episcoporum jussimus emendare. Qui vero Episcopo suo no-

noluit audire & communicatus fuerit perenni conditione apud dominum sustenеat & de palatio nostro sit omnino extraneus & omnes res suas parentibus legitimis admittat qui noluit sacerdotis sui medicamenta sustinere. Similiter trajecto convenit ut servo campo aut quemlibet res ad unum ducem & unum judicem pertinentes per decim annus unus quisque inconcusso possidet nullam habeat licentiam tribuimus quod si quis præsumpserit interciare sol. xv. solvat & rem quem ille interciavit ammittat. de reliquis vero conditionibus omnes omnino trecinaria lex excludit præter se quod regna hunc usque detinuit.

Pari conditione convenit cal. marti omnibus adunatis admodum quicunque præsumpserit raptum facere unde impiissimum ultium adcreverat vitæ periculum feriatur ut nullus de optimatibus nostris præsumat pro ipso præcare, sed unus quisque admodum inimicum Dei persequatur.

Qui vero vel edicto nostro contempnere in cujuslibet judicis pago primitus admissum fuerit, ille judex collictum solatium ipsum raptorem occidat & jaceat forbatudus & si ad ecclesiam confugium fecerit reddendum ab Episcopo absque ulla precatione separentur. Certe si ipsa mulier raptorem consenserit ambo pariter in exilio transmittantur & si foras ecclesia capti fuerint ambo pariter occidantur & facultatem eorum parentibus legitimis & quod fisco nostro debetur adquiratur.

De homicidis vero ita jussimus observare ut quicunque auso temerario alium sine causa occiderit vite periculum feriatur. Nam non de pretium redemptionis redimat aut conponat forsitan convenit ut ad solutionem quisque descendat nullus de parentibus aut amicis ejus quicquam adjuvet nisi quæ præsumpserit ei aliquid adjuvare suum vero valdum omnino conpon.

Quia justum est aut qui voluerit occidere discat morire.

De farefalius ita convenit ut quicunque in mallo præsumpserit furfalium minare procul dubium suum vuerevaldum conponat nihil hominus farfalium reprimatur forsitan ut adsolet judex consenserit & fortasse acquiescit. istum farfalium custodire vitæ periculum per omnia sustineat.

De furibus & maleficis ita decrevimus observare aut si quinque aut septem boni fidei homines absque inimicitia interposita criminosum cum Sacramenti interpositionem esse dixerint quomodo sine lege involavit sine lege moriatur.

Si quis judex comprehensum latronem convictus fuerit relaxasse vitam suam admittat & disciplina in populum modis omnibus observetur.

Similiter cal. marti colonia convenit & ita bannivimus ut unusquisque judex criminosum latronem ut audierit ad casam suam ambulet & ipsum ligare faciat; ita ut si francus fuerit ad nostram præsentiam dirigatur & si de debiliores persones fuerit in loco pendatur.

Si quis centenarium aut cuilibet judici. noluerit ad malefactorem adjuvare LX. sol. omnis mod. condemnentur & quicunque servum criminosum habuerit & ei judex rogaverit ipsum præsentare & noluerit suo vuergildo omnino conponat.

Similiter convenit ut si furtus factus fuerit capitale de præsente centena restituat & causa centenarius cum centena requirat.

Pari conditione convenit ut si centena posita in vestigia in alia centena aut quos fidelium nostrorum ipsum vestigium miserit & eum ad alia centena minime expellere potuer. aut convictus reddat latronem aut capitale de præsente reddat & cum duodecim personas se ex hoc Sacramento exuat.

Si quis servus ecclesiasticus aut fisco furtum admisserit simile pœna sustineat sicut & reliquorum francorum.



LEX

# LEX SALICA

## EX CODICE GUELPHERBYTANO

## CUM NOTIS JO. GEORGII ECCARDI.

---

## INCIPIT LEX SALICA.

### PRIMUM TITOLUM.

### *De Manire.*

SI quis ad mallum legibus dominícis manitus fuerit, & non vinerit, sol. xv. culpabilis judicitur. Ille vero quí alium manit, & ipse non vinerit ( mallare *abtena* ) ei qui manebit DC. dinarius, qui faciunt sol. xv. culpabilis judicitur.

Qui alium manit cum testibus, ad domum illius ambulare debit & sic eum manire, ut aut uxor illius aut quemcunque de familia appellit, ut illi faciat notum, quod ab illo manitus est. Nam si in dominica ambascia fuerit occupatus, manire non potest; si vero intro pago fuerit sua rationem, sicut superius diximus manire potest.

### *II. De furtis porcorum.*

Si quis porcellum lactentem furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *charcalcio* ) sunt dinarius CXX. faciunt sol. III. culpabilis judicitur.

Si quis porcellum de campo furaverit, qui sine matre vivere possit ( malb. *in zymus* ) sunt dinarius XL. faciunt sol. uno, cui fuerit adprobatum, culpabilis judicitur.

Si quis serua in assum subtulerit ( malb. *nari calti* ) sunt dinarius DC. faciunt sol. XV. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Si quis porcum anniculum furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *in zymus* ) sunt dinarius CXX. faciunt sol. III. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Qui numerus usque ad duus porcus convenerit observare.

Si quis porcellum de intro porcus furaverit, et ei fuerit adprobatum ( malb. *suane calte* ) sunt dinarius DC. faciunt sol. xv. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Si quis *certussum* porcellum furaverit usque ad anneculatum ( malb. *drace* ) sunt dinarius CXX. faciunt sol. III. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Post annecolatum vero ( malb. *drace* ) sunt dinarius DC. faciunt sol. XV. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Si quis verrem furaverit cui fuerit adprobatum ( malb. *cristiau* ) sunt dinarius DCC. faciunt sol. XVII. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Si scrova docaría furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *redonii* ) sunt dinarius DCCC. faciunt sol. XVII. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Si quis majale sacribo furaverit, et hoc testibus, quod sacribus fuit, cui fuerit adprobatum ( malb. *chuc*, *cham* ) ( 1 ) sunt dinarius DCC. faciunt sol. XVII. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Iterum de alio majale, qui sacrisus non fuit, et eum furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *barcho* ) sunt dinarius DC. faciunt sol. xv. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Si quis viginti et quinque porcus furaverit, ubi amplius in gregem illum non fuerint ( malb. *sunesta* ) sunt dinarius IID. faciunt sol. LXII. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Si vero amplius super viginti et quinque

---

( 1 ) *Chuc*, *cham*. ) Prius *chuc* apud Anglos restat, quibus *hog* dicitur *verres*, & *barrow hog*, verres castratus, exsectus, majalis. Nos ab eodem reliquum habemus *backsch* pro *verre*. Quod additum est *cham* denotat *castratum* sive *majalem*, & descendit a verbo, unde & *hamel* pro *vervece* derivandum. Vetus anonymi Vocabularius: *Muto*, *hæmling*. Vocabularius Saxonicus MStus: *Castrinus*, *eyn bætling*, *eyn hamel*. Teutonista: *Hamel eyn gelubt scaip muto*, *berbix*, *berbicus*. Radix est antiquatum *hamen* ab *hauen*, scindere, secare, formatum; unde Belgis restat *hamme*, quod apud Kilianum est *pars abscissa rei cibariæ*, *frustum esculentum*: & convenit cum Græco κόμμα, *segmentum*. Doctissimus Stadenius Palthenio retulit, *hamla* Septentrionalibus esse *lædere*, *mutilare*, *truncare*. Anglosaxones habuerunt *hamelan*, pro *poplites* vel *suffragines scindere* aut *mutilare*. Somnerus monet in Chronico Saxonico idem verbum de *manuum pedumque amputatione* accipi. Chaucerus *hameled* in genere *præcisum*, *resectum* exponit. In Glossis Junianis *locus calvariæ* redditur *hamalunc-stat*, & idem apud Tatianum *hamalstat* vocatur. Vides hinc *chuc cham* in Lege præsenti denotare *verrem castratum*, *majalem*.

que remanserint, qui non fuerint involati, cui fuerit adprobatum ( malb. *in zymus* ) sunt dinarius Icccc. faciunt sol. xxxv. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Si vero L. porci fuerint involati, cui fuerit probatum ( malb. *sunnesta* ) sunt dinarius IID. faciunt sol. LXII. excepto capitale et dilatura.

### III. De furtis animalium.

Si quis vetellum lactentem furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *protero* ) sunt dinarius cxx. faciunt sol. III. culpabilis judicetur, excepto capitale et dilatura.

Si quis bimum animalem furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *scedo* ) sunt dinarius DC. faciunt sol. xv. culpabilis judicitur excepto capitale et dilatura.

Si quis vacam cum vitolum furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *protero* ) sunt dinarius Icccc. faciunt sol. xxxv. culpabilis judicitur excepto capitale et dilatura.

Si quis bovem furaverit, cui fuerit adprobatum ( malberg, *obosino* ) sunt dinarius Icccc. faciunt sol. xxxv. culpabilis judicetur, excepto capitale et dilatura.

Si quis taurum furaverit, qui illum *gregem* regit, nec unquam junctus fuit, cui fuerit adprobatum ( malb. *chari ocito* ) sunt dinarius Icccc. faciunt sol. XLV. culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Si vero taurus ipse de tres villas vacas tenuerit, hoc tres pellius, qui eum furaverit ( malb. *hamachito* ) sunt dinarius Icccc. faciunt sol. XLV. cui fuerit approbatum, culpabilis judicitur, excepto capitale et dilatura.

Si quis vero duodicem animalia furaverit, ut nec unus exinde remanit ( malb. *sunesta* ) sunt dinarius IID. faciunt sol. LXII. culpabilis judicitur exc. cap. et dil.

Si vero pluribus xxv. furaverit et si adhuc aliquid remanent, qui non fuerint involati ( malb. *sunnesta* ) sunt dinarius IID. faciunt sol. LXII. culp. jud. exc. cap. et dilatura.

### IV. De Ovibus furatis.

Si quis agnum lactentem furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *lap.* ) sunt dinarius VII. faciunt medio triante culpabilis judicitur.

Si quis annicolum aut bimum vervicem furaverit, et ei fuerit adprobatum ( malb. *lampse* ) sunt dinarius cxx. fac. sol. III. culp. jud. exc. cap. et dil.

Certe si in tres aut amplius furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *lampse* ) sunt dinar. Icccc. faciunt sol. xxxv. culp. jud. exc. cap. et dil.

Qui numerus usque ad XL. virvicis convenit observare.

Si vero lautam amplius furaverit ( malb. *feto* ) sunt dinarius IID. faciunt sol. LXII. culpabilis jud. exc. cap. et dilatura.

### V. De furtis Caprarum.

Si quis tres capras furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *lausmata* ) sunt dinarius cxx. sol. III. culp. jud. exc. cap. et dil.

Si super tres furaverit ( malb. *roscimada* ) sunt dinarius DC. fac. sol. xv. culp. jud. exc. cap. et dil.

### VI. De furtis Canum.

Si quis subuso magistro furaverit, cui fuerit adprobatum, ( malb. *leodardi* ) sunt din. DC. faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. et dilatura.

Si quis canem qui legamine novit post solis hoccassum occiderit, sicut superius diximus, intemamus.

Si quis pastoralem canem occiderit aut furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *leodardi* ) sunt dinar. cxx. faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. et dil.

### VII. De furtis Abium.

Si quis unum vasum deintus clavem furaverit & tictum super aperierit, cui fuerit adprobatum ( malb. *antedi leodardi* ) sunt dinar. IDccc. fac. sol. XLV. culp. jud. excepto cap. et dilat.

Si vero unum vasum cum apis foris casa furaverit, ubi amplius non fuerit, et ei fuerit adprobatum, causam superius compensam sol. XLV. culpabilis judic. exc. cap. et dilat.

Si amplius apepus usque ad VI. furaverit, ut aliquid remaniant, et ei fuerit adprobatum ( malb. *leodardi* ) sunt dinarius DC. faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. et dil.

Si vero VI. aut amplius furaverit adhuc, et aliquid remaniant, cui fuerit adprobatum ( malb. *leodardi* ) sunt dinarius IDccc. fac. sol. XLV. culp. jud. exc. cap. et dilat.

### VIII. De Avibus.

Si quis accipitrem de arborem furaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *borbut* ) sunt dinar. cxx. faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

Si quis accepitrem de pertica furaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *marabocla* ) sunt dinar. DC. faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. & dil.

Si quis vero accepitrem de intro clave furaverit, cui fuerit adprobatum ( *naobfocla* ) sunt dinar. IDccc. faciunt solidos XLV. culp. judicitur exc. cap. & dilat.

Si quis ansare furaverit, cui fuerit adpro-

probatum ( malb. *fundoleno* ) ſunt dinarius cxx. faciunt ſol. III. culpabilis judicitur, excepto capitale & dilatura.

### IX. *De damnum in meſſe vel in qualibet clauſura.*

Si quis animal aut cavallum vel qualibet pecus in meſſe ſua invinerit, penitus eum vaſtare non debit, quod ſi fecerit & hoc confeſſus fuerit, capitale in loco reſtituat, ipſum vero dibilem, qui eum percuſſit ad ſe recoligat, ſi vero confeſſus non fuerit, & ei fuerit adprobatum ( malb. *leodardi* ) ſunt dinarius DC. faciunt ſol. XV. culp. jud.

Si quis in meſſe ſua pecora aliena invinerit, qui paſtorem non habent, & eas inclauſerit, ut nulli penitus innotiſcat, aliqua ex ipſis pecoribus perierit ( malb. *tacxaga* ) ſunt dinar. ICCCC. faciunt ſol. XXXV. culp. jud. exceptum capitale in loco reſtituat.

Si quis animalem aut quodlibet pecus per ſua negligentiam nocuerit, & ipſe fuerit confeſſus, capitale in loco reſtituat, illum debilem ad ſe recipiat aut recoligat. Si vero negaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *leodardi* ) ſunt dinarius DC. fac. ſol. XV. culpab. jud. exc. cap. & dilat.

Si alicujus porci aut quemlibet pecora ipſum coſtodientem in meſſe aliena cucurrent & illum necantem, & ei fuerit adprobatum ( malb. *leodardi* ) ſunt din. DC. faciunt ſol. XV. culp. jud.

Si quis vero pecora de damnum in clauſura fuerint, qui eas violenter expellere præſumſerit ( malb. *excuto* ) ſunt din. DC. faciunt ſol. XV. culp. judicitur.

Si quis vero pecora de damnum ad domo, cujus meſſe vaſtaverint, minantur, qui eas excutere præſumſerit ( malb. *ſcuto* ) ſunt dinar. DC. fac. ſol. XV. culp. jud.

Si vero pecora de damno in clauſura fuerint, ille cujus pecora ſunt damno, in ſtematum reddat, & inſuper decem dinarius culp. judicitur.

Si vero per inimiciciam aut per ſuperbia ſepem alienam aperuerit & in meſſe in prato, in vinia, vel qualibet laborem pecora miſerit, cujus labor eſt, ſi convinctus eum fuerit ad teſtibus ſtematum damnum reddat ( malb. *leodardi* ) & inſuper dinar. ICC. faciunt ſol. XXX. culp. judic.

### X. *De ſervis vel mancipiis furatis.*

Si quis ſervum aut ancilla, cavallum vel jumentum furaverit, cui fuerit adprobatum, ( malb. *teoducco* ) ſunt dinar. ICCCC. faciunt ſol. XXXV. culp. jud.

Si ſervus aut ancilla cum ipſum ingenuo de rebus domini ſui aliquid portaverit, dum ſunt dinarius, quicquid ille poteſt de mancipia ipſa reſtituat, ſicut ſuperius diximus, exc. cap. & dil. culp. jud.

Si quis ancilla prodederit, ſol. XXXV. ſi pro vinitore, ſi fabrum, ſi carpentario valente ſol. XXX. ( malb. *teadocco* ) ſunt dinar. IIDCCCLXXX. faciunt ſol. LXXXV. cui fuerit adprobatum culp. judicitur.

### XI. *De furtis ingenuorum.*

Si quis ingenuus foris caſa, quod valit duus dinarius furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *leodardi* ) ſunt dinar. DC. faciunt ſol. XV. culpabilis judicitur, excepto capitale & dilatura.

Si vero foris caſa, quod valit XL. dinarius furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *texxagas* ) dinar. ICCCC. faciunt ſol. XXXV. culp. jud. exc. cap. & dil.

Si quis ingenuus effracturas fecerit & ei fuerit adprobatum ( malb. *antedio* ) ſunt dinar. ICC. faciunt ſol. XXX. culp. jud. exceptum cap. & dilatura.

Si vero ſuper V. dinarios furaverit & ei fuerit adprobatum ( malberg. *antedio* ) ſunt dinarius DC. faciunt ſolidos quindicem culpabilis judicetur exc. capit. & dilat.

Si vero clavem effregerit aut adulteraverit, & in domum eingreſſus fuerit & in furtum aliquid tullerit & ei fuerit adprobatum ( malb. *antedio* ) ſunt din. IDCCC. faciunt ſolidos XLV. culp. judicitur exc. cap. & dilatura.

Si vero nihil tullerit, ut fugiens evadat, taliter propter effracturam tantum ICCCC. dinar. faciunt ſol. XXXV. culp. jud.

### XII. *De furtis ſervorum vel effracturis.*

Si quis ſervus foris caſa, quod valit dinarius, furaverit, & ei fuerit adprobatum ( malb. *falcono* ) ſunt din. CXX. faciunt ſol. III. pro dorſum ſuum aut CXX. flagellus ſuſcipiat.

Si vero quod valit XL. dinar. involaverit, aut caſtretur, aut CCXL. dinar. qui fac. ſol. VI. culp. jud. dominus vero ſervi capit. in loco reſtituat.

### XIII. *De rapto ingenuorum vel mulierum.*

Si tres hominis ingenuam puellam de caſa rapuerint ( malb. *malzantania* ) (1) id eſt millinus docentinus dinarius, quod evenit tricinus ſol. illi tres ſolvabant; illi qui ſuper tres fuerint docentinus dinarius, hoc eſt, quinus ſol. quiſque illorum culp. jud.

Qui

(1) *Malzantania.*) Vox hæc exponitur ſtatim *millinus docentinus dinarius*, ſive *millenus ducentenus denarius*. Unde apparet *mal* idem eſſe ac *mille* & ultimum *tania* exprimit vocem *denarius*, quæ Gallice adhuc *denier* dicitur, ita ut in pronunciando *r* finale omittatur, quod & olim jam factum eſſe, hoc ipſo ex loco manifeſtum eſt. Si noſtri Galli 1200. *denarios* enunciarent, dicerent: *mil deux cent deniers*. Et Gallicum *cent* eodem modo ac *zan* Germanicum pronunciatur. Unde concludo in Lege noſtra pro *malzantania* reſtituendum eſſe: *mal ta* ( deux ) *zan tania*. Et his *mille ducenti denarii* exprimuntur.

Qui cum sagittos fuerint docentinus dinarius, qui faciunt sol. ternus, culp. judic.

Quisque illorum raptorum vero IID. din. faciunt sol. LXII. culp. jud.

Si vero puella, qui traitur, in verbo regis fuerit, ereus inde exiendis (1) sol. LXII. culp. judicitur.

Si vero puer regius vel letus ingenua puella traxerit, de vita componat.

Si vero ingenuum quemcunque de illis sua voluntatem secuta fuerit, ingenuetatem suam perdit. Si quam sponsam aliena tullerit & sibi conjugium copolaverit ( malb. *antedio* ) sunt din. IID. faciunt sol. LXII. culp. jud.

*XIIII. De supervenientes vel expoliacionibus.*

Si quis hominem ingenuum insuperventum expoliaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *murdo* ) sunt dinar. IID. faciunt sol. XII. culp. jud.

Si vero Romanum FrancoSaligo expoliaverit, & certa non fuerit, per XXV. se juratores exsolbat, medius tamen electus (2), se juratores non potuerit invenire ( malb. *murdo* ) aut ad inium ambulat, aut IID. din. qui faciunt sol. LXII. culp. jud.

Si vero (3) certa probatio non fuerit XX. se juratores exsolvat, medius tamen electus, se juratores non potuerit invenire ( malb. *murdo* ) sunt din. ICC. faciunt sol. XXX. si adprobatus fuerit, culp. jud.

Si quis hominem migrantem adsallierit & ei fuerit adprobatum, sol. CC. culp. jud.

Si quis hominem, qui admigrare voluerit & de rege abuerit præceptum & abundivit (4) in mallum publico & aliquid ex ordinacionem regis arrestare præsumserit ( malb. *alachtaco* ) sunt VIIII. faciunt sol. CC. culp. jud.

Si quis villa aliena adsallierit, quanti in eum superventum probati fuerint fuisse nuscuntur sexagenis senies sol. culp. jud.

Si quis hominem dormientem in furtum expoliaverit, & ei fuerit adprobatum ( malb. *friomurdum* ) sunt din. IIII. faciunt sol. C. culp. jud.

Si quis hominem mortuum antequam in terra mittatur, expoliaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *norebero* ) sunt dinar. IIII. faciunt sol. C. culp. jud.

Si quis hominem exfudierit, & expoliaverit ( malb. *turni cale* ) sunt dinarius VIII. faciunt sol. CC. cui fuerit adprobatum culp. jud.

Si quis uxorem alienam tollere voluerit vivo marito ( malb. *affaltbecha* ) sunt din. VIII. faciunt sol. CC. cui fuerit adprobatum culp. jud.

Si quis cum ingenua puella mœchatus fuerit, & ei fuerit adprobatum ( malb. *virtuane* ) (5) sunt din. IID. faciunt sol. LXII. culp. jud.

Si quis cum ingenua puella spontania voluntatem, ambis convenientibus mina ( leg. *mœchatus fuerit*. ( malb. ) *frilayso* ) sunt dinar. ID. faciunt sol. XLV. culp. jud.

*(6) XVI. De incendiis.*

Si quis casa aliena qualibet super hominis dormientis incenderit, cui fuerit adprobatum ( malb. *sel ane effesa* ) quam ingenui fuerunt intus mallare debint; & si aliquis intus arserit ( malb. *leodi*, *selane effa* ) sunt din. IIIDC. fac. sol. LXII. culp. jud. de *leode* sol. CC. culp. jud. Cui exusa est ( malb. *anda dil.* ) (7) sunt din. VIII. faciunt sol. CC. culp. jud.

Si quis spicario aut amachallum cum annona, sote cum porcus, scuria cum animalia incenderit, cui fuerit adprobatum ( malb. *leo deba* ) sunt din. IID. faciunt sol. LXII. culp. jud.

Si Romanus hoc Romanum admiserit, & certa probatio non fuerit, per XX. se juratores exsolbat, medius tamen electus, se juratoris invenire non potuerit tunc ad inium ambalit, hoc dicit malb. *leode cal*, (8) sunt din. ICC. faciunt sol. XXX. culp. jud.

Si quis sepe aut concisa inciderit & ei fuerit adprobatum ( malb. *bila* ) sunt din. DC. faciunt sol. XV. culp. jud.

*XVII.*

(1) *Ereus inde exiendis.* ) Interpretor, *ut æneus inde evitetur*, sive probatio aquæ calidæ, solvendos esse LXII. solidos.

(2) *Medius electus.* ) Hoc est *mediator*, *internuncius*, *cui a reo injunctum ut juratores conquirat*. Papias: *Arbiter dicitur judex*, *medius*, *internuncius*. Willelmus Brito: *Medius*, *internuncius*, *pacificator & actor concordiæ*. Glossa Isidori: *Receptor*, *actor concordiæ*, *medius*. Vide plura in Cangio.

(3) *Si vero.* ) Præcedere aliqua debent, a scriba hic omissa.

(4) *Abundivit.* ) Pro *aliunde ivit*.

(5) *Virtuane.* ) Sine dubio restituendum, hoc est *thuirnane*, quod est nostrum *dirne*, de quo alias ad eandem hanc Legem actum.

(6) *Nota Collectoris.* ) Apud Eccardum non legitur cap. XV., & bis legitur infra cap. XXVII. Hoc ex errore scribæ, vel typographi.

(7) *Anda dil.* ) Hæc reddenda: *alteri* vel *adversæ parti*, *adversario*, ei nempe, *cui domus exusta*. Et indicant, ei, cui domus exusta, solvendos esse VIIIM. denarios. *Anda* est *alius*, *alter*; & *dil*, Sax. *del*, Germ. *theil*, pars. Sic adversarium in re judiciali *den gegentheil* vocamus.

(8) *Leode cal.* ) Provincialis sermo hic se prodit. *Leode cal* enim idem omnino est ac *componat calida* sc. aqua, sive *probatione aquæ calidæ*. Calidus Italis *caldo*, Gallis ejecta *l* littera *chaud*, sed olim etiam *cald*. Eckehardus de Casibus S. Galli cap. 10. *Cum autem etiam Ekkehardus ipse per se esset eleemosynarius*, *jocundum quiddam de eo dicemus*: *hominem quemdam*

*XVII. De vulneribus,*

Si quis alterum vulneraverit, aut occidere voluerit, & colabus præter fallierit & ei fuerit adprobatum ( malb. *ſelando* ) ſunt din. IID. faciunt ſol. LXII. culp. jud.

Si quis alterum de ſagitta toxegata percutere voluerit ( malb. *ſeo lando* ) ſunt dinarius ID. faciunt ſol. LXII. culp. jud.

Si quis hominem placaverit aut ſanguinem ad terra cadat, & ei fuerit adprobatum ( malb. *ſelando efa* ) (1) din. DC. faciunt ſol. XV. culp. jud.

Si quis alterum in caput plagaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *chicſio frit* ) ſunt din. DC. fac. ſol. XV. culp. jud.

Si exinde trea oſſa, qui ſuper ipſum cerebrum jacet, exirent ( malb. *chiſio frit* ) ſunt din. ICC. faciunt ſol. XXX. culp. jud.

Si vero intra coſtas vulnus intraverit, uſque ad intrania pervinerit ( malb. *gasfrit* ) din. ICC. faciunt ſol. XXX. culp. jud.

De medicatura vero ( malberg, *andechabing* ) ſunt ſol. VIIII. culp. judicitur.

Si quis ingenuus ingenuum de fuſte percuſſerit, ut ſanguis non exiat, III. colobus ( malberg, *vad-falto* ) hoc eſt ſemper uniuſquique *ſtus* (2) ternus ſolidus ſolbat.

Si vero ſanguis exiret ( malb. *vuadfodo* ) talem culpum componat, quantum ſi eum de ferrum vulneraſſit.

Si quis clauſum manum alterum percuſſerit, ( malb. *vuad flat* ) ſunt dinarius CCCLX. faciunt ſol. VIIII. Item ut per ſingulus *ſtus*, ternus ſol. reddat.

Si quis alterum in via expoliaverit, & per fugam evaſerit, ipſi fuerit adprobatum ( malb. *murdo* ) ſunt dinarius IID. fac. ſol. LXII. culp. jud.

*XVIII. De eum qui ad Regem hominem abſentem accuſaverit.*

Malb. *ſelando eſſa* (3) ſunt dinarius IID. faciunt LXII. ſol. culp. judicitur.

*XVIIII. De Maleficiis.*

Si quis alteri maleficiis feeerit, aut dederit bibere, ut moriatur, & ei fuerit adprobatum ( malb. *touerbus* ) ſunt din. VIII. faciunt ſol. CC. culp. jud. aut certe ignem tradatur.

Si quis alterum maleficium ficerit, cui fuerit factum evaſerit, autor ſi ſceleris qui admiſiſſe probatus vel convictus fuerit ( malb. *ſelando eſſa* ) ſunt dinar. IID. faciunt ſol. LXII. culp. jud.

*XX. Si quis ingenua muliere manum vel brachium ſtrinxerit.*

Si quis homo ingenuus femene ingenui digitum extrinxirit, cui fuerit adprobatum ( malb. *min.* ) ſunt din. DC. faciunt ſol. XV. culp. judicitur.

Si brachium prefferit ( malb. *chamim* ) ſunt din. ICC. faciunt ſol. XXX. culp. jud.

Certe ſi ſuper cubitum manum miſerit, cui fuerit adprobatum ( malb. *chamino* ) ſunt dinarius ICCCC. faciunt ſol. XXX. culp. jud.

*XXI. De Navibus furatis.*

Si quis extra conſilium domini ſui nave aliena moverit & cum ea tranſierit ( malb. *fimere* ) ſunt din. DC. fac. ſol. XV. culp. jud.

Si vero nave ipſa furaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *femere* ) ſunt din. ICCCC. faciunt ſol. XXXV. culp. jud.

Si quis aſco intra clave repoſito in ſuſpenſum pro ſtudium poſitum furaverit, & ei fuerit adprobatum ( malb. *chanzyſo* ) IDCC. din. ſunt ſol. XV. culp. jud.

*XXII. De furtis in molino commiſſis.*

Si quis ingenuus anona de molino aliena furaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *antedio* ) id eſt cui mulinus eſt DC. din. faciunt ſol. XV. culp. jud.

Ille vero, cujus anona fuiſſe probatur, alius XV. accipiat ad latrone.

*XXIII. De Caballum extra conſilium Dni ſui aſcinſum.*

Si quis *cavallum alienum* extra conſilio caballigaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *geſtabo* ) ſunt din. ICC. faciunt ſol. XXX. culp. jud.

*XXIV. De humicidiis parvolorum vel mulierum.*

Si quis puerum ingenuum intra XII. annus uſque ad XII. plenus occiderit, cui fuerit adprobatum ( malb. *leode* ) ſunt din. XXIIII. faciunt ſol. DC. culp. judic.

Si quis femena ingenuam interfecerit & ei



*dam domeſticum, cum ad hoc quidem deſtinaverit, ut ſi quos pauperes vel peregrinos diceret, clam in domo ad hoc decreta lavaret, raderet, veſtitos reficeret, & noctibus juſſos, ut nemini dicerent, a ſe emitteret: accidit quadam die, ut ei contractum, (Gallum genere) carruca advectum, ut ſolebat, committeret, quem ille, groſſum quidem & craſſum, cum toto virtutum anniſu, clauſo ſuper ſe ſolos, ut juſſus eſt, hoſtio, vix in vas lavacri provolveret, maledicens: erat enim iraſcibilis: vere, ait, ſimpliciorem quam dominum meum hodie neſcio hominem: cui benefaciat, diſcernere neſcit: mihi quoque tam pinguem belluonem dorſo ſuſtollere injunxit. At contractus, cum aqua ſibi lavacri nimis videretur calida, Gallice ruſtice,* kalt, kalt eſt, *ait. At ille, quoniam in Teutonum lingua,* frigidum eſt, *ſonat: & ego, inquit, calefaciam: hauſtamque de lebete ferventi lavacro infundit aquam &c.*

(1) *Selando efa.* ) Lege: *ſeu Landoeſſa.* Recurrit idem Titulo ſequenti.

(2) *Stus.* ) Ictus, colpus. *Stos* nobis adhuc eodem ſenſu uſurpatur, & *einem ſtoeſſe geben* eſt *verbera dare alicui, aliquem verberare.* Radix eſt verbum *ſtoſſen*, tundere, ferire.

(3) *Selando eſſa.* ) Corrige *ſeu Landoeſſa*, ut *Landoeſſa* vel *landehe* ſit ſynonymum Malbergi; ut ſupra indicavimus.

ei fuerit adprobatum (malb. *leodosanii*) sunt din. XXIV. faciunt sol. DC. culp. jud.

Si quis femena trabaterit graveda, cui fuerit adprobatum, (malb. *adnouad.lo leode*) sunt din. XXVIII. faciunt sol. DCCC. culp. jud.

Si vero in ventre matris sui occisus fuerit aut ante quod nomen abiat (malb. *anneando*) sunt din. IIII. fac. sol. C. culp. jud.

Si quis verum puerum crinitum ingenuum tundere præsumserit extra voluntatem parentum, cui fuerit adprobatum (malb. *virdade*) sunt dinar. DCCC. faciunt sol. XLV. culp. judicitur.

Si quis ingenuam puellam extra consilium parentum tundere præsumserit, cui fuerit adprobatum (malb. *tuschada*) sunt din. IDCCC. fac. sol. XLV. culp. jud.

Si quis puerum crinito occiderit, cui fuerit adprobatum (malb. *leode*) sunt din. XXIIII. fac. sol. DC. culp. jud.

Si vero puerum infra XII. annorum aliqua culpa comiserit, fretus ei non requeratur.

Si quis femena, post ceperit infantis habere, qui ea occiderit, cui fuerit adprobatum (malb. *leodinia*) sunt dinarius XXIIII. faciunt sol. DC. culp. jud.

Post infantis non potuerit abere, occiderit, cui fuerit adprobatum (malb. *leodinia*) sunt din. VIII. fac. sol. CC. culp. jud.

*XXV. De adulteriis ancillarum vel servorum.*

Si quis ingenuus cum ancillam alienam mecatus fuerit & ei fuerit adprobatum (malb. *teolosina*) sunt din. DC. faciunt sol. XV. culp. jud.

Si vero cum regi ancilla mechatus fuerit, & ei fuerit adprobatum (malb. *teolosina*) sunt din. ICC. fac. sol. XXX. culp. jud.

Si quis ingenuus cum ancillam alienam publice junxerit, ipsi eam in servicio cadat.

Si servos cum ancilla aliena mechatus fuerit & ex ipso crimine ancilla mortua fuerit, servus CCXL. dinar. qui faciunt sol. sex dominus servi reddat, aut servus castretur, dominus vero servi capitale dono (1) ancillæ infere in loco; si ancilla exmortua non fuerit (malb. *bab mundo*) servus aut CCC. hictus accipiat aut CXX. din. qui faciunt sol. III. cogatur exsolvere.

Si servus ancillam alienam in conjugium sociaverit aut vapulit aut CXX. din. qui faciunt sol. III. domino ancillæ cogatur exsolvere.

*XXVI. De libertis extra consilium Domni sui dimissis.*

Si quis alienum lætum ante rege per dinarium ingenuum demiserit, & ei fuerit adprobatum (*malteobiatus meo lexim*) sunt din. IIII. fac. sol. C. culp. judicitur.

Si vero læti ipsius legitimi, refirmetur.

Si quis vero servum alienum ingenuum dimiserit & ei fuerit adprobatum (malb. *maltbobait bomitto*) sunt din. ICCCC. fac. sol. XXXV. culp. jud. pro divero domini sui reddat.

*XXVII. De furtis diversis.*

Si quis vero tintinno de porcina aliena furaverit, cui fuerit adprobatum (malb. *leodardi*) sunt din. DC. faciunt sol. XV. culp. jud. exc. cap. & dilatura.

Si vero de pecoribus furaverit & ei fuerit adprobatum (malb. *leodardi*) sunt din. CXX. fac. sol. III. culp. jud.

Si quis pedica de caballus furaverit, cui fuerit adprobatum (malb. *leodardi*) sunt din. CXX. fac. sol. III. culp. jud.

Si vero caballi ipsi perierint, ipsus in caput reddat.

Si quis messe aliena in furtum meterit & inventus fuerit (malb. *leodardi*) sunt din. DC. fac. sol. XV. culp. jud.

Si quis in orto alieno ingressus fuerit in furtum, & ei fuerit adprobatum (malb. *leodardi*) sunt din. DC. fac. sol. XV. culp. jud.

Si quis in nabina, in favaria in pesaria, in linticlaria in furtum ingressus fuerit, cui fuerit adprobatum (malb. *leodardi*) sunt din. CXX. fac. sol. III. culp. jud.

Si quis de campo alieno messe furaverit, & hoc aut in caballo aut in carro duxerit ad domum suam, & ei fuerit adprobatum (malb. *leodardi*) sunt dinarius DC. fac. sol. XV. culp. jud. except. cap. & dilat.

Si quis vero in dorsum portaverit (malb. *leodardi*) sunt din. CXX. fac. sol. III. culp. jud.

Si quis prato alieno secaverit, opera sua perdat, & si exinde ad domo sua duxerit fenum & discargaverit, & ei fuerit adprobatum (malb. *leodardi*) sunt din. IDCCC. fac. sol. XLV. exc. capit. & dilat.

Si vero tanto præsumserit, quantum in dorsum suum portaverit, & ei fuerit adprobatum (malb. *leodardi*) sunt din. CXX. fac. sol. III. culp. jud.

Si quis viniam aliena in furtum vindimiaverit, & inventus fueret (malb. *leodardie*) sunt dinar. DC. fac. sol. XV. culp. jud.

Si vero vinum ad domum suam duxerit, aut cavallo aut in carro discargaverit, & ei fuerit adprobatum (malb. *leodardi*) sunt din. IVCCC. fac. sol. XLV. culp. jud. De missibus vero simul observandum est.

Si quis in silva materium alienum capolaverit aut incideret, cui fuerit adprobatum (malb.

---

(1) *Dono.*) Pro *Domino*. Hispani adhuc *don* pro *dominus* dicunt.

( malb. *leodardi* ) sunt din. DC. fac. sol. XV. culp. jud.

Si vero materio ex una parte dolato in furtum præsumserit CXX. din. fac. sol. III. culp. jud.

Si quis arbore post anno signatum præsumserit, nullam abiat culpam.

Si quis retem ad anquilas de flumine furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *obtubbo* ) sunt din. IDCCC. fac. sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dilatura.

Si quis statualem, tremacle, aut vertevelem furaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *nascodinar.* ) sunt dinarie DC. faciunt solidus XV. culp. jud.

Screonas qui fine clave effregerit, cui fuerit adprobatum ( malb. *pronas an thiso* ) sunt din. IDCCC. fac. sol. XLV. culp. judicitur, exc. cap. & dil.

Si quis campum alienum araverit, & non semenaverit ( malb. *leodardi* ) sunt dinar. DC. fac. soledus XV. culp. judic.

Si quis campo alieno araverit & semenaverit *hoc her paan de escrippas*, dinarius IDCCC. fac. soledus XLV. culp. judicitur.

Si quis cum servum alienum aliquid neguciaverit nesciens domino suo ( malb. *thea lasina* ) sunt dinar. DC. fac. soledus XV. culp. jud.

*XXVII. De Logationibus.*

In furtum aliquid elogare voluerit, cui fuerit adprobatum ( malb. *morter* ) sunt dinarius IID. faciunt soledus LXII. culp. judicitur.

Si quis furtum elogatum acceptum præcio homino hocciderit & ei fuerit adprobatum ( malb. *morter* ) sunt dinarius ID. fac. sol. LXII. culp. jud.

Si vero pro tertio homine elogacio ipsa fuerit transmissa, si adprobatus fuerit ( malb. *morter* ) sunt din. IID. fac. sol. LXII. culp. jud. hat. sic dans, accipiens & portans sexsagenus binus simis sol. culp. jud.

*XXVIII. De Dibilistacionibus.*

Si quis alterum manum pedem vel oculum ejecerit, aut excusseret, nasim ampotaverit, cui fuerit adprobatum ( malberg, *fisti* ) sunt din. IIII. fac. sol. C. culp. jud.

Si quis policare de manum vel pedem excusserit, cui fuerit adprobatum ( malb. *alathamo* ) sunt dinar. II. faciunt sol. L. culp. judic.

Si vero ibidem mancatus fuerit ( malb. *alathamo* ) sunt dinarius ICCCC. faciunt sol. XXXV. culp. jud.

Si secundo vero digitum, id est unde sagittatur, excusserit ( malb. *alathamo* ) sunt dinar. ICCCC. fac. sol. XXXV. culp. jud.

Si quis vero sequens hominem castraverit ( malb. *gafferit* ) sunt din. VIII. fac. sol. CC. culp. jud.

*XXVIIII. De Conviciis.*

Si quis alterum cynitum clamaverit DC. dinarius, qui sunt sol. XV. culp. jud.

Si quis alterum concagato clamaverit CXX. din. fac. sol. III. culp. jud.

Si quis mulier ingenuam seo vir seo mulier altera meletrice clamaverit & ei non potuerit adprobare IDCCC. din. fac. sol. XLV. culp. judicitur.

Si quis alterum vulpe clamaverit CXX. din. fac. sol. III. culp. judicitur.

Si quis alterum lepore clamaverit DC. din. fac. sol. XV. culp. jud.

Si quis alterum repotaviret, quod suum scutum jactasset, & non potuerit adprobare CXX. din. fac. sol. III. culp. jud.

Si quis alterum dilatorem aut falsatorem clamaverit & non potuerit adprobare DC. din. fac. sol. XV. culp. jud.

*XXX. De via lacina.*

Si quis barone ingenuum de via sua ortaveret aut inpinxeret ( malb. *via lacina* ) sunt dinarius DC. faciunt sol. XV. culp. jud.

Si quis mulierem viam suam ortaverit aut impinxerit, ( malb. *mallacina* ) sunt dinar. ICCC. fac. sol. XLV. culp. jud.

*XXXI. De ligaminibus.*

Si quis hominem ingenuum sine causa ligaverit ( malb. *ande rebus* ) sunt din. ICC. faciunt sol. XXX. culp. jud.

Si vero aliquam partem ligatum duxerit ( malb. *anderebus* ) sunt din. IDCCC. faciunt sol. XLV. culp. jud.

*XXXII. De venacionibus.*

Si quis vero de diversis venacionibus ..... Quam legem de venationibus, & pescacionibus convenit observare.

Si quis cervum domisticum signum abentem furaverit, aut occiderit, qui in venacionem mansuetus est, & hoc testibus adprobatum fuerit, quod eum dominus suos in venacionem abuit & cum ipsum vel duas aut tres feras occideret ( malb. *trovisido* ) sunt din. IDCCC. fac. sol. XLV. culp. jud.

Alium vero domesticum cervum, qui in venacionem adhuc non fuit involaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *trovisido* ) sunt dinarius ICC. fac. sol. XXX. culp. jud.

*XXXIII. De sepebus vero.*

Tres virgas unde sepes sublegatur, furaverit aut capulaverit aut tres cambortus involaverit aut excervicaverit vel retorta unde palum aut sepes contenetur capolaverit. cui fuerit adprobatum ( malb. *leodardi* ) sunt din. DC. faciunt sol. XV. culp. jud.

Si quis per aliena messe post levaverit erpice traxerit, aut cum carro sine via tran- sie-

fierit ( malb. *leodardi* ) funt din. cxx. fac. fol. III. culp. jud.

Si quis meffe aliena jam expalmitante fine via tranfierit ( malb. *leodardi* ) funt dinar. DC. fac. fol. xv. culp. jud.

Quis in curte aliena malo ingenio, aut quodlibet aliquid de furtum in cafa mifErit, hoc eft, nefciente eum, cujus domus vel curtis eft & ibidem inventus fuerit ( malb. *frictebero* ) funt dinar. IID. fac. fol. LXII. culp. jud.

*XXXIV. De humicidiis fervorum vel expoliacionibus.*

Si quis fervum occiderit aut expoliaverit fe fimilem & ei fuerit adprobatum ( *theolede Tholo thodina* id eft homicida ) illum domini inter fe dividant.

Si quis ingenuus fervum alienum expoliaverit & fuper XL. dinarius tolliffe convencitur ( malb. *rencus murdo* ) funt din. DC. fac. fol. xv. culp. jud.

Si quis homo ingenuus letum alienum expoliaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *leciim murco* ) funt din. ICCCC. faciunt fol. xxxv. culp. jud.

Si quis letus aut fervus hominem ingenuum occideret ipfa homicida pro medietatem compofitionis hominis hoccifi parentibus tradatur, dominus vero fervi alia medietatem fe noveret effe folveturus.

Si quis vafum ( 1 ) ad minifterium quod eft *Strogau* ( 2 ), puella ad minifterium aut fabro ferrario, vel aurefice aut porcario furaverit aut occideret, cui fuerit adprobatum ( malb. *taxaga* aut *ambitania* ) funt din. ICCCC. faciunt fol. xxxv. culp. jud. intro fretum & faidum, funt fol. XLV. funt fol. LXXV.

*XXXV. De quadrupedibus, fi hominem occiferit.*

Si quis homo ex quolibet quatropedem domifticum occifus fuerit, & teftibus fuerit adprobatum, medietatem compofitionis dominus ipfius quatropedem auctorem criminis pro medietatem compofitionis reftituat requerentibus.

*XXXVI. De veftigium minando.*

Si quis bovem aut cavallum vel quælibet animalia ad furtum perdiderit, & eumdum per veftigium fequentur, fuerit confecutus ufque in III. noctes; ille qui eum ducit aut emiffe aut cambiaffe dixerit vel clamaverit, ille qui per veftigium fequitur per tercia manum debit adcramire; fi vero jam tribus noctibus exactis, qui res fuas quæret, fi eas invenerit, ille aut emiffe aut cambiaffe dixerit, ipfe liceat adcramire. Si ille vero qui per veftigium fequitur fe agnufcire dicit, illum alium reclamante, nec offerre per tertia manum voluerit nec fole fecundum legem collegaverit & ei violenter quod fe agnufcire dicit, tolliffe convincitur. ICC. dinarius, qui faciunt fol. xxx. culp. judicetur.

*XXXVII. De furtis cavallorum vel equarum.*

Si quis cavallum, qui carruca trahit, furaverit, cui fuerit adprobatum ( malb. *banziao* ) funt din. IDCCC. fac. fol. XLV. culpab. judic.

Si quis armeffario furaverit cui fuerit adprobatum ( malb. *vaderedo* ) funt din. IDCCC. fac. fol. XLV. culp. jud.

Si quis armeffarium, cum gregem fuum hoc eft equas, cui fuerit adprobatum ( malb. *Jannifta* ) funt din. IID. fac. fol. LXII. culp. jud.

Si vero grex ille minor fuerit, ufque ad VII. capita cum armeffario fuerint, cui fuerit adprobatum, exceptum capitale & dilatura IID. din. qui faciunt fol. XII. culp. jud.

Si quis equa pregnante furaverit & ei fuerit adprobatum, ( malb. *anclaca* ) funt din. IDCCC. faciunt fol. XLV. culp. jud. exc. capit. et dilat.

Si quis poletro annocolo furaverit & ei fuerit adprobatum ( malb. *funnifta* ) funt din. DC. fac. fol. xv. culp. jud. exc. cap. et dilat.

Si vero fequentis poletrus furaverit et ei fuerit adprobarum ( malb. *nare* ) funt dinarius cxx. fac. fol. III. culp. jud.

*XXXVIII. De plagiatoribus.*

Si quis mancipia aliena fublicitare voluerit et adprobatus fuerit ( malb. *obfculte* ) (3) funt din. DC. fac. fol. xv. culp. jud.

Si fervus alienus plagiatus, et ipfe trans mare ductus fuerit et ibidim ad domino fuo inventus fuerit, et ad quo ipfe in patria plagiatus eft in mallo publici nominaverit, et ibidem teftis debit collegire.

Iterum cum fervus, fi de tranfmare fuerit

---

( 1 ) *Vafum.* ) *Vafus* & *vaffus* denotat *famulum*, *fervum*. Diminutivum inde eft *Vafallus*. Lindenbrogius, Spelmannus, Voffius, Cangius, Menagius & alii, multa de utraque voce congefferunt. Nos monemus faltem originem earum in veteri lingua Gallica quæri debere, in qua *gwas*, fervum vel miniftrum fignificat. Vid. Daviefii & Boxhornii Lexica Cambro-Britannica. Author Catholici Armorici apud Cangium: *Gwas vel goas*, *fervus*, *famulus*. *Antiquis fignificabat juvenem*, *adolefcentem virum*. Reliquæ vocis originationes ne hilum quidem valent.

( 2 ) *Strogau.* ) Quid hoc fit, me nefcire fateor.

( 3 ) *Obfculte.* ) Hoc verbo reddi videtur Latinum *folicitaverit* vel *folicitare voluerit*. An a veteri *abfcellan* vel *abfcillan*, feparare vel diftrahere ab aliquo? Nos hoc fenfu dicimus *abfpænftig machen*.

rit revocatus, in alterum mallum debit nominari, ibidim simul III. testis debit collegi edoneus, ad tertium vero mallum similis fieri debit, ut nove testes jurent, quod servum ipsum æqualiter super plagiatorem audierit dicentem, et sic postea, qui eum plagiaverit (malb. *unistario*) (1) præter cap. et dilat. dina. ICCCC. faciunt sol. XXXV. culp. judicitur.

Qui confessio servi usque III. plagiatoris amittitur, sed eam tamen racionem, ut nomina hominum et vilarum (2) semper debiat nominare.

Si quis vero hominem plagiaverit et vendeveret, et probatio certa non fuerit, sicut pro hoccisо juratores dare (malb. *falconum*) sunt din. VIII, faciunt sol. CC. culp. jud.

Si Romanus ingenuum plagiaverit IID. din. qui faciunt sol. LXII. culp. jud.

*XXXVIIII. Si servus in furtum fuerit inculpatus.*

Si talis fuerit causa, unde ingenuus DC. din. qui faciunt sol. XV. componere debuerit, servus super scamnum tinsus CXX. hictus accipiat.

Si vero antequam torquatur, fuerit confessus, nihil suum domino credat: ipse vero in posterum illum abiturus, qui eum torsit; dominus vero servi, unde jam pignus accipit precio pro suo servo accipiat: si vero intra priora supplicia (3), id est, acolapus, fuerit confessus aut castretur, aut CXX. din. qui faciunt sol. III. reddat: Dominus vero servi caput in loco restituat, requerendi, si majus crimine servus inculpatus, id est, unde ingenuus IDCCC. dinar. hoc est, sol. XLV. componere possit et intra supplicia confessus fuerit capitali sentencia feriatur. Si vero servus in colibet crimine culpatur, dominus servi ipsius, si presens est, ab eo qui requeret admanere debit, ut servum suum dibiat suppliciis dare, ubi quis repetit et virgas paratas habere debit, quæ ad magnitudinis minoris digiti; et senum (4) et scamnum præstet (5), ubi servum tendere dibiat. Si dominus servum distulerit et servus præsens fuerit, continuo ille qui repetit domino sole colocare debit, et sic in VII. noctes placitum facire dibit, ut servum suum suppliciis ut tradat, et sic ad alteras VII. noctes placitum faciat, id est in quatuordecem noctes servum noluerit suppliciis dare, omnem causam vel composicionem excipiat, hoc est, ut se talis causa erat, unde ingenuus DC. dinar. qui faciunt sol. XV. componere, ipsius dominus reddat: Si vero major culpa fuerit unde ingenuus ICCCC. din. qui faciunt sol. XXXV. poterat reddere, similiter dominus reddat. Si vero adhuc major culpa fuerit, quod similiter ingenuus IDCCC. qui faciunt sol. XLV. componere possit, et dominus servum non præsentaverit, ad ipsum numerum teneatur, ut ipsum reddat et capitale: Quod si adhuc major culpa fuerit, quod servum requeratur, dominus servi, non ut servus solvat, sed ut ingenuus totam legem super se solviturum excipiat, quod si servus absens fuerit, cui aliquid impotatur, dominus ad repetanti, cum tribus testibus, secretius admonere debit, ut servum suum infra VII. noctes debiat presentare, quod si ficerit, tunc repetens solem illi cum testibus colecit: et sic ad alias VII. noctis servum ipsum non presentaverit, tercia vicem adhuc VII. noctis illi placitum dare debit, id est, ut totus numerus usque ad XXI. nocte perveniat; quod si non potest tercium placitum, ipsum servum noluerit ligatum suppliciis dare, tunc dominus servi omnem causam super se excipiat. Si vero ancillam in tale crimine invenitur, unde servus castrare debueret aut CCXL. din. qui faciunt sol. VI. Si convenirit pro ipsa dominus reddat, aut CCC. hictus accipiat flagellorum.

Si servus cum ingenuum furtum fecerit servus in duplum, si, quod consorciavit, retat, exc. cap. et dil. ingenuus vero quadruplum excipiat damnum.

*XL. De humicidiis ingenuorum.*

Si quis ingenuus Franco aut barbarum, qui legem Salicam vivit, occideret, cui fuerit adprobatum (malb. *leodi*) sunt din. VIII. fac. sol. CC. culp. jud.

Si vero eum in puteum aut in aqua miserit & eum aut de camisa aut de collis aut de quibus rebus celaturus steterit, cui fuerit adprobatum (malb. *matte leodi*) sunt



(1) *Unistario.*) Lege *uuirtario*, quod alias expositum.

(2) *Vilarum.*) Ex *villa* ad Rhenum superiorem formata sunt nomina locorum in *wiler* & *weiler* exeuntia. Villæ enim vox non prædium rusticum, sed complurium in agris mansionum vel ædium collectionem apud recentiores denotavit. Imo pro *civitate* in Gallia & Italia usurpatum est. Eodem sensu & hic adhibetur.

(3) *Priora supplicia.*) Ex hoc loco patet, torturam apud veteres Francos a fustigatione incepisse.

(4) *Senum.*) Hoc est *nervum* vel *cordam*, qua in scamno torquendus ligetur. Nobis *sehne* est *nervus*; *senne* ambogen, fides arcubalistæ. Hinc diminutivum *senckel*, ligula. Glossæ MStæ Florentinæ: *Arcus corda*, *senna*. Notkeri paraphrasis Psalmi VII. 13. *Et habet algaro gespannen sinen bogen; uuanda er die alton è mit dero senеuuon dero niuune geduungen habet.* H. e. *arcum suum tetendit, quia veterem Legem corda novæ legis attraxit.* Nota vero, arcus cordas adhuc apud Turcas strangulandis magnatibus adhiberi.

(5) *Præstet.*) Id est, *præsto habeat*.

ſunt din. xxiiii. fac. ſol. dc. culp. jud.

Si vero eum traſte dominicam eſt aut mulierem occiderit, cui fuerit adprobatum ( malb. *leodi* ) ſunt din. xxiiii. faciunt ſol. dc. culp. jud.

Si vero eos in aqua aut in puteum miſerit, aut de ramis aut de clalis ſuper coperuerit ( 1 ) aut de quibuſcunque rebus celatores ſteterit ( malb. *matte leodi* ) ſunt din. xxiiii. fac. ſol. dc. culp. jud.

Si vero Romanus homo poſſeſſor occiſus fuerit, qui eum occiſſiſſe probatur ( malb. *uuala leodi* ) ( 2 ) ſunt din. iiii. fac. ſol. c. culp. jud.

Si Romanus triutarius occiſus fuerit, cui fuerit adprobatum ( malb. *uuala leodi* ) ſunt dinarius iii. fac. ſol. lxx. culp. judicitur.

Si quis hominem invinerit, in quadruvio ſine manum, ſine pedes, quem inimici ſui ibidim miſerunt, & eum pro occiderit, cui fuerit adprobatum ( malb. *friofalto* ) ſunt din. iiii. faciunt ſol. centum. Erunt qui (3) ſol. penſare vel probare dibiant, & hoc facto, ſi eis convinerit, accipiat; ſi vero ſtudio non ficerat & ſic ea acciperat ( malb. *reipus* ) ſunt dinarius d. fac. ſol. lxii. culp. jud. Cui reipe debentur, debet exſolvere. Si vero, quod ſuperius diximus, omnia ſecundum legem impleverit iii. ſolid. cui reipe debentur, ſine poſſeſſoris filius fuerit, accipiat: Si vero nepus non fuerit, neptis filius ſenior ſi fuerit, ille eos accipiat. Si nepus non fuerit neptis filius, ſi conſubrino filius qui ex maternæ genere fuerit, ipſe eos accipiat; ſi nec conſubrini filius fuerit, tunc frater matris reipus accipiat; ſi nec avunculus fuerit, tunc frater, qui ea mulierem ante abuit, ſi in hereditatem non venturus eſt, ipſe reipus accipiat; ſi nec ipſe frater fuerit, qui proximior fuerit extra ſuperius nominatur, qui ſingulatim ſecundum parentillam dicti ſunt uſque ad vi. genucolo, ſi in hereditatem illius mariti defuncti accederit, ipſe reipus accipiat. Nam ſi poteſt ſexto genuculo ſi non fuerint in fiſco reipe ipſe vel cauſa, que inde orta fuerit, colligatur.

*XLI. De Migrantibus.*

Si quis homo ſuper alterum in villa migrare voluerit & unum vel aliquis de ipſis tunc eum ſuſcipere voluerit, ſi vel unus exteterit, qui contradicat, migranti ibidim licienciam non abuit: ſi vero contradictum unius vel duorum in villa ipſa adſentire voluerit, tunc ille teſtare debent, & ſi noluerit inde exire, ille qui ei teſtat cum teſtibus ſic ei teſtare debit, dicat: homo in hoc tibi teſtor, ut in hac nocte proxima in hoc quod Lex Salica habit, ſedeas & teſto tibi in x. noctis de villa ſta (4) exſeas. Et depoſtica ( 5 ) adhuc depoſt x. noctis iterum debit ad eum venire & teſtare in alias xx. noctes, ut inde exeat; ſi adhuc exire voluerit, iterum tertium x. noctes adat, ut ſic xxx. noctes impleantur; ſi nec tunc exire voluerit, tunc maniat eum ad mallum, & teſtes ſuos per ſingula placita, qui fuerint ibidem, priſtus abere debit; & ſic ipſe, cui teſtatum eſt, voluerit venire & ſunnis non tenuerit, & ſta, quæ ſuperius diximus, omnia ſecundum legem & teſtatum, tunc ipſe qui teſtavit ſuper fortuna ſua ponat & rogit Grafionum loci illius, accedat ad locum, ut eum inde expellat, quia legem noluit audire, & quod ibi laboravit, demittat, & inſuper ( malb. *uuedreſitelo* ) ſunt din. icc. fac. ſol. xxx. culp. jud.

Si vero migraverit & ei infra xii. menſis nullius illius teſtatus fuerit, ubi admigravit, ſicurus, ſicut alii vicini manent, ille maniat.

*XLII. De adfathamire hoc convenit obſervare.*

Ut Tunginus aut centenarius mallum indicant, & ſcutum in ipſum mallum habere debent & iii. hominis iii. cauſas in mallum ipſum demandent & poſtia requirant hominum qui ei non perteniat, & fiſtucam in leſu jectit, & ipſi in cujus leſo fiſtucam jectavit, de furtunam ſuam quantum dare voluerit aut totam furtunam, cujus voluerit dare ipſo in cujus leſo fiſtuca jactavit, in caſa ſua manire debit & de facultate ſua de quantum ei datur in poteſtate ſua abire debit & poſtia ipſe cui ſcutum creditum eſt ſta omnia cum teſtibus colectis agere debet, & poſtia aut ante regem aut in mallum legitimum illi cui furtunam ſuam depotavit, reddere debit & accipiat fiſtucam in mallum ipſum ante xii. minſis ille quos eredes depotavit in leſo jactit, nec minus nec majus, niſi quantum ei

(1) *Coperuerit.*) Vides ex *cooperire* factum eſſe *coperire*, & inde Italicum *coprire* & Gallicum *couvrir* prodiit.

(2) *Uuala leodi.*) *Compoſitio Wali* ſive *Romani*. Itali enim & Romani homines nobis olim *Walen* dicti ſunt; unde reliquiæ Romanorum in B·lgio, ſive Romanam linguam loquentes, hoc eſt Gallicam modernam, *Walones*; & qui in Dacorum & Getarum veterı ſede ex Colonia Romanorum reſtant, *Walachi* dicuntur. Nos Italos & Gallos ex eodem fonte jam *wælliſche*, *wælſche*, hoc eſt, *peregrınes* vocamus. Radix eſt *wallen*, peregrinari. Angli etiam veteres Britannos *Wallos*, & provinciam ipſorum *Walliam* nominant. Hinc & nobis *walfarten* proprie eſt *peregre ire*, *in peregrinationem ire*.

(3) *Erunt qui &c.*) Hic aliqua omiſſa ſunt. Quæ enim ſequuntur, ad Titulum, qui *de Reipus* inſcribitur, pertinent.

(4) *Sta.*) Ex *iſte* barbari fecerunt *ſte*, deinde *ſete*, & tandem *cet*, quod Gallis adhuc eſt *iſte*.

(5) *Depoſtica.*) Hinc Gallicum *depuis*.

ei creditum est & sic contra hoc aliqui aliquid dicere voluerit, debent III. testis jurati dicere, quod ibi fuissent in mallum, quem Tunginus, aut centenarius mallum indixerunt, quomodo dixissent hominem illum, qui furtuna sua adire noluit, nominare debit, denominat illum, cui festucam in læso jactat, & sic leso jactitur & illum, quem heredem apellat, similem nominent & alteri III. testis jurati dicere debent, quod in causam illius, qui furtuna sua donavit, in cujus leso fistucam jactata est, ibidim mansi & ospites III. aut amplius collegisset & pavissit & ospites illi III, aut amplius de susceptionem gratias egisset & in beudo pultis manducassent & testes collegisset; & sta omnia illi alii tres testis jurati dicere debent, & de hoc quando in mallum aut ante regem vel in legitimo publici, qui accipit in leso furtunam ipsi ante regem aut in mallum legitimus publicum hoc est in malbergo antenda (1) aut tuginus furtunam suam quod eredis apellavit publici coram hominibus fistucam in leso jactassit, hoc est VIIII. testimonia vel testis sta omnia debunt adfirmare.

*XLIII. De Feltortus qui Lege Salica vivent.*

Si quis servum aut ancilla, caballum vel quemlibet rem cum alterum agnoverit, mittat eum in tertia manum, & ille, quod quem agnuscitur debet agramire & si intra Legere aut Carbonaria ambo manent, qui agnuscit, & cum quem agnuscitur in noctis XL. placitum faciant, & ipsum placitum, quanti fuerint, qui caballum ipsum aut vindederint, aut cambiaverunt, aut fortasse in solitudinem dedirunt, omnia intra placitum stum commoneantur, hoc est unusquisque cum neguciatoribus alter alterum admoniat & si quis commonitus fuerit & *sunnis* non tenuerit & ad placitum venire distulerit, tunc ille, qui cum eum neguciaverit, mittat III. testis, quomodo ei nonciassit, ut in placitum venerit; alterius tres, quod publici ab eum & doniter (2) neguciassit. Sto si fecerit, exuit se ad latrocinium ille, qui non venerit, super quem testes juraverunt, ille erit latro illius, qui agnuscit, precium reddat illis, secundum legem componat illi, qui res suas agnuscit. Sta omnia in illum mallum debent fieri, ubi ille est ga mallum, super quem res illa primitus fuerit agnouta aut in tercia manu missa, quod intra Legere aut Carbonaria ambo manent, cum quibus agnuscitur, in noctis LXXX. lex sta costodiatur.

*XLIV. De humicidio in contubernio facto.*

Si quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo sua adsalierit & ibi eum occiderit (malb. *bistolio*) si andruscio dominicus fuerit, ille qui occisus est sol. IDCCC. culp. jud. Si vero antruscio dominicus non fuerit, ille qui occisus est, sol. DC. culp. jud.

Si vero corpus hoccisi hominis III. vel amplius abuerit plagas, tris quibus inculpatur, qui in eo contubernio fuerint, si probatus aparuerit, lex superius conprehensa convenit observare, alii vero III. de hoc contubernio nonaginta sol. singuli eorum component, & adhuc in tercio loco de ipso contubernio sol. XLV. solvant. De Romanus vero occisus vel litus, qui in tale contubernio interfecti fuerent hæc lex ex medietate solvantur.

*XLV. De hominem in contubernio occiso.*

Si quis in convivio, ubi quinque aut amplius fuerint, & unus ex ipsis fuerit interfectus malb. *seolandi stadio*, hoc est illi qui remanet aut uno convincto de se dare debent, aut toti mortem illius componant, quia lex usque ad VII. qui fuerint in convivio observatur: Sive in convivio illo plusquam VII. fuerint, non omnes teneantur obnoxii, sed quibus fuerent & adprobati, illi secundum legem componant; Si quis vero foris casa vel iter agens sive in agro a contubernio fuerent occisi & III. vel amplius abuerit plagas (malberg, *dructi flido*) ut tres de eo contubernio qui probati fuerint singuli mortem illius componant & III. adhunc si fuerint de ipso contubernio tregintini sol. solvant & III. adhuc, si fuerint de ipso contubernio quinginus solvant.

*XLVI. De homine in oste occiso.*

Si quis hominem, quia lege Salica vivit dum est in oste hocciderit (malb. *leodardi*) sol. DC. culp. jud.

*XLVII. De Compositione humicidii.*

Si cujus pater occisus fuerit, medietate compositionis sc. LII. ad se recollegant & illa alia medietate parentis, qui proximioris sunt, tam de patre quam & de matre, inter se devidant, quod se de una parte, seu materna nullis parentis fuerit, illa porcio fiscus adquerat.

*XLVIII. De Reibus.*

Si quis, adsolit, homo moriens viduam demiserit, qui eam noluerit accipere antequam accipitur sol. III. ante tungine vel Centenario, hoc est, ut Tunginus vel Centenarius indicat, & mallum ipsum scutum abere debit & tres hominis III. causas demandare debent, tunc ipsi qui viduam ipsam accipere debit & III. sol. æquos pensantes qui proferat, & III. erunt, qui ipsos

(1) *Anteuda.*) Lege: *ante tead.*

(2) *Doniter.*) Quid hoc?

ipſos ſolidos penſare debent, aut probare & hoc factum ſi eis conveniſſit, ipſi, qui viduam queret, accipiat.

Si quis hominem in puteo (1) jactaverit & vivus exiet ſua cauſa, malb. ſol. LXII. culp. jud.

Simili modo, qui alium in pellago inpinxerit, malb, ſol. LXII. culp. judicitur.

*XLVIIII. De falſum teſtimonium.*

Si quis falſum teſtimonium preberit vel juraverit (malberg, *caliſtanio*) (2) ſunt din. DC. fac. ſol. XV. culp. jud.

Si cujuſcunque aliquid fuerit in culpa tum quod perjuraſſit & probatus fuerit, juratoris quinus ſol. condemnentur; ipſi vero cujus adprobatum fuerit exceptum cap. & cauſa extra hoc ſol. XV. culp. jud.

*L. De teſtibus.*

Si quis teſtes neceſſe abuerit, & fortaſſe teſtis ad placitum nolunt venire, ille qui eos placuit, neceſſarium abit ſatis facire, manire illos debit, ut ea, quæ noverint, jurati dicant; ſi venire noluerint & eos ſunnis non tenuerit DC. din. fac. ſol. XV. culp. jud.

Quiſquis illorum ſi vero præſentis fuerint jurati in teſtimonium vocati & noluerint jurati dicere ea quæ noverunt & ferbanniti fuerent DC. din. qui faciunt ſol. XV. culp. judic. unuſquiſque illorum.

*LI. De fidis factas.*

Si quis ingenuus vel letus alteri fidem fecerit, tunc ille cujus fidis facta eſt in XL. noctes aut quomodo placitum fecerit, ut quando ſedem fecit ad domum illius, qui fidem fecit, cum teſtibus vel cum illis, qui precium adpreciare debint, venire debit, & ſi ei noluerit fidem facta ſolvere (malb. *huc chram mito*) ſunt din. DC. fac. ſol. XV. culp. jud. ſuper debitum quod fidem fecerat, ſi adhuc noluerit componere quod debit, ad mallum eum manire debit: rogo te Tungyne, ut nexticanti gyus gaſacium meum illum, qui mihi fidem fecit, & debitum debit, & numerare quale debitum dibiat, unde fidem fecerat, tunc Tunginus dicire debit: nexticantigium ego illum in hoc, quod Lex Salica abit, tunc ipſe cui fidis facta eſt, debit teſtare, ut nulli alteri nec ſolvat nec pignus donit ſolucionis niſi ante conponant, quod ei fidem fecit; et cum teſtibus ambulare & rogare debit, ut debitum ſuum ſolvere dibiat, & ſi adhuc noluerit ſolverem, ſolem ei colecit et tunc ſi ei ſolem collegaverit ſol. III. ſuper ſuperiorem debitum adhuc ſolvat ſtut (3) uſque ad III. vicis, per III. non binas (4) fucire debit, et ſuper III. ſta omnia facta et noluerit adhuc componere uſque ad ſolem cobitum et ad novem ſol. adſcendat, et ſuper ſingulas admonicionis vel ad ſolem colecato terni ſolidi adcriſcant.

Si quis fidem factam ad placitum noluerit ſolvere, ambulit ad grafionum loci illius, in cujus pago manit, et præhindat fiſtucam et dicat verbum: tu Grafio, homo ille, qui mihi fidem ficit, quem legitime abio, illum jactibus admallatum in hoc, quod Lex Salica abit et contenit, ego ſuper me et ſuper furtunam meam pono, quod tu ſecurus mitte in furtuna ſua manom, et dicat de cauſam de quantum ei dem ficit, tunc Grafio collegat VII. Racineburgiis et ficum ipſis ad domum illius, qui fidem ficit, ambolit, et rogit illus ſibi præſens eſtum fidem ficit: voluntate tua ſolvi homine ſte, quod fidem ficiſti et elegit, ut duus quos volueris edoneis cum recyneburgiis ſtus, de quod ſolvere debit, adpreciare dibiant, et hoc ſoliſtum (5) precium ſatisfacia; quod ſi audire noluerit, præſens aut abſens, tunc racineburgiis adpreciando precium quantum valuerit debitum quod debit, hoc eſt de furtuna illius tollant et de ipſa legem, quem dibit, duas partis ille cujus cauſa eſt ad ſe revocit, tercia parte Grafio fredum ad ſe recolegat: ſi tamen ei fredus tam de ipſa cauſa non fuerit ſolutus. Ibi (6) Grafio rogitus fuerit, ſunnis eum non detenuerit aut certa racio dominica, et diſtulerit ſe ut non ambulit, neque aliquem in rem mittat, qui cum juſticiam exegere dibiat, de vita culpabilis eſſe debiat, aut redemat, quantum valit.

*LII. De ando meto.*

Si quis alteri aliquid priſteterit et ei noluerit reddere, ſic eum debit ad mallum, ſecum teſtibus ad domum illius, cui res ſuas preſtetit, accedat, et ſic illi teſtitus; quia res meas noluiſti reddere, quas tibi preſtetiram in hoc eas tene nocte proxima, quod Lex Salica contenet, et ſic ei ſolem colecit, ſi nec tunc rendere (7) voluerit adhuc VII. noctes ſimiliter venit et tunc eum rogit, ut debitum ſuum reddat, et ſi nec tunc voluerit conponere, ſolem ei

(1) *Si quis hominem in puteo &c.*) Hæc & ſequentia ad Titulum XL. pertinent. Quemadmodum ibi viciſſim quoque habentur, quæ ad hanc Tit. XLVIII. porro ſpectant.

(2) *Caliſtanio.*) Emenda: *caliſta eid*, hoc eſt, *præbuerit juramentum* vel *juraverit*. Ultimum *eid* notum eſt. *Caliſtan* vetus idem eſt ac noſtrum *geleiſten*, vel *leiſten*, præſtare, præbere, dare, quod Saxones *liſten* enunciant.

(3) *Stut.*) Pro *iſtud*.

(4) *Non binas.*) Heroldinum exemplar hic ponit, *mannitas*.

(5) *Soliſtum.*) Lege: ſecundum juſtum.

(6) *Ibi.*) Hic *ibi* irrepſit per *ubi* propter affinem *u* Gallici ſonum cum *i* vocali.

(7) *Rendere.*) Hoc indito *n* ex reddere factum eſt; & inde Gallicum *rendre*.

ei colecit, quod pro III. vicis solem ei collicavit, semper per singulas vicis sol. III. hoc est, per singulas admonicionis adcriscant; si noluerit et tunc rogare, nec fidem facire redde de ei quæ præstetit, super illus VIIII. sol. solem collecatum, qui per singulas admonicionis creverunt sol. XXIIII. culp. jud.

### (1) *LIIII. De manum ad enium redimenda.*

Si quis ad inium admallatus fuerit, fursitam, ut manum suam redimat & juratores donit, si talis causam est, unde legitime sol. XV. componat, si adprobatus fuerit sol. III. ultime manum redemat, si plus ad manum redimenda dederit, fretus Grafionem solvatur, quantum de causam illa convinctus fuerit, rediturus erit. Si vero causam fuerit quæ XXX. sol. si adprobatus fuissit, poterat culp. judicare & sic convenerit, ut manum redemat, sol. VI. redemat de causa illa, si convictus fuissit, rediturus erit sta redimpejo de manu usque leudem sic permanit: si vero leudem alter alteri inpotaverit, & eum ad inium admallatum abuerit, & convenit, ut juratores donit, & manum suam redemere potest, sol. XXX. manum suam redemere potest, quod plus aliquid dederit, fretus leudi ipsius solvatur.

### *LV. De Grafionum occisum.*

Si quis Grafionum occiderit (malb. *leodo samitem*) (2) sunt dinar. XXIIII. fac. sol. DC. culp. jud. si quis Saceborone, qui puer regiis fuit, occiderit, cui fuerit adprobatum malb. *leude sacce muther*) (3) sunt din. XII. fac. sol. CCC. culp. jud.

Si quis sacerborone, qui ingenuus est, & sacceborne occiderit XXIIII. qui fac. sol. CCC. culp. jud.

Sacebornis vero in singulis malloberges plusquam III. debent esse & de causa de quid de quod fortasse dixerint, hoc Grafionum (4) removeat, unde illi securitatem fecerunt.

### *LVI. De Corporibus expoliatis.*

Si quis corpos hoccisi hominis, antequam in terra mittatur, in furtum expoliaverit, cui fuerit adprobatum (malb. *muther*) sunt din. II. faciunt sol. XII. culp. jud.

Si quis hominem ico sepultum expoliaverit & ei fuerit adprobatum, malb. *muther* hoc est *virgo* fit usque in diem illa, quam illi cum parentibus ipsius defuncti, ut ipsi conveniant, & ipsi pro erogare (5) dibiant, ut vincto hominem liciat accedirem: & qui ei antequam componat cum parentibus, ante pene (*6*) aut tor, (*7*) qui tale dederit sol. XV. culp. tamen autorem ex celiris qui admisisset aut expodisset (8) *turnecale* sol. CC. componat.

### *LVII. De dispeccionibus.*

Si quis in mallum terum per lege conjunxerit, ad fidem facire dispexerit, aut precium solvere, tunc racineburgiis de eum ante audire secundum legem, qualis causa est, & illi, qui eum mallavit ad causa sua, ei n cia redebit precium antedictum, & tunc ei solvere noluerit tunc per legem debit atendere & postia Grafionem ad casa sua invitare, aut quid lex est de ipsa causa de res suas secundum legem debiat revertisse.

### *LVIII. . . . .*

Si quis ad malo ante venire præsumseret, aut quo racineburgie judicatum fueret, implere contempseret sic nec de eneum, nec de conpositionem nec de ulla rem fide ficiret vult, tunc ad regi præsencia eum manire debit & ibi XII. testis per singulas vicis III. jurati dicant, quod ibidim fuerunt & ibi raciniburgi juraverint aut ad eum ambolabant, aut fidem de compositionem ficiret; & alii III. jurare debent, quod ibidem fuissent pro illo die, quando racineburgi juraverunt, aut ad enium aut per composicionem se educirent; hoc de illa die in LX. noctes in mallo iterum & sol coligaverit, & nullatenus legem implere, tunc eum debit manere ante regem in noctes XIIII. et in testimonia jurati, sicut superius diximus, similiter illa die testimonia, qui ibi fuerunt, ubi collegato sole sista omnia impleverit, qui eum admallat et ille qui admallatum ad nullo placito venire voluerit, tunc exat, qui monitus est, eum extra sermonis ponat, tunc ipse culpabilis et omnes res suas erunt, quicunque aut paviret aut hoc qui tale dediret, si quis uxorem sua propriam sol. XV. culp. jud.

*LVIIII.*

---

(1) *Nota Collectoris.* Non legitur cap. LIII.

(2) *Leodo samitem.*) *Leodo* est *componat*, ut aliquoties vidimus. *Samitem* ego ex Latino *Comitem* corruptum conjicio. *Gravio* enim Romanis Comes vocabatur. *Leodo Comitem* erit igitur idem ac *componat Comitem*.

(3) *Leude sacce muther.*) Corrige: *leude sacceburthen*: hoc autem est, *componat sagibaronem*. Ut enim *mundeburdus* dicitur, ita etiam *sacceburthus* pro *sagibarone* potuit dici.

(4) *Grafionum.*) Corrige: *Grafio non.*

(5) *Erogare.*) Eo rogare.

(6) *Pene.*) Panem. *Æ* olim ut *æ* pronunciabatur. Unde & Italicum *pane* Gallis *pain* effertur.

(7) *Tor.*) *Tor* sive *porta* hic pro *domo* seu *hospitio* ponitur.

(8) *Aut expodisset.*) Lege: *aut expoliasset*. Et nota iterum aliqua deesse. Neque enim hæc verba ad ea, quæ antecedunt, pertinent.

*LVIIII. De Raciniburgius.*

Si quis Raciniburgius in mallo sedentes causa sine duus discote lege voluerit dicere vinit; dicite ad illo quicunque causa prosequitur: hic vos tangano, ut lege ter secando lege Salica, quod nec ille legem dicere noluerit, vir de illis raciniburgiis collecato sole ternus sol. solvat; quod si nec legem dicere volueret nec ternus sol. solvat, fidem ficit, tunc sol illius culpato est quinus din. c. culp. Si vero ipsi raciniburgiis & non secundum legem judicare eam contra quod sententio dediret sol. xv. culp. judicitur.

*LX. De crenecruda.*

Si quis hominem occiserit & tanta facultatem data non abit, unde tota lege impleat xii. juratores nec super terra nec subtus terra plus de facultate non abit quæ donavit & postia debit in casa intrare, de quatuor angulus terra in pogno colegire & sic postia in dorso super illo limitare stare debit, & intus in casa respiciens & sic de senextra mano super illo, qui proximiorem parentum habit, quod si jam pater aut fratris solserunt, tunc super suos filius debit illa terra jactare super iii. de generacionem patris & de matris qui proximioris sunt, & sic postia in camisam discinctus discalcius palo in mano sua sepe debit sallire, medietatem quanto de conposicionem idem aut quanto lex est illi iii. solvant, hoc est illi alii de patris geniracionis facire debit, super illo crenecurando ille, qui pauperior est jactavit, ille totam legem persolvat; que si vero necesso abit, unde totam legem solvat, tunc illi, qui humicidio ficit, qui eum sub pede abuit, in mallo præservare debit, & sic eum per iii. mallus ad sua fide tollat, & si eo in composicionem nulla a fide tollerent, hoc est, ut eum redimat deque non solsit, de sua vita componat.

*LXI. De Alodis.*

Si quis mortuus fueret & filio non demiseret, si matre sua superfuiret inde hereditatem accipiat. Si mater non fuiret & frater remansiret, ipsi hæreditatem accedant. Si ista non fuerint tunc sororis matris in hæreditate & inde illis generacionibus quæcunque proximior fuiret, illi hereditatem succidat. De terra vero illa (1), quod muliere hereditas est, sed ad vero exugu frater fueret, tota terra permaniat.

*LXII. De eo qui se de parentilla tolleri vult.*

In mallo leuth & het tunzino ambulare debit, & ibidim iiii. sustos alninus frangere super caput suo debit, & illos iiii. partis mallo jactare & ibi sidero quod eromento & hereditatem tota sacionem eo tollat. Sic postia aliquis de suis parentibus aut moriatur aut occideret nulla adeo nec hereditas nec conposicio permanit: si vero solo moriatur aut occidatur, conposicio aut hereditas ad eis permaniat.

*LXIII. De Carvenna.*

Si quis alteri super illo idem mano super illo aliquem inripuit, rem in capite reddat, sol. xxx. culp. jud.

Si quis hominem dimente (2) expoliaviret sol. c. culp. jud.

Si quis vero quecunque desuper hominem intercitum miseret in violente, quo si agnusciret dic. tollat (malb. *caroen*) sol. xxx. componat.

*LXIIII. De Conpositione humicidii.*

Si quis cujuscunque pater occisus fueret, medietate conpositione filio & alia parentis qui proximioris sunt tam de matre quam de patre, & dividant; quod si una paterna si eum mater nullus parentis fuiret, illa porcio in fisco colligatur.

*LXV. De homine in osto occiso.*

Si quis hominem ingenuo in oste occiseret din. cc. componat.

*LXVI. De ereburgiis.*

Si quis alterum barbaro clamaveret hoc est strioporcio aut illo qui in eo portare dicitur abstrias cucinent malb. sol. lxii. culp. jud.

Si vero mulierem clamaveret hoctoaginta & semis solidus componat.

*LXVII. De caballo mortuo excortegato.*

Si quis caballo extra consilio domini sui excortigaverit sol. xxx. componat exceptum capitale & dilatura.

*LXVIII.* EXPLICIT LEX I. INCIPIT II. *De rebus in alode patres.*

Si quis super alterum de rebus, qui in alode inventa sunt, interciaviret, debet ille interciatus iii. testimonia mittere, quod in alode patris hunc invenisset, alia trea qualiter patris ipsas invenissit; hoc si ficeret, poterit rem interciata vindicare, si istas non ficiret, mittat iii. juratoris, quod in alode patris hoc invenissit, se de hac causa liberans; si hoc non ficerit, ille qui eas interciaviret (*filtorto*) & si postia quid lex interdocuit, aput quem eas invinit, culp. judicitur.

*LXVIIII. De . . . . . . .*

Si quis pater aut parentis quando filiam suam

(1) *Illa.*) Restitue: *Salica.*

(2) *Dimente.*) Lege: *dormientem.*

suam ad marito donat, tota extra parte fratris suis vindicit; similiter, quando filius suus ad capilatorias ficiret (1), quo quid donato fuiret, extra parte hoc teniat, & aliquas res dividat.

*LXX. De homine ingenuo occiso; quomodo parentis sui comprehindit vitam suam.*

Si quis hominem ingenuo occiseret & ei fuerit adprobatum, parentis dibiat, secundum legem conponat media conpositio, filiis alia medietas & inde eis debit ut quarta, ut de illa leude adveniat, aut quarta pars parentibus propinquis debit III. de generationem patris & III. de generationem matris, & mater viva non fuerit media parte de leode illa parentis inter se devidant, hoc est III. de patrem, proximi tres fuirent parentis de predictis condicionis prehendant, tertia parte duas partis prehendant, tertia patri suo demittant.

*LXXI. Quantas causas jurare licit.*

De dote & de res qui in oste perditas sunt, de hominem qui in servitio revocatur, si amplius jurarent quam tres causas rem illa in capite reddant & quanto lex de causa illa abit culp. illi qui juraviret III. qui senis res fuiret D. din. culp. & reliqui juratoris quinus sol. solvant.

*LXXII. De oreobebat.*

Si quis hominem ingenuum in silva aut qualibet loco occiseret & eum ad celando conbusiret DC. sol. conponat.

Si antrusционem vel femene tale ordinis interficiat, aut tale rem voluerit vel igne concremaviret IDCCCC. dinarius conponat.

*LXXIII.* Cuicunque domum violare præsumserit, quæ domo pro firmamento ebrius (2) abuissit provocatus, qui hoc facire præsumserit sol. XLII. culp. jud.

Si quis hominem de furca tollere præsumseret, qui eum tollit, & ei fuerit adprobatum vita sua pro ipso admittat (3) aut sol. CC. conponat.

Si quis vero de furca jam mortuo sine consilio judicis aut voluntate ipsius cujus causa est, tollerit pro culpa, qua suspinsus est, quicquid exinde Lex Salica adeam ille erunt qui est, adtollere præsumserit culp. sed Lege Salica hoc convenit, observat.

*LXXIIII. De pignoratione.*

Si quis debitorem suum pignorancia sine judice pignorare præsumserit, antequam eum nestigante higio, & debitum perdat, & insuper similiter si male depignoraverit cum lege conponat, hoc est, capitalem reddat & insuper XV. sol. culp. judicitur.

*LXXV. De homine inter duas villas occisum.*

Sicut adsolet homo juxta strada (4) aut intra duas villas proximas sive vicinas fuerit interfectus, ut humicida non apareat, sic debit judex (5) hoc est Comes aut grafio ad locum accedere, & ibi cornus sonare, & si vinerit, qui corpus cognuscit occisi, sic parentibus in notitia ponatur. Si vero non vinerit, qui corpus, tunc vicini illi in eorum campo vel exitum corpus inventum est, debent facere bargum (6) v. pedis in altum & presencia judicis, ibi levare corpus, & debit judex nunciare & dicere: homo ste in vestro agro vel in vestipolo est occisus, contestor, ut usque in VII. noctes non reponatur & de humicidium stum vos ad mallum, ut in mallo proximo veniatis & vobis de lege dicatur, quis observare debiatis. Tunc vicini illi, quibus nunciatur ante XL. noctis, qui meliores sunt cum sexaginus quinus juratoris se exuant, quod nec occisissent nec sciant, qui occisisse. Mino filidis (7) vero vicini quinus denus juratoris donent singuli, qui id superius diximus, id est quod jurant, si stud sic ante XL. noctes non ficirent, noverint se personam mortui requirenti legibus satis facire: Si vero jurent, quod superius diximus, & se per sacramento edeniaverint (8), nulla eis conposicio requiratur.

LXXVI.

---

(1) *Ad capilatorias ficiret.*) *Capillatoriæ* dicta est festivitas, qua prima capillorum detonsio fiebat. Nomocanon a Cotelerio editus Tomo I. Monumentorum Eccl. Græcæ cap. 533., ut Latinæ saltem versionis verba proferam, habet: *Puer baptizatus, si mortuus fuerit sine capillorum tonsura, pœnitentia erit anni duo, inclinationes duodecim singulis diebus.* Sub capillorum primam detonsionem parentes filio, tanquam adolescenti, dona contulisse ex Lege nostra patet. Benedictos etiam specialiter fuisse Charta Rogerii Abbatis Dervensis a Cangio citata prodit his verbis: *De benedictionibus sponsarum tertiam partem, benedictiones perarum, capillorum quoque suæ erunt* &c. Duodecimo ætatis anno hanc ceremoniam in pueris celebratam fuisse ex Tit. XXVIII. leg. I. editionis Heroldinæ concludo.

(2) *Ebrius.*) Melius Tit. XIII. ed. Heroldinæ *iberus*. Infra in Decretione Clotharii eadem Lex occurrit, & quidem Tit. XCII. Et iberus ibi *domus superius* redditur.

(3) *Admittat.*) Pro *amittat*.

(4) *Strada.*) Via publica lapidibus seu silice munita sive *strata*. Vid. Cangius. Nostri hanc vias instruendi rationem a Romanis didicere, quorum miranda hujus generis opera in pluribus Galliæ atque inferioris Germaniæ locis superant.

(5) *Judex.*) Vocem *Judicis* pro *Comite* seu *Gravione* usurpari in notis ad Catechesin Theotiscam p. 152. seq. fusius ostendimus.

(6) *Bargum.*) *Barcus* & *bargus* Tit. XLIV. ed. Herold. leg. 9. & Tit. LXIX. leg. 3. pro *furca* sive patibulo usurpari videtur. Hic vero *monticulum* denotat. *Berg* nobis est *mons*, & Saxones rustici *barg* pronunciant.

(7) *Mino filidis.*) Quid hoc sit, nescio.

(8) *Edeniaverint.*) Pro *idoneaverint*.

*LXXVI. De muliere cæsam vel excapillatam.*

Si quis mulierem excapillaverit (1), ut ei obbonis (2) ad terra cadat, sol. xv. culp. jud.

Si vero vitta sua solferit ut capilli ad scapula sua tangant xxx. sol. culp. jud.

Si servus mulierem ingenuam percusserit aut excapillaverit aut manum suam redemat, aut sol. v. reddat.

Si quis mulierem prægnantem in ventre aut in renis percusserit pugnum aut calcem & ei pecus non excuciat, & illa propter hoc graviata fuerit quasi usque ad mortem cc. sol. culp. jud.

Si quis vero pecus (3) mortuum excusserit & ipsa evaserit DC. sol. culp. jud.

Si vero ipsa mulier propteria mortua fuerit DCCCC. sol. culp. judicitur.

Si vero mulier, qui mortua est pro aliqua causa in verbo regis missa est ICC. sol. culp. jud. Hæc lex de miletunias (4), vel letas sive romanas in medietatem convenit observare.

Si quis ancillæ pecus mortuum excusserit, si puella fuirit LXII. sol. culp. jud. similiter & M & dinarium. Si vero ancilla ipsa cellarium domini sui, vel geniceum tenuerit c. sol. & M & dinarium pro ipsa conponat.

*LXXVII. Pactus (5) Childeberti (6) R.*

De retinore pacis. appellavirit & negaverit juraverit juratoris. medius letus quod fuerit, quod obligaviret vero fit. Sic latro reverendus est si facoltatem distribuit, Malberg parentibus offeratur. Si non redimitur, vita correpit de oculte sine judice conponat, acceperit simile latrone sit.

*LXXVIII. Si hominem ingenuo in furto apellaviret.*

Si quis ingenuus in furtum inculpatus fuerit & deinde manducatur & manum suam de quantum in culpa inventus est conponat.

*LXXVIIII. Cujus manum ad benium inciderit.*

Servus in furtum inculpatur, requeratur dominum, ut ad xv. noctes in mallum presentit & si dubietas est, ad sortem ponatur, quod si placitum sunnis detricaviret ad alias xv. noctes ita fiat, et prosecutor cause de suos consimilis III. elictus alius III. dabet, qui sacramentum firment pro suplicacionem debet eum liberare, et si dominus non præsentaviret legem, unde inculpatur, conponat, et cessionem de servo faciat. Si servus minus tremisse sortem mala preserit, dominus servi tres solidos solvat, et servus ille CCC hictus accipiat.

*LXXX.* Si quis aliena mancipia injuste tenuerit et infra dies XL. non eas reddederit, latro mancipiarum teniatur obnoxius. Si lex de hoc quod inculpatur, ad sortem adjacirit et mala sortem presserit, medietatem ingenui conponant et septem juratoris medius elictus dare debit.

*LXXXI.* INCIPIT LIBER III. (7)

Deinde Chlotarius rex posuit decreta, ut qui ad vigilias hoc est ad qua (8), et constitutas nocturnas diversi furis non capire et quod deversa interrudentem concludio scelera sua prætermittat, costodias exercerent, centenas fierent. In cujus centena aliquid deperiet caput trustes (9) restituat, vel in alterius centenam vestigium proponat aut deduxerent et ad hoc admuniti sine cleaerent (10), quinus solidus conponat; capitale tamen, qui prodederat, a centena illa accipiat, et si per trustem invenitur media conposicionem trustes ad se recipiat, et capitalem exeat ad latronem.

*LXXXII.* Si quis in alterius domum, ubi clavis est, furtum invinerit, dominum

(1) *Excapillaverit.*) H. e. capillos ei denudaverit.

(2) *Obbonis.*) Hoc vocabulum ex veteri *obbo*, *bobbo*, *boube* prodiit, quod nos *baube* enunciamus. Denotat autem reticulum capillare, i. e. integumentum capitis ad continendos capillos retis instar contextum, aut etiam ex linteo vel serico confectum. In veteri trium Regum Historia cap. 21. & 37. *bouwe* scribitur. Glossæ Lindenbrogianæ MStæ: *Capitium*, *boubeloch*. Eædem alibi: *Peplum*, *amiculum capitis, vel velamentum*, *boubelachen*.

(3) *Pecus.*) Notandum, vocem hanc hic loci pro *fœtu*, *embryone*, aut *infante in utero matris adhuc existente* sumi, quod hactenus alibi non observavi. Ex Germanica autem locutione, qua *quec* olim & *pecus* & *vivum quodcunque* denotavit, ut in notis ad Catechesin Theotiscam pag. 136. sq. ostendi, barbarus legis author occasionem sumsit, *pecoris* nomen humano fœtui, qui sola se vita distinguit, attribuendi. Poterit etiam scriba vocem *fœtus* ignotiorem, in *pecus*, notiorem scilicet, corrupisse.

(4) *Miletunias.*) Legendum forte, *militaneas*; ut *militaneus* idem sit atque *militaris*, & hoc loco *militis uxor*.

(5) *LXXVII. Pactus.*) Præmitti debebat hic omissa Decretio Childeberti Regis, qua apud Tilium liber Legis Salicæ III. finitur; ut inferius patebit.

(6) *Pactus Childeberti.*) Quoniam corruptissimus hic cum reliquis exhibetur Pactus Childeberti, in aliam ejus editionem commentamur.

(7) *LIBER III.*) Restituendum est LIBER IIII. Infra enim dicitur Legem Salicam IV. libris constare. Et ex Tilii editione apparet, Childeberti R. Decretum fuisse ejus *librum III.* Hoc tamen hic omissum est.

(8) *Ad qua.*) Restitue *ad gue* sive *guet*. Hæc enim vox ex *wacta* vel *wacht* nostro corrupta Gallis *vigilias* designat.

(9) *Trustes.*) Sive is, qui jussu regio excubat & vigiliis fungitur.

(10) *Sine cleaerent.*) Restitue: *Si neglexerint.*

num domui de vita conponat. Se cum furtum, ubicunque capitur, antedicte subjaceat legem. Et de suscepcionem inculpatur, ad sortem veniat, et si malam sortem priserit, ita tamen ut utraque partis ternas personas elictas, duas nec custodia fieri possit.

*LXXXIII.* De servos ecclesiæ aut vel cujuslibet, si ad quemcunque inculpantur aut ad sortem aut ad plevium promoveantur, aut ipse aut precium reformetur probatio, periculum subjaciunt.

*LXXXIV.* Si quis quodlibit de potentis pro suo servo admoniatur, ut per diversa possedent loca, de crimine habere susceptus domino secricius cum testibus cumdicatur, ut intra xv. noctes ipsum ante judicem debiat præsentare, quod si intra statutum tempus intercedentem concludium non ei fecerit ipsi dominus statutus sui justa mode sui culpe inter fretum et feitum conpensetur, servus tum admonitum domino defuerit, capitalem dominus restituat & de servum dominus faciat cessionem faturum et cum inventus fuerit, detur vindictam.

*LXXXV.* Si quis occulte rem sive conposicionem at quemlibet latronem acciperet, ut res quem latronis culpam subjaceat, fures tamen judicibus præsentetur. Nullus latronis, ut quemlibet culpabilem occultare presumat. Cui si ficerit, similis illi subjaceat culpæ.

*LXXXVI.* Nullus quemlibet culpabilem, sicut cum Episcopis convenit, de atrio ecclesiæ extrahere præsumserit, canonibus feriatur, quod si sunt ecclesiæ, quorum clausæ non sunt ab utrasque partebus parietum terræ expacium aripennis pro adrio observentur, ut nullatinus fugiens foras ante dicta loca properarum cupietatis sedicat, quod non sit et capti fuerint, ad dignum sibi subplicium condemnentur.

*LXXXVII.* Si cuilibit servus ad quocunque deferat, confugium fecerit, primum dominus advenerit, cito excusatus reddatur, futurum ut si de precium cumvenerit, precius redatur, tamen admunicionem perientes redere noluerit, precium solvat futurum cum inveniret, si placit receptum precium servus dominum refurmetur.

*LXXXVIII.* (1) Ut in troste electi centenarius ponantur pro fiscalibus & omnium domibus censimus pro timore pacis jubemus in truste electi centenarius ponantur per eorum ad que solicitudinem pax interdicta observetur, & quia domino propitio germanitas vinculum caritatis costoditur. Centenarius ergo vel qui in troste esse dicuntur, abent latronis persequere vel vestigia adsignata tamen menare & in truste quod defuerint, sicut dictum est, cumsarciatur, ut continuo capitale & qui perpedit, refurmetur, ita tamen ut latronis perquirantur, quem si truste per se invenerent, medietatem conposicionem sibi vindicit, capitale vel dilatura, si fuerit de facultatem latronis ei, qui furtum pertullit, sarciatur. Nam si per se latronem cœperit, integra sibi conposicione vel diffulucione vel quicquid dispendite fueret, revocaverit, fretus tamen judecibus, in cujus provencia est latror stratetur requerenti.

*LXXXVIIII.* Si quis ad vestigium vel ad latrone prosequendo ire noluerit, si moniti fuerunt, & si eos sunnis non detenuerit sol. xv. culp. jud. & in dei nomine pro timore pacis constituemus, et in perpetuo volumus costodire, interdicentes.

*LXL.* Si quis a judicibus hæc violare præsumserit, vita incurrat periculum et sta omnia ante dicta nostra sicut priora stare jubemus.

*LXLI.* (2) Si quis super aliena domum lapide miserit aut jactaverit, cui fuerit adprobatum, pro illius contumilia aut alienorum ingenuorum, si cum ipsum alii fuerint unaquodqui per quindicinus sol. culp. jud. Si vero letus fuerit, qui hoc facire presumserit sol. VII. culp. judicitur.

*LXLII.* (3) Si quis aliena domum violenter distruerit, que domus superius abuerit, qui hoc facire præsumserit et pro hoc cui fuerit adprobatum sol. XLV. culp. jud.

*LXLIII.* (4) Si Salicus salicum violenter castraverit et ei fuerit adprobatum sol. CC. culp. jud. excepta medicatura sol. VIIII.

---

(1) *LXXXVIII.* ) Lex, quæ sequitur, in Decretione Clotharii Regis cap. 12. extat, sed succinctior, quam hic est. Vide & annotationem nostram ad Decretionis Clotharii cap. 15.

(2) *LXLI.* ) Hoc caput in Lege Salica Herold. edit. Tit. LXXVII. extat.

(3) *LXLII.* ) Hoc caput in eadem Lege Salica Tit. XIII. leg. 3. habetur.

(4) *LXLIII.* ) Hæc periodus etiam extat Leg. Sal. Tit. XXXII. leg. 19.

## EXPLICIT LEX SALECA, QUI VERO CUNLACIO (1) INFRA HÆ LIBROS IIII. CONTINERE VIDETUR.

PRimus Rex Francorum ſtatuit a primo titulum uſque LXII. diſpoſuit judicare; poſtmodo autem tempus cum obtimatis ſuis a LXIII. titulum uſque ad LXXVIII. addedit; ſic vero Childebrandus (2) Rex poſt multum autem tempus pertractavit, quid addere debirit, ita a LXXVIII. uſque ad LXXXIII. (3) perinvenit, quod ibidim digne impoſuiſſe noſcuntur, et ſic fratri ſuo Clotario hæc ſcripta tranſmiſit. Poſt hæc vero Clotharius cum hos titulus a germano ſuo ſeniore gratenter excepit, ſic poſtia cum rignum ſuum pertractavit, ut quid addere debirit ibidem, quid amplius dibiat conſtruhere ab LXXXVIIII. titolus uſque ad LXLIII. ſtatuit permanere, et ſic poſtea fratre ſuo reſcripta direxit et ita inter eis convincit, ut ſta omnia ſicut anteriore conſtructa ſtarent.

✠

Teudericus (4) Rex rignavit annis XVII. Chlodoveos Rex rignavit an. III. (5) Childebertus rex rignavit an. XVII. (6) Dacobertus (7) rex rignavit an. V. Hilpericus (8) rex rignavit an. V. Item Teudericus (9) rex rignavit an. XVII. anno ſeptimo inter alius rex rignavit (10). Childericus rex rign. an. VIIII. (11) ſunt in ſumma annus LXXVIII. (12)

(1) *Qui vero cunlacio &c.*) Hoc eſt; *quid vero Reges ad Legis Salicæ Libros IIII. contulerunt, hic videtur, ſive cernitur.*

(2) *Childebrandus.*) Alias *Childebertus*. Apparet hinc *brand* & *bert* vel *bret* in terminationibus nominum propriorum æquivalere. Utrumque *incenſum* aut *ſplendidum* deſignat, ut alibi demonſtramus.

(3) *LXXXIII.*) Pithœi exemplar habet: LXXXIIII.

(4) *Teudericus.*) Intelligitur Theodoricus III. Chlodovei II. filius qui anno quidem 669. ad regnum pervenit, ſed eo dejectus, demum Ebroini auxilio anno 673. monarchiam obtinuit: unde ab hoc anno ſolum regni ejus initium numeratur.

(5) *An. III.*) Chlodoveus III. Theodorici filius patri an. 690. ſuccedit.

(6) *An. XVII.*) Childebertus III. Theodorici III. filius fratri anno 694. ſucceſſit. Obiit ergo anno 711.

(7) *Dacobertus.*) Intelligit Dagobertum tertium hujus nominis. Regni enim anni quinque in hunc quadrant.

(8) *Hilpericus.*) Dagoberto III. defuncto, & Theodorico filio parvulo relicto, Franci Danielem Childerici II. filium regem ſibi ſtatuunt ſub *Chilperici III.* nomine. Atque hic intelligitur hoc loco. Obiit anno 721., & hoc modo anno 716. ad regnum pervenit; quod cum Fredegario congruit.

(9) *Teudericus.*) Theodoricus hujus nominis IV. Dagoberti III. filius, Rex factus eſt anno 721. & obiit an. 737.

(10) *Alius rex rignævit.*) A morte Theodorici uſque in annum 745. interregnum erat, & regis poteſtatem interea exercebat Carolus Martellus Major Domus Franciæ cum filiis Carolomanno & Pipino.

(11) *Rign. an. VIIII.*) Notabilis omnino eſt hic locus, quia prodit Childericum *novem annos* regnaſſe: quod expono, eum ab initio regni novem annos vixiſſe. Quia autem anno 745. rex inſtitutus eſt, ſequitur, annum 754. ipſius emortualem fuiſſe. Nam regnum ſaltem ad an. 752. tenuit, quo a Francis exauctoratus eſt. Scriba hujus noſtri Codicis, cum Pipinum non nominet, videtur in finibus Aquitaniæ, Francis rebellis vixiſſe. Unde & Salicæ Legi addidit *Titulos legum ex corpore Theudoſiani*, ut barbara verba habent. In altera nempe Ligeris parte Romani adhuc quamplurimi degebant, *Lege Romana*, quomodo Codicem Theodoſianum & inde facta Compendia vocabant, regendi.

(12) *Annus LXXVIII.*) Reſtituendum: *anni LXXXIII.* Tot enim, ſi annos regni ſingulorum colligas, anni proveniunt. Egregium itaque eſt additamentum, quod ſingulis Regibus annos tribuit, quos ſcriptores negligentius annotarunt. Ne autem & Caroli M. tempora a coætaneo authore ſimiliter annotata depereant, ea ex vetuſto Bibliothecæ Juliæ MSto hic addere placet, quia & is & filius ejus Ludovicus Legi Salicæ varia addiderunt. Verba de iis in veteri Codice hæc extant:

*Ab Eracleo uſque ad Conſtantinum ſunt anni XXX.*
*A Conſtantino patre uſque ad Conſtantinum filium fit annus I.*
*Item a Conſtantino uſque ad Conſtantinum fiunt anni XXVII.*
*A Conſtantino uſque ad Juſtinianum anni XVII.*
*A Juſtiniano uſque ad Pippinum ſeniorem, anni II.*
*A Pippino ſeniore uſque ad Carlum anni XXVII.*
*A Carlo uſque ad Pippinum & ad Carlomannum anni XXVII.*
*Et a Pippino & Carlomanno, uſque dum Pippinus rex conſtitutus eſt, fiunt anni X.*
*A Pippino vero uſque ad Carlum & Carlomannum anni XVII.*
*Et a Carlo & Carlomanno uſque ad Carlum fiunt anni IIII.*
*A Carlo uſque ad Lhudovicum anni XLVII.*
*Quod erat anno incarnationis Domini DCCCXIIII. in quo Carlus obiit V. KL. Febr.*
*Anno feliciſſimæ vitæ ſuæ ſeptuageſimo primo; Et regni ejus in Francia quadrageſimo VII.*
*Subacta Italia XLIII. Imperii quoque anno XIIII.*
*Sunt autem totius ſummæ ab origine mundi uſque in præſentem annum DCCC XX. incarnat. Dni. Anni IIII DCC LXXII.*

F I N I S.

# INDEX RERUM.

## A



## B



## C

# D

# E



# F

# G



# H



c. 1.

# M

## N



## O



## P

# Q



# R



# S

*FINIS.*

*Legum Barbarorum Volumen I. excusum Venetiis Anno MDCCLXXXI. prostat apud Sebastianum Coletium, & Joseph Rossi Bartholomæi Filium, pretio Librarum Ven. XX., Volumen II. & III. Lib. LII, Volumen IV. Libr. XXIV., & hoc postremum, Anno MDCCLXXXXII. in lucem editum, Libr. XX., ut Opus universum, quinque Voluminibus comprehensum, constet pretio Libr. Ven. CXVI.*

